

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
37 G
20
ROMA





SVMMÆ ANGELICÆ
S. THOMÆ
AQVINATIS,
COMPENDIVM
RESOLVTORIVM,

IN QVO SVB SENSV, EX mente Doctoris Sancti duplici ita resolutoriè concluditur, ut & Quæsiti sensus ubique multiplex aperiatur; & contenta in corpore Articuli Doctrina sub brevitate exponatur; & contenta in Responsionibus, pro solvendis objectionibus sufficienter proponatur.

Authore P. Fr. ALEXANDRO PINY, *Doctore Theologo, Ord. Prædic. Provinciæ Provinciæ, & Maiori Conventui, & Collegio Parisiensi ejusdem Ord. affiliato.*

TOMVS TERTIVS.

Tomus polensis ... scholarum piarum

LVGDVNI,
Sumptibus FRANCISCI BARBIER Typogr. & Bibliopolæ Regii.

M. DC. LXXXI.
Cum Privilegio Regis, & Approbationibus.



INDEX QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM.

Quæ in tertio Tomo COMPENDII RESOLUTORII in Secundam Secundæ SUMMÆ S. THOMÆ continentur.

IN QUÆSTIONEM I. *De Fide.*

IN QUÆSTIONEM II. *De actu fidei.*

IN QUÆSTIONEM III. *De exteriore actu fidei.*

IN QUÆSTIONEM IV. *De ipsa fide virtute.*

INDEX.

IN QUÆSTIONEM V. *De habentibus fidem.*

IN QUÆSTIONEM VI. *De causa fidei.*

IN QUÆSTIONEM VII. *De effectibus fidei.*

IN QUÆSTIONEM VIII. *De dono intellectus, quod fidei respondet.*

INDEX.

IN QUÆSTIONEM XXIX. *De pace.*

IN QUÆSTIONEM XXX. *De misericordia.*

IN QUÆSTIONEM XXXI. *De beneficentia.*

IN QUÆSTIONEM XXXII. *De eleemosyna.*

INDEX.

In QUÆSTIONEM LXIX. *De peccatis contra justitiam ex parte rei.*

In QUÆSTIONEM LXX. *De justitia pertinente ad personam testis.*

In QUÆSTIONEM LXXI. *De justitia quæ sit in judicio ex parte Advocatorum.*

INDEX.

IN QUÆSTIONEM CXI. *De simulatione & hypocrisi.*

IN QUÆSTIONEM CXII. *De jactantia.*

IN QUÆSTIONEM CXIII. *De ironia.*

IN QUÆSTIONEM CXIV. *De amicitia quæ affabilitas dicitur.*

IN QUÆSTIONEM CXV. *De adulatione.*

QUÆSTIONEM CXVI. *De litigio.*

EM CXVII. *De liberalitate.*

INDEX.

IN QUÆSTIONEM CXXII. *De præceptis iustitiæ.*

IN QUÆSTIONEM CXXIII. *De fortitudine.*

superbia

INDEX.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAr Lettres Patentes du Roy, données à S. Germain en Laye, le 23. Iuillet 1679. ſignées par le Roy en ſon Conſeil, BOUCOT, & ſcellées du grand Sceau ; Il eſt permis à FRANÇOIS BARBIER nôtre Imprimeur & Libraire ordinaire en nôtre bonne Ville de Lyon, d'imprimer ou faire imprimer un Livre manuſcrit, intitulé, *Summa Angelica Sancti Thomæ Aquinatis Compendium Reſolutorium, &c. Authore P. Fr.* ALEXANDRO PINY, *Doctore Theologo, Ordinis Prædicatorum Provinciæ Provinciæ, & Majori Conventui, & Collegio Pariſienſi ejuſdem Ordinis affiliato*, pendant le temps de ſix années, à compter du jour que chaque volume ſera achevé d'imprimer : pendant lequel temps Nous faiſons tres-expreſſes inhibitions & défenſes à tous Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes, de quelle qualité & condition qu'elles ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ni debiter ledit Livre, ſous quel pretexte que ce ſoit, changement de titres, extraits, augmentations, corrections par autres perſonnes, Impreſſion étrangere, ou autrement ; ſans le conſentement du Suppliant, ou de ceux qui auront droit de luy ; à peine de trois mille livres d'amende, de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interêts, au profit dudit Expoſant, ainſi qu'il eſt plus au long porté par leſdites Lettres Patentes.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, ſuivant l'Arreſt de la Cour de Parlement, du 8. Avril. 1653. &



SECVNDÆ SECVNDÆ

SUMMÆ ANGELICÆ SANCTI THOMÆ AQVINATIS COMPENDIVM RESOLVTORIVM,

IN QVO SVB SENSV, EX mente Doctoris Sancti, duplici ita resolutoriè concluditur, ut & Quæsiti sensus ubique multiplex aperiatur; Et contenta in corpore Articuli Doctrina sub brevitate exponatur; Et contenta in Responsionibus, pro solvendis objectionibus, sufficienter proponatur.

IN QVÆSTIONEM PRIMAM.

De Fide.

ARTICVLVS PRIMVS. *VTrùm objectum Fidei sit veritas prima.* ℟. *Affirmativè*, non quòd non cadant materialiter sub fide plura etiam alia, quæ non sunt prima veritas; sed ita quod veritas prima sit ipsa formalis ratio, sub qua omnia objiciuntur Fidei. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm fides, de qua loquimur, non assentiat alicui, nisi quia à Deo revelatum, qui est veritas prima; ideò quantum ad ea quæ cadunt materialiter sub fide, plura quidem alia à Divinitate considerantur, ut sunt quæ pertinent ad Christi humanitatem, & Ecclesiæ Sacramenta, necnon creaturarum conditionem, & omnia quæ in Scriptura continentur, de quibus scilicet potest esse fides, sicut & infidelitas, non nisi tamen in ordine ad Deum, sive ut ordinantia nos in Deum; & propter veritatem primam, quæ revelavit, cadunt sub Fidei assensu, cujus proinde formale objectum est prima veritas, sicut & charitatis objectum propriè est ipse Deus, quia non nisi propter Deum diligit proximum.

ART. 2. *Vtrum objectum Fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis.* ℟. *Affirmativè*, non quidem si consideretur objectum Fidei ex parte rei creditæ, sed consideratum ex parte credentis. *Primum est*, quia cùm cognita sint in intellectu per modum ipsius, & modus proprius intellectus humani sit, ut componendo, & dividendo cognoscat; ideò loquendo ex parte credentis est objectum Fidei complexum quid per modum enuntiabilis, ad differen-

tiam viſionis patriæ, quæ quidem cùm apprehendat veritatem primam ut in ſe eſt, erit non per modum enunciabilis, ſed ad modum ſimplicis intelligentiæ; cum quo tamen ſtat, quod quia non terminatur actus credentis ad enunciabile, ſed ad rem creditam, quandoquidem non formamus enunciabilia, niſi ut per ea res cognoſcamus; ideò nec dicatur in Symbolo, Deus eſt omnipotens; ſed, Credo Deum omnipotentem. *Secundum eſt*, quia objectum Fidei ex parte rei creditæ eſt ipſa veritas prima, quæ creditur, quæ quidem eſt quid ſimplex, & incomplexum.

Vtrum Fidei poſſit ſubeſſe falſum. ℞. *Negativè*, non quòd id, quod ſubeſt fidei non poſſit ſecundùm ſe aliter eſſe; ſed ita quod ſecundum quod ſub fide cadit, non poſſit aliter eſſe, quàm fide creditur. *Primum eſt*, quia cùm nihil poſſit ſub fide cadere, niſi ut ſtat ſub veritate prima; quandoquidem potentiæ, habitui, & actui nihil ſubeſt, niſi per rationem formalem objecti; & res ſecundùm quod ſubeſt veritati primæ revelanti, quæ quidem eſt formalis ratio fidei, non poſſit aliter ſe habere, nec etiam prout ſubeſt fidei; & quidem dato, & non conceſſo, quod ſpei & charitati poſſet ſubeſſe falſum, utpote quæ non ſunt virtutes perficientes intellectum, ſicut eſt fides, quæ cùm perficiat intellectum, & conſequenter in ordine ad bonum intellectus, quod eſt verum; idò non poteſt non excludere totaliter falſum. Vnde credentes Iudæi Chriſtum naſciturum poſt nativitatem, non propterea errabant ex fide, quandoquidem per fidem ſufficiebat credere Chriſtum ART. 3.

aliquando nasciturum ; sed ex conjectura humana circa determinationem temporis : sed neque errat ex fide, si quis adoret hostiam non consecratam, quam putat consecratam, cùm fides solùm dictet esse corpus Christi sub speciebus, sed rectè facta consecratione. *Secundum est*, quia Deum non incarnari, secundùm se consideratum fuit possibile etiam post tempus Abrahæ, seu postquam fuit fide creditum, cùm solâ suâ voluntate carnem acceperit ; esto quod prout cadit sub præscientia divina, & consequenter sub fide, quandam tunc habeat necessitatem infallibilitatis.

ART. 4. *Vtrùm objectum fidei possit esse aliquid visum.* ℞. *Negativè*, non quòd non videatur in generali sub ratione communi credibilis; sed ita quod in speciali non possit esse creditum, simul & visum. *Primum est*, quia cùm illa videantur, quæ per se movent sensum, aut intellectum, ut prima principia, & quæ ex illis evidenter concluduntur ; ideò cùm objectum fidei non sit tale, quandoquidem ei assentit intellectus per electionem, voluntariè inclinando magis ad unam partem sine formidine ; nec etiam potest fides esse de rebus visis, sive secundùm sensum, sive secundùm intellectum. Vnde aliud vidit Thomas Apostolus, aliud credidit ; seu vidit hominem, & confessus est Deum : sed neque dicitur fides ex auditu, quasi sit eorum, quæ audiuntur, scilicet verborum ; sed rerum, quas non oportet esse visas. *Secundum est*, quia non crederet quis, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi. In quo quidem sensu intelligitur il-

lud Apost. *Videmus nunc per speculum*, scilicet sub ratione generali credibilis, in qua etiam facit fidei lumen videre ea, quæ creduntur, inclinando scilicet mentem hominis ad assentiendum his, quæ conveniunt rectæ fidei, & non aliis.

Vtrum ea, quæ sunt fidei, possint esse scita. ART. 5.
℟. *Negativè*, non quòd possit esse scitum, vel etiam visum ab uno, quod ab alio est creditum; sed ita quod de eodem secundùm idem non possit esse simul in uno homine scientia cum fide, sicut nec cum opinione. *Primum est*, quia cùm omnis scientia habeatur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa; & impossibile sit quod idem secundùm idem sit ab eodem visum, & creditum, ut suprà dictum est; ideò & impossibile est quod de eodem secundùm idem sit in eodem subjecto scientia cum fide, non quidem ea ratione, qua incompossibilis est scientia cum opinione, quatenus scilicet de ratione scientiæ est, quod scitum existimetur esse impossibile aliter se habere, opinatum autem è contra existimetur possibile aliter se habere; sed quia scitum est visum, & creditum est non visum. Vnde quæ demonstrabilia sunt, non ita ponuntur inter credenda, quasi de illis sit simpliciter fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei, & propter eos, qui demonstrationem non habent: neque rationes probantes res fidei, eas demonstrant, sed solùm ostendunt, non esse impossibile id quod creditur; esto quod valeant apud fideles, ubi ex fidei principiis procedunt. Cum quo tamen stat, fidelem, quanvis non scientem demonstrati-

vè, quæ ſunt fidei, tamen non eſſe eorum ignorantem, propterea quod adhuc cognoſcit, eſſe credibilia. *Secundum eſt*, quia licèt quod communiter proponitur omnibus ut credendum, qualia ſunt quæ ſimpliciter fidei ſubſunt, ſit communiter non ſcitum; nihilominus ea quæ credimus, nos aliquando viſuros ſperamus, juxta illud: *Tunc*
Cor. 13. *autem facie ad faciem*; ſicque poteſt contingere, ut idem vel pro diverſo tempore, vel à diverſis ſit creditum, & ſcitum; ſicut & quod ſecundùm aliquid credatur, & ſciatur quoad aliud, putà quod credatur Deus ut trinus, & ſciatur ut unus.

ART. 6. *Vtrum credibilia ſint per certos articulos diſtinguenda.* ℞. *Affirmativè*; ſi tamen ſermo ſit de credibilibus, non quæ talia ſunt in ordine ſolùm ad alia, ſed de quibus habetur fides ſecundùm ſe. *Primum eſt*, quia cùm articulus dicat coaptationem quandam partium diſtinctarum, & iſta partium coaptatio maximè debeat eſſe in credibilibus, quanvis formalis eorum ratio ex parte rei creditæ ſit una omnium, ſcilicet veritas prima, utpote cùm ex parte noſtri ratio formalis ſit, ut ſit non viſum, ſicque ubi eſt aliquid ſpecialiter non viſum, & ſpecialis difficultas, ut quod Chriſtus ſit paſſus, & reſurrexerit, ſit ſpecialis ratio diſtinguendi; eſto quod ubi multa ſunt ſecundùm eandem rationem cognita, vel non cognita, ut Deum eſſe mortuum, & ſepultum, non debeat articulus diſtingui; conſequenter ſit, quod ſint credibilia per certos articulos diſtinguenda: & quidem quanvis dicatur articulus indiviſibilis veritas, quæ arctat ad credendum; nec enim

cogit ad credendum neceſſitate coactionis, ſed neceſſitate finis, quatenus non ſalvabitur, niſi qui crediderit. *Secundum eſt*, quia ſicut in aliis ſcientiis, quædam proponuntur ut per ſe intenta, & quædam in ordine ſolùm ad alia manifeſtanda; ſic & in fide, quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, præter ea quæ videnda ſperamus in patria, quæque proinde per ſe ad fidem pertinent, alia quædam proponuntur ad prædictorum manifeſtationem, quæ cùm ſint ferè omnia quæ continentur in Scriptura, non poſſunt, nec debent in certos diſtingui articulos.

Vtrum articuli fidei ſecundùm ſucceſſionem temporum creverint. ℞. *Affirmativè*, non quidem quantum ad ſubſtantiam credendorum, ſed quantum ad explicationem. ART. 7. *Primum eſt*, quia quædam explicitè cognita ſunt à poſterioribus, quæ non ita à prioribus agnoſcebantur, juxta illud Apoſt. *In aliis generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis ejus Apoſtolis.* Ephef. 3. Licèt enim bona ſperanda, quorum fides ſubſtantia eſt, ex Apoſt. omni tempore fuerint; quia tamen dantur per Chriſtum, & inſuper conſummatio gratiæ facta per Chriſtum, & tempus ejus dicitur plenitudo gratiæ; ideò qui ei fuere propinquiores, ea etiam clariùs viderunt; & quidem quanvis operatio gratiæ dicatur incipere à perfectis, utpote quod intelligitur ex parte cauſæ agentis, quæ eſt Deus, non ex parte cauſæ materialis, quæ eſt homo, ex parte cujus ab imperfectis ad perfecta proceditur. Vnde ex parte ſolùm addiſcentis fuit profectus fidei, cujus capacitati ſe Deus accommodavit, & ſic crevit tempo-

rum successione. *Secundum est*, quia quæ posteriores crediderunt, cùm continerentur implicitè in quibusdam primis articulis, ad quos reliqui reducuntur, ut in his duo-
Hebr. 11. bus, Deum esse, & Remuneratorem esse; in illo quidem quæ de Deo dicuntur æternaliter, in quibus est nostra beatitudo; in hoc autem quæ de Deo dicuntur ex tempore, & quæ spectant ad salutem consequendam, & sic sub aliis alii, ut sub fide redemptionis Incarnatio Verbi, &c. ideò quantum ad substantiam fidei non est factum augmentum articulorum successione temporum.

ART. 8. *Vtrum articuli fidei convenienter enumerentur.* ℟. *Affirmativè*, ita quod quæ per se pertinent ad fidem in quatuordecim distingui debeant articulos, quanvis non ita, quin ad duodecim reduci possint. *Primum est*, quia cùm per se pertineant ad fidem, quorum visione in vita perfruemur æterna, quæque nos ad illam ducunt, mysteria scilicet divinitatis, & humanitatis, juxta
Ioan. 17. illud, *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant, & quem misisti Iesum Christum*; ideò cùm circa primò credibilia de divinitate septem proponantur articuli, & totidem de humanitate; de divinitate quidem primò unitas: tum trinitas personarum in tribus articulis: tum opera propria divinitatis; & primum quoad esse naturæ, & sic creatio; deinde quoad esse gratiæ, & sic omnia opera sanctificationis; postremò quoad esse gloriæ, & sic resurrectio & vita æterna: circa verò humanitatem primò proponatur de incarnatione, seu conceptione; tum de nativitate; insuper de passione, morte, & sepultura; postea de descensu ad inferos, de Re-

ſurrectione, de Aſcenſione, de adventu ad judicium; conſequenter fit, quod primò credibilia in quatuordecim convenienter diſtinguantur articulos; & quidem plures circa perſonas, quanvis ſub articulo unitatis contineantur, utpote quæ ſpeciales habent ſeorſim difficultates; necnon & plures circa perſonas Filij, & Spiritus ſancti, utpote qui mittuntur ad ſanctificationem creaturæ, de qua plura occurrunt credenda, quàm de perſona Patris; ita tamen quod ſcientia & providentia Dei, de quibus non fit mentio, contineantur ſub omnipotentia, ſicut & Euchariſtia, non quidem ut Sacramentum, quod continetur ſub operibus ſanctificationis, ſed prout ibi eſt Chriſtus miraculosè; nec de Dei unitate, utpote demonſtrabili, ponatur articulus, niſi quia ſub ea multa continentur, ſive quantum ad providentiam, vel alia, quæ non potuerunt Philoſophi inveſtigare. *Secundum eſt*, quia & poſſunt tres articuli trium perſonarum comprehendi ſub uno, cùm eadem ſit cognitio trium perſonarum; & articulus de opere glorificationis diſtingui in duos, ſcilicet in reſurrectionem carnis, & gloriam animæ; tum etiam articulus conceptionis, & nativitatis conjungi in unum.

Vtrum convenienter articuli fidei in Symbolo proponantur. ℟. *Affirmativè*, ita quod & fuerit neceſſarium ſummariè colligi ex ſententiis Scripturæ, quod omnibus proponeretur ad credendum; & in collectione facta nihil inconveniens contineatur. *Primum eſt*, quia cùm accedentem ad Deum oporteat credere, ex Apoſt. ideò & opus fuit ART. X.

Ad Hebr. 11.

credenda in unum colligere, unde nomen Symboli ortum est, ne scilicet homines ex ignorantia à veritate fidei deficerent; præsertim cùm veritas fidei in Scriptura sacra diffusè contineatur, & variis modis, & in quibusdam obscurè. Vnde non est Symbolum additum Scripturæ, sed potiùs ex ea sumptum, ut omnes summariè Fidei veritatem intelligerent. *Secùndum est*, quia & in omnibus Symbolis idem docetur, quanvis propter novos insurgentes errores pleniùs in uno explicetur, quod in alio erat implicitè. Et cùm confessio Symboli sit in persona totius Ecclesiæ, in qua semper est fides formata, ideò & bene dicitur, Credo in Deum, quod est eorum, qui fidem habent formatam; sicut & in sanctam Ecclesiam, referendo scilicet fidem nostram non in creatum quid, sed in Spiritum sanctum prout Ecclesiam sanctificantem. Ita tamen quod meliùs dicatur, Credo sanctam Ecclesiam, quàm In sanctam, ut dicit Leo Papa; necnon & Symbolum Patrum, quia est manifeststativum Symboli Apostolorum, & quia factum fuit fide jam promulgatâ, meliùs etiam dicatur in Missa; istud verò solùm occultè.

ART. 10. *Vtrum ad summum Pontificem pertineat Fidei Symbolum ordinare.* ℞. *Affirmativè*, & quidem taliter, quod ad solam authoritatem summi Pontificis pertineat nova editio Symboli; non tamen aliam continentis fidem, sed eandem magis expositam. *Primum est*, quia ad illius authoritatem pertinet Symboli editio, ad quem pertinet finaliter determinare quæ sunt fidei, quod quidem pertinet ad authoritatem summi

Pontificis, quandoquidem pro Petro rogavit Christus, ne ejus fides deficeret, & quia debet esse una totius Ecclesiæ fides; quod non esset, si res fidei non determinarentur per eum, qui toti Ecclesiæ præest. Vnde prohibitio de nova editione Symboli facta in Conciliis, non nisi ad privatas personas se extendit, non autem ad Pontificem, cujus est congregare Synodum, & confirmare. Nec Athanasii Symbolum habetur pro regula fidei, nisi quia authoritate summi Pontificis est receptum. *Secundum est*, quia cùm perversi homines Apostolicam, & cæteras doctrinas perverterint ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur 2. Pet. ult. ideò & necessaria fuit temporibus procedentibus, non quidem nova fides, cujus quidem veritas in doctrina Christi, & Apostolorum fuit sufficienter tradita, sed eadem magis exposita.

Luc. 22.

In gestis Synodi Ephes & Chalcedon.

IN QVÆSTIONEM II.

De actu Fidei.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum credere sit cum assensione cogitare. ℞. *Affirmativè*; si tamen sumatur ibi cogitare, non quidem pro actu cogitativæ virtutis, aut qualicumque intellectus consideratione; sed pro actu intellectus inquirentis, seu deliberantis. *Primum est*, quia cùm dicatur quis fide credere quando cogitationem habet, non quidem informem sine assensione in neutram partem, hæc enim est dubitatio; vel levi signo in unam partem inclinantem, quippe quæ est suspicio; vel adhærentem uni, sed cum formidine, utpote quæ est opinio; sed cum firma adhæsione, in quo quidem convenit credens cum intelligente & sciente; & differt à vidente,

qui omnino perfectè cognoscit, absque coagitatione, sive inquisitione; ideò & proprium est credentis cum assensione cogitare, ita quod dicatur cogitare, sive coagitare, non quidem per inquisitionem rationis naturalis, sed inquisitionem eorum, quæ dicta sunt à Deo, & miraculis confirmata; dicatur autem cum assensu, quia licèt credere sit actus quidam intellectus, non tamen nisi ut est à voluntate determinatus. *Secundum est*, quia cùm fides in ratione ponatur, ut infrà dicetur, & virtus cogitativa, quæ scilicet versatur circa intentiones particulares, sicut & intellectus circa universales, ad partem spectet sensitivam, ideo non supponit fidei cogitatio pro actu cogitativæ virtutis, sed nec pro qualicumque actuali consideratione intellectus, cùm per hunc modum, etiam qui considerat ea quæ scit, vel intelligit, cum assensione cogitet, nec tamen dicatur credere, sed potiùs videre, cùm sit hoc absque inquisitione, & deliberatione.

ART. 2. *Vtrum convenienter distinguantur actus fidei per hoc, quod est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.* ℟. *Affirmativè*, non quòd per ista tria designentur diversi actus fidei, sed ita quod unus & idem actus tres hujusmodi habeat ad fidei objectum relationes. *Primum est*, quia cùm intellectus fide formatus tripliciter se habeat ad objectum; vel enim actus ipsius in se consideratur, non considerata voluntate ut movente, & tunc si fertur ut in objectum materiale in Deum, ad quem omnia aliqualiter pertinent, & reducuntur credibilia, credimus Deo; si ut in objectum formale,

credimus Deum, quasi sicut medium propter quod credibilibus assentimus; unde nec convenit infidelibus sub ea ratione, qua ponitur actus fidei, utpote qui non attingunt totaliter Deum sub his conditionibus, quas determinat fides: vel actus ille intellectus consideratur ut est à voluntate motus, quæ quidem moves ad assentiendum; & tunc dicamur credere per intellectum ex voluntate in Deum, in quem scilicet per voluntatem, ut in finem tendimus; ideò ex variis relationibus ad objectum congruè distinguntur in actu fidei, credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. *Secundum est*, tum quia unius habitus, qualis est fides, unus est actus; tum quia credere Deum invenitur communiter in quolibet fidei actu, utpote quæ primæ veritati innititur.

Vrum credere aliquid supra rationem naturalem, sit necessarium ad salutem. ℟. *Affirmativè*, ita quod salus, seu beatitudo & perfectio nostra non nisi in quadam supernaturali Dei participatione consistat, & non nisi credendo ad hanc perveniatur. *Primum est*, quia cùm ad perfectionem cujuscumque naturæ inferioris subordinatæ non solùm requiratur quod est secundùm motum proprium, sed etiam aliquid secundùm motum superioris naturæ, unde cœli inferiores suo & superioris orbis motu moventur; & creatura rationalis habeat prout rationalis immediatum ordinem ad Deum primum motorem, quia non solùm participat bonum particulare, ut aliæ, sed etiam cognoscit rationem universalem boni; ideò non in eo, quod ei convenit secun- ART. 3.

dùm naturam, consistit ipsius perfectio, sive beatitudo, & salus; sed in eo, quod ei tribuitur ex supernaturali perfectione divinæ bonitatis, id est in visione supernaturali Dei. *Secundum est*, quia cùm ad hujusmodi perfectionem non possit homo pervenire nisi per modum addiscentis à Deo Doctore, secundùm illud, *Omnis qui audit à Patre, & didicit, &c.* hujus autem disciplinæ fiat homo particeps successivè, juxta scilicet modum suæ naturæ; & qui sic addiscit, ut veniat ad perfectam scientiam, debeat credere, ut ait Arist. ideò ut perveniat homo ad præfatam perfectionem, in qua est salus, debet Deo, à quo movetur, ut discipulus à Magistro, fidem præstare, quæ quidem invisibilia Dei altiori modo quantum ad plura percipit, quàm ratio naturalis ex creaturis in Deum procedens, & quidem absque periculo, quanvis periculosè dicatur homo assentire his, in quibus nequit judicare, utpote cùm per virtutis habitum habeat homo rectum judicium de his, quæ huic conveniunt virtuti; & consequenter per fidei lumen divinitus infusum assentiat solùm his, quæ sunt fidei, non autem contrariis.

ART. 4. *Vtrum credere ea quæ ratione naturali probari possunt, sit necessarium.* ℞. *Affirmativè*, non quòd omnia ratione scibilia æqualiter proponi debeant ut credenda; sed ita quod plura ex divinis, quæ per rationem sciri possunt, tradi debuerint per modum fidei, quasi à Deo dicta. *Primum est*, quia & est hoc necessarium, ut citiùs homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat; quandoquidem ad scientiam, cujus est pro-

bare Deum esse, non nisi variis scientiis pervenitur; & necessarium est, ut cognitio Dei sit communior, cùm non omnes possint scientiis incumbere, nec sufficiat investigatio naturalis ad cognitionem divinorum, quam fideles habere debent: tùm etiam necessarium propter certitudinem, utpote cùm ea, quæ per fidem accepta sunt, non possint esse falsa, sicut cognita per rationem humanam. Vnde de eodem non potest quidem esse scientia, & fides apud eundem, sed apud diversos maximè. *Secundum est,* quia quanvis omnia scibilia in una conveniant ratione scientiæ, quia tamen non æqualiter ordinantur ad beatitudinem, ideò nec æqualiter proponuntur credenda.

Vtrum homo teneatur ad credendum explicitè. ℟. *Affirmativè*, non quidem taliter, quod omnia, quæ Scriptura continet, teneatur credere explicitè; sed ita quod quantum ad prima credibilia, quæ sunt Fidei articuli, teneatur credere explicitè, sicut & tenetur habere fidem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm circa actus virtutum, de quibus dantur præcepta legis, determinatio actus sit de necessitate præcepti æquè ac actus, quando scilicet sumitur ex habitudine ad objectum proprium virtutis, non autem quando sumitur per ordinem ad ea, quæ se habent accidentaliter ad objectum, nisi fortè pro loco & tempore; ideò cùm prima credibilia, seu Fidei articuli sint objectum proprium & per se Fidei, utpote per quæ, & eorum visionem homo beatus efficitur, ad differentiam aliorum, quæ continet sacra Scriptura; ideò, inquam fit, quod alia quidem credibilia teneatur solùm ho- ART. 5.

mo credere implicitè, seu in præparatione animi, eaque solùm teneatur credere explicitè, cùm ei constiterit in doctrina Fidei contineri; quia ista secundariò se habent ad objectum Fidei: sed quantum ad prima credibilia teneatur homo determinatè & explicitè credere, juxta illud Apost. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator est*; sicut & quisque tenetur aliqua determinatè diligere, ut Deum, & proximum, eo quòd sunt ista per se objectum charitatis, nec sufficit diligere in præparatione animi; esto quod quia virtus obedientiæ est in voluntate subditâ, ideo ad ejus actum satis sit promptitudo voluntatis subjectæ præcipienti. Vnde & ad credendum explicitè potens est homo, sed tamen cum auxilio gratiæ, quod quidem quibuscumque datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, ut dicit Augustinus.

Lib. de corrept. & grat. cap. 5.

Art. 6. *Vtrum omnes æqualiter teneantur ad habendam fidem explicitam.* ℞. *Negativè*, ita quod ad plura teneantur majores, quàm minores, quos instruunt; quanvis non ita, quod humana majorum cognitio sit propterea Fidei regula in minoribus. *Primum est*, quia explicatio credendorum cùm fiat per revelationem divinam, & ita ex Dion. ordine quodam à Deo ad hominem procedat, sicut & homines per Angelos doceri solent, & inferiores Angeli per superiores; ideò & magis participabunt fidem superiores, qui alios docere debent. Vnde nec est explicatio credendorum quantum ad omnes æqualiter de necessitate salutis, quia plura de-

Cap. 4. & 7. Cœl. Hier.

bent explicitè credere majores, quàm minores; neque examinandi sunt simplices de subtilitatibus Fidei, nisi quando esset suspicio; sed nec id eis imputaretur in culpam, nisi in eis inveniretur pertinacia. *Secundum est*, quia cùm minores non habeant fidem implicitam in fide majorum, nisi quatenus isti divinæ adhærent doctrinæ; ideò nec est in hoc casu humana istorum cognitio regula Fidei, sed magis veritas divina.

Vtrum explicitè credere mysterium Incarnationis sit de necessitate salutis ad omnes. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod oportuerit mysterium hoc omni tempore esse creditum apud omnes; sed tamen diversimodè secundùm diversitatem personarum, & temporum. *Primum est*, quia cùm hoc sit necessarium credere omni tempore apud omnes, unde pendet salus; & tale sit hoc mysterium, juxta illud, *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; ideò & hoc mysterium oportuit omni tempore esse aliqualiter creditum apud omnes. Vnde nec omninò latuit Angelos, per quos ad nos pervenit revelatio, esto quod rationes aliquas posteà cognoverint revelante Christo. Neque quæsivit Ioannes Baptista à Christo, *Tu quis es?* quasi ipse ignoraret, sed ut per Christi responsionem suos doceret discipulos: sed nec qui ex Gentilibus salvati sunt, fuere sine fide de eo, saltem implicita, credentes scilicet Deum liberatorem secundùm modos sibi placitos. Quin immò & multis Gentilibus fuit facta expressa revelatio de Christo, ut patet Iob 19. & de Sibyllis, quæ quædam

ART. 7.

Actor. 4.

prænuntiarunt de Christo, ut August. dicit: Lib. 13. contra Faustũ, cap. 15. *Secundum est*, quia ante peccatum homo illud cognovit, sed ut erat ordinatum ad consummationem gloriæ; post peccatum verò etiam quantum ad passionem, & resurrectionem, quibus scilicet debebat homo à peccato liberari; aliter enim non præfiguraſſet Christi passionem quibusdam sacrificiis, quorum quidem significationem cum cognoscerent majores explicitè, & minores tanto magis, quanto Christo fuere propinquiores; ideo post Christum, & tempore gratiæ, tam majores, quàm minores tenentur de necessitate salutis explicitè credere, quanvis non omnes quantum ad subtiles considerationes, sed pro ratione status.

ART. 8. *Vtrum explicitè credere Trinitatem sit de necessitate salutis.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & ante Christum fuerit explicitè creditum à majoribus, & obumbratè à minoribus; & post Christum teneantur & majores, & minores ad illud explicitè credendum. *Ratio utriusque partis est*, quia in mysterio Incarnationis continetur, & agnoscitur Trinitas personarum, in eo scilicet quod Filius Dei carnem assumpsit de Spiritu sancto conceptus; & ideò sicut Incarnatio, sic & Trinitas debuit explicitè quidem credi à majoribus ante Christum, & implicitè à minoribus; sed post tempus gratiæ divulgatæ, in quo quidem per Christum, & per Apostolos manifestata est fides mundo, debuit quantum ad omnes credi explicitè, quod quidem adipiscũtur per invocationem ejusdem Trinitatis in Baptismo. Vnde omni quidem tempore, & quoad omnes necessarium fuit ex Apost. credere quod Deus est,

& quod remunerator est; non tamen est sufficiens omni tempore, & quoad omnes: sed & summa Dei bonitas, esto quod juxta modum, quo nunc intelligitur per effectus, possit intelligi absque Trinitate personarum, non tamen secundùm quod intelligitur in seipsa prout videtur à Beatis, nec consequenter secundùm quod respondet fidei.

Vtrum credere sit meritorium. ℞. *Affirmativè*, non quòd possit fides sine charitate actum producere meritorium; sed ita quod superveniente charitate possit actus fidei, & quoad assensum, & quoad considerationem rei creditæ fieri meritorius. *Primum est*, quia cùm actus dicatur meritorius, ut est à libero arbitrio moto à Deo; & credere sit actus intellectus assentientis veritati divinæ imperio voluntatis à Deo motæ, & ita subjacens libero arbitrio; ideò & potest esse meritorius, si aliunde superveniat charitas, qua in Deum ordinetur, & propter Deum; & quidem nedum ex parte considerationis, in qua & scientia & opinio possunt etiam esse meritoriæ ex fine; sed & quantum ad assensum, ad quem inducitur sufficienter, ut non leviter credat, authoritate scilicet divinæ doctrinæ, miraculis & interiori instinctu, ad differentiam scientiæ, cujus quidem assensus non subjacet libero arbitrio; necnon & opinionis, quæ cùm non habeat firmum assensum, habet ex hac parte minimum meriti. *Secundum est*, quia cùm natura se habeat ad charitatem ut materia, & fides ut dispositio, quæ quidem non operantur, nisi adveniente forma, quæ est ipsa charitas, ideò nec actus fidei, nec naturæ potest absque charitate esse meritorius. ART. 9.


ART. 10. *Vtrum ratio inductiva ad ea, quae sunt fidei, minuat meritum fidei.* ℟. *Negativè*, si tamen se habeat ad voluntatem credentis non quidem antecedenter, sed consequenter. *Primum est*, quia ubi talis ratio se habet solùm consequenter, ut accidit quando quis habens voluntatem promptam ad credendum, & diligens veritatem creditam, inde super eam excogitat, si quas rationes potest ad hoc invenire, tunc potiùs est signum majoris meriti; quandoquidem sicut passio consequens in virtutibus est signum promptioris voluntatis, sic & ratio consequens fidem. Vnde quanvis demonstrationes, quae quidem non possunt esse de rebus fidei, sed de praeambulis ad fidem, tollant rationem fidei, quia faciunt rem apparentem; non tamen minuunt fidei meritum, cùm non minuant charitatem, quâ fit voluntas prompta ad credendum; sed nec minuit ratio coadjuvans, esto quod magis mereantur sapientes qui à fide non recedunt per rationes Philosophorum, sicut & Martyres, utpote cùm non minuat promptitudinem voluntatis. *Secundum est*, quia cùm nemo debeat credere ob rationem humanam, sed propter authoritatem divinam; ideò si talis ratio sit antecedens, id est si ipsa sola sit causa ut credamus, aliàs non credituri, tunc haud dubiè minuit meritum fidei. Vnde & in hoc casu locum habet authoritas D. Greg. dicentis, *Fides non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum.*

IN QVAESTIONEM III.

De exteriore actu Fidei.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum *confessio sit actus Fidei.* ℟. *Affirmativè*, si tamen sermo sit, non de

quavis confessione, sed de confessione eorum, quæ sunt fidei. *Primum est*, quia cùm actus externi illius sint virtutis, ad cujus finem ordinantur, quo modo jejunium est actus abstinentiæ, quia ad ejus finem refertur; & exterior illa loquutio ordinetur ad manifestandum conceptum internum eorum, quæ sunt fidei; credimus enim, inquit Apost. propter quod & loquimur; ideò & 2.Cor.4. est hæc confessio oris proprius fidei actus, non autem fortitudinis, quæ cùm solùm removeat impedimentum confessionis fidei, timorem scilicet, & erubescentiam, est solùm causa per accidens confessionis fidei; & quidem quanvis alia exteriora opera non ponantur fidei actus, utpote quæ non producit fides, nisi aliis mediantibus virtutibus; cùm tamen confessionem producat tanquam proprium actum, nullâ aliâ mediante virtute. *Secundum est*, quia præter confessionem eorum, quæ sunt fidei, est & confessio laudis, quæ quidem ad latriam; & alia peccatorum, quæ ad pœnitentiam spectat.



Vtrum confessio fidei sit necessaria ad salutem. ℟. *Affirmativè*, non quidem taliter, quod obliget pro semper, sed ita quod ubi, & quando subtraheretur per omissionem honor Deo debitus, vel etiam utilitas proximi, toties obliget ad salutem. *Primum est*, quia cùm finis fidei sit charitas, & ita non sufficiat, ut quisque per fidem conjungatur veritati divinæ, sed oporteat, ut cùm charitas postulaverit, exteriùs confiteatur fidem; ideò casu quo per omissionem talia subtraherentur Deo & proximo, sive si per taciturnitatem crederetur vel quod quis ART.2.

non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, & sic alij ex hoc à fide averterentur, in tali inquam casu periclitantis fidei, non solùm majores, sed & quilibet tenetur fidem propalare, vel ad instructionem proximi, vel ad confirmationem, aut ad infidelium reprimendam insultationem; ita tamen, quod ubi non adesset fidei, vel fidelium utilitas, sed potiùs perturbatio infidelium, non expediat tunc confessio fidei. *Secundum est*, quia cùm confessio fidei sit sub præcepto affirmativo, non est semper de necessitate salutis, sed pro tempore, & & aliis circunstantiis.

IN QVÆSTIONEM IV.

De ipsa fidei virtute.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum sit competens fidei definitio, Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. ℞. *Affirmativè*, ita quod & detur per actus in ordine ad objecta, sicut & omnis bona definitio habitus; & faciat differre definitum ab aliis. *Primum est*, quia cùm actus fidei sit credere ex imperio voluntatis, proindeque debeat dicere ordinem ad objectum & intellectus, & voluntatis; ideò cùm objectum voluntatis sit res sperata, fidei verò res non visa, quæ quidem duo explicantur, cùm dicitur Substantia, id est prima inchoatio rerum sperandarum in nobis per assensum fidei, quæ continet res sperandas; & argumentum non apparentium, id est convictio eorum, quæ non videntur, sumendo scilicet argumentum, non id quod sumitur ex principiis rei, sed ex authoritate divina, quæ quidem non facit res apparentes; consequenter fit, quod hæc sit competens fidei definitio, definitæ

ad modum habitus, adeo ut huic æquivaleat, qua definitur fides, Habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens assentiri non apparentibus. Unde non sumitur ibi substantia ut est genus ab aliis divisum, sed ut est primum & inchoativum in quolibet genere, alia in se virtute continens; nec ponitur in hac definitione fidei res diligenda, quanvis magis perficiatur fides charitate, quàm spe, utpote quia spes semper est absentium, & non visorum, non ita charitas: sed nec ibi dicunt substantia & argumentum diversa genera, sed potiùs diversas habitudines unius actus ad diversa objecta; quod quidem requiritur ad fidem, ut dictum est.

Vtrum fides sit in intellectu sicut in subjecto. ℞. *Affirmativè*, non quòd non debeat esse in voluntate, sicut & in intellectu habitus aliquis, ut actus fidei sit perfectus; sed ita quod proprium principium actus fidei sit habitus, non qui est in voluntate, sed qui subjectatur in intellectu. ***Ratio utriusque partis est***, quia cùm credere, quod est actus fidei, sit actus intellectus, ut est motus à voluntate, quorum quidem utrumque natum est perfici habitu; ideo nec potest talis actus esse perfectus, nisi utrumque principium etiam perficiatur per habitum, qui est dispositio ad bene agendum; sed quia objectum actus, qui est credere, est verum, quod propriè pertinet ad intellectum; ideò & habitus, qui est proprium principium talis actus, scilicet fides, est ille, qui subjectatur non in voluntate, sed in intellectu; & quidem speculativo, ut patet ex fidei objecto, quanvis fides per extensionem ART. 2.

fiat practica, dum scilicet per dilectionem operatur, eo quòd prima veritas, quæ est ejus objectum, sit omnium nostrarum actionum finis. Vnde cum ait Augustinus, fidem esse in voluntate, non nisi fidei actum intelligit, quatenus assentitur imperio voluntatis; nec ita sufficit ad fidei assensum ut voluntas sit prompta ad obediendum Deo, quin etiam oporteat, ut intellectus sit dispositus per fidei habitum ad exequendum imperium voluntatis.

Art. 3. *Vtrum charitas sit forma Fidei.* ℟. *Affirmativè*, non quòd sit charitas forma intrinseca fidei; sed ita quod formetur actus fidei, & perficiatur per charitatem. *Primum est*, quia cùm quod est finis in actibus voluntariis sit forma, utpote cùm à fine specificentur; & objectum charitatis, quod est bonum divinum, sit finis fidei, quandoquidem ad illud fides ordinatur, tanquam ad finem; ideò & charitas est forma fidei, sed prout ejus informat actum, seu ultimatè perficit; unde nihil prohibet, quod eorum quæ quasi ex opposito dividunt genus, unum sit in hoc sensu forma alterius, cum nihil prohibeat, unum actum à diversis habitibus informari, & ad diversas reduci species ordine quodam. *Secundum est*, quia forma intrinseca, & id cujus est forma, sunt in eodem; cùm tamen fides sit in intellectu, & charitas in voluntate.

Art. 4. *Vtrum fides informis possit fieri formata, vel è converso.* ℟. *Affirmativè*, ita quod nec tollatur fides informis adveniente fide formata; nec maneat cum formata fides informis, quasi alius ab ipsa habitus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm fides sit perfectio

fectio intellectus, proindéque per se solùm ad fidem pertineat, quod pertinet ad intellectum; ideò cùm solùm diversificetur habitus per id, quod per se ad ipsum pertinet; distinctio autem fidei formatæ, & informis sumatur secundùm id quod pertinet ad voluntatem, quæ quidem non pertinet per se ad fidem, non potest per consequens ex eo diversificari habitus, seu mutari fides quando ex informi fit formata, vel è converso; sed solùm mutatur fidei subjectum, scilicet anima. Et quidem quanvis ex Apostolo, perfectũ evacuet quod ex parte est, utpote quod intelligitur dictum, quando imperfectio est de ratione rei imperfectæ, cujusmodi non est informitas respectu fidei, ad differentiam ejus, quod dat vitam animali quod cùm sit de ipsius ratione, ideo nec animal mortuum fit vivum. Vnde nec tollitur fides informis adveniente formatâ, & errant qui contrarium asserunt, cùm unum Dei donum non excludat aliud; nec manet cum formatâ informis, quasi alius habitus, præsertim cùm tunc maneret otiosus, ita tamen, quod non nisi per accidens fit, quod gratia adveniens fideli, in eo denuò non causet fidem, quam causat adveniens infideli, eo quòd scilicet jam illam habeat.

Vtrum fides sit virtus. ℟. *Affirmativè*, non quidem informis, sed fides formata. ART. 5. *Primum est*, quia cùm habitus, qui est principium boni actus, sit virtus, quæ quidem est, quâ actus redditur bonus; & talis sit fides formata, quandoquidem ipsius actus infallibiliter tendit per intellectum in suum bonum, scilicet verum; & per voluntatem ordinatur à charitate, quâ formatur in fi-

nem ultimum; ideò cùm hæc tantùm duo ad perfectum fidei actum requirantur, qui quidem est actus intellectus assentientis vero ex imperio voluntatis, erit fides formata virtus, ad differentiam fidei humanæ, quæ cùm non innitatur veritati divinæ, sed rationi humanæ, cui potest subesse falsum,
In 6.Eth. nec etiam ponitur à Philosopho inter virtutes intellectuales. Cum quo tamen stat, quod adhuc fides ponatur gratia gratis data, sumpta scilicet pro aliqua fidei excel-
1.Cor. 12. lentia, ut pro constantia, aut pro sermone fidei; necnon & inter fructus, secundùm
ad Gal. 5. quod aliquam habet delectationem in suo actu ratione certitudinis. *Secundum est*, quia etsi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen habet ex parte voluntatis, ut patet: atque ita cùm differat à formata, sicut imperfectum & perfectum in eadem specie;
In 7.Eth. virtus autem sit perfectio quædam, ut dicitur, non erit fides informis virtus.

ART. 6. *Vtrum fides sit una virtus.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit numero differens in diversis; sed ita quod sive sumatur pro habitu, quo credimus, sive pro eo quod creditur, una sit specie. *Primum est*, quia cùm objectum formale, ex quo quidem fides, & quilibet alius habitus sortitur speciem, sit unum in fide, scilicet prima veritas, cui etiam inhærendo credimus quæcumque sub fide continentur, sive temporalia, sive æterna; ideo & est una specie fides, etiam ex parte credibilium, ad differentiam scientiæ & sapientiæ, quæ quidem considerantes temporalia, & æterna secundùm proprias rationes, non autem cum ordine ad

unum, sunt etiam ab invicem differentes, & quidem quanvis non confiteamur factum, quod antiqui Patres confitebantur futurum; nec enim est diversitas hæc futuri & præteriti ex aliqua diversitate rei creditæ, sed ex diversa habitudine credentium. *Secundum est*, quia cùm habitus individuetur à subjecto, ideò & numericè diversificatur fides secundùm quod est diversorum hominum.

Vtrum fides sit prima inter virtutes. Art. 7.
℟. *Affirmativè*, non quòd non possit esse per accidens aliqua prior, sed ita quod per se loquendo sit fides prima inter omnes virtutes. *Primum est*, quia cùm in agibilibus finis ipse sit principium, ideò necesse est, virtutes theologicas, quarum quidem objectum est finis ultimus, esse cæteris virtutibus priores; sed quia finis hic ultimus priùs esse debet in intellectu, quàm in voluntate, cùm voluntas non feratur nisi in cognitum, est consequenter fides etiam inter theologicas prior. Vnde nec dicitur spes introducere ad fidem, nisi prout facit, quod aliquis perseveret in fide, & ei firmiter adhæreat; nec est obedientia specialis virtus prout requiritur ad fidem, sed solùm importat inclinationem voluntatis ad divina implendum mandata: sed neque actus voluntatis, qui ad fidem præexigitur, habet esse charitate formatus, utpote cùm voluntas non possit perfectè Deum amare per charitatem formantem, nisi intellectus de eo rectam habeat fidem. *Secundum est*, quia dicitur virtus prior fide per accidens, prout removet impedimenta credendi; quod quidem fieri potest, ut patet in for-

titudine, quæ quidem timorem removet inordinatum impedientem fidem, unde & dicitur fidei fundamentum; ita tamen quod in eo priori non sit vera virtus, quæ quidem vera nusquam est, ex Augustino, nisi præsuppositâ fide.

Glossa in 12. Luc. Lib. 4. contra Jul. c. 3.

Art. 8. *Vtrum fides sit certior scientiâ, & aliis virtutibus intellectualibus.* R. *Affirmativè*, si tamen dicatur certior, non quidem solùm ex parte subjecti, quod scilicet pleniùs consequitur intellectus humanus; sed simpliciter, sive ex parte causæ, quod scilicet certiorem habet causam. *Primum est*, quia cùm innitatur fides veritati divinæ tanquam causæ formali, quæ quidem certior est ratione humana, cui innituntur scientia, sapientia & intellectus, ut sunt virtutes intellectuales; ideò & est fides, subindéque & simpliciter certior, non solùm arte, & prudentiâ, ratione materiæ, quia scilicet est de æternis; sed etiam aliis tribus, ut sunt virtutes intellectuales; imò & illis certior, ut sunt dona Spiritus sancti, utpote quæ comparantur ut talia ad fidem tanquam ad principium quod præsupponunt, quod quidem ex ratione principij habet esse certius; esto quod dicantur hæc tria fidem excedere, non quidem quantum ad certiorem inhæsionem, sed quantum ad majorem manifestationem. Vnde quod credentes possint dubitare, non illud est ex parte causæ fidei, sed ex parte nostri, qui non plenè assequimur per intellectum quæ sunt fidei; sed nec contrarium sequitur ex eo quod visus sit certior auditu, utpote quod intelligitur, cæteris paribus; non autem si ille, à quo auditur, multùm excedat visum videntis,

ut est in fide. *Secundum est*, quia quæ sunt fidei superant intellectum hominis, qui proinde pleniùs consequitur, & percipit ea quorum est scientia, & consequenter, qui est per illam certior ex parte subjecti, & secundùm quid.

IN QVÆSTIONEM V.

De habentibus fidem.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum Angelus, aut homo in prima sui conditione habuerint fidem.* ℞. *Affirmativè*, non quòd inesset eis fides, quâ ita quæreretur Deus absens, sicut à nobis quæritur; sed ita quod Deus ut prima veritas non esset ita eis præsens, ut ab eis fidem excluderet. *Primum est*, quia quanvis qui ponunt Angelos & hominem creatos in puris naturalibus, possint tueri, non habuisse fidem, quia fides est donum supra naturam; cùm tamen dictum sit eos creatos esse in gratia, accepta quidem, sed nondum consummata; ideo & debuit esse in eis aliqua beatitudinis inchoatio, quæ quidem in intellectu fit per fidem, adeò ut manifestatio quam de divinis mysteriis habuerunt, non tolleret rationem fidei, utpote cùm prima veritas, de qua est principaliter fides, non clarè ab eis videretur; nec nisi contemplatio patriæ, quæ est visio Dei per essentiam, rationem excludat fidei. Vnde licèt in Angelo & homine non esset in illo statu obscuritas culpæ, erat tamen obscuritas quædam naturalis, quæ sufficiebat ad rationem fidei; quæ quidem fides adhuc erat in illo statu ex auditu, non ab homine exteriùs loquente, sed à Deo interiùs inspirante. *Secundum est*, quia cùm dici possit, illos aliqua de divinis cognovisse, quantum ad ma- 1. 2. q. 62. art. 3.

teriale objectum fidei, quæ nunc tantùm cognoſcuntur per fidem, utpote quia habuerunt tunc altiorem de Deo contemplationem, cognoſcendo ſcilicet creatorem, ut ait Hugo, non ea cognitione, quæ foris auditu ſolo percipitur, ſed eâ quæ intus per inſpirationem miniſtratur; ideò non ſic in eis erat fides, quâ ita quæreretur Deus abſens, ſicut à nobis quæritur.

ART. 2. *Vtrum in dæmonibus ſit fides.* ℟. *Affirmativè*, non quæ ſit donum gratiæ, vel in ipſis laudabilis; ſed quæ coacta ſit ex evidentia ſignorum. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm intellectus aſſentiatur ex fide rei creditæ per imperium voluntatis, utpote quam non videt nec in ſe, nec per reſolutionem ad ſua principia; & quod voluntas moveat intellectum ad aſſentiendum, poſſit eſſe vel ex ordine voluntatis ad bonum, & ſic credere eſt actus laudabilis; vel quia intellectus convincitur, ut judicet eſſe credendum, non quidem propter rei evidentiam, ſed per certa ſigna; & ſic eſt in dæmonibus, quatenus ſcilicet vident indicia, quibus percipiunt Eccleſiæ doctrinam eſſe à Deo; ideò & eſt in dæmonibus fides, non quæ ſit in ipſis laudabilis, cùm non indicet voluntatem bonam; nec quæ ſit donum gratiæ, cùm non ſit propter bonum; ſed quæ coacta ſit ex evidentia ſignorum, ſive ex perſpicacitate naturali intellectus, quâ ipſis evidentia apparent. Vnde non ex hoc quod dæmones credunt, minuitur proptereà eorum malitia, cùm eis diſpliceat fidei ſigna eſſe talia, ut per ea compellantur credere.

ART. 3. *Vtrum qui diſcredit unum articulum fi-*

dei, possit habere fidem informem de aliis articulis. ℞. *Negativè*, non quòd non possit alios tenere articulos, quæ sunt fidei, sed ita quod non teneat ex fide, sed ex voluntate & proprio judicio. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm tollatur habitus sublata ratione formali objecti, à qua sumitur species; & formalis ratio objecti fidei, quæ quidem est divina veritas prout manifestata per doctrinam Ecclesiæ, non possit non tolli, cùm quis discredit pertinaciter unum fidei articulum, utpote qui non ampliùs adhæret doctrinæ Ecclesiæ ut regulæ infallibili; ideò fit quòd quanvis possit quis scire quasdam conclusiones unius scientiæ, aliis ignoratis, utpote cùm sint in ea diversa media per quæ probantur; non tamen possit fide tenere unum articulum, & alium pertinaciter discredere, cùm omnibus inhæreat fides propter medium unum, scilicet propter primam veritatem nobis in Scripturis propositam secundùm doctrinam Ecclesiæ intelligentis sanè; à quo proinde medio qui decidit, totaliter fide caret; sicut & quando referuntur mandata legis, non ad motiva proxima, sed ad unum motivum primum, quod est perfectè obedire Deo, ab eo decidit quicumque unum transgreditur præceptum, juxta illud: *Qui offendit in uno factus est omnium reus.* Vnde alios quidem articulos tenere potest, non tamen sicut fidelis, inhærendo simpliciter veritati primæ per Ecclesiam manifestatæ, ad quod quidem indiget homo habitu fidei, sed per opinionem quandam secundùm propriam voluntatem; sicut & qui mente tenet unam conclusionem scientiæ, aliter quàm per me- Iacob. 2.

dium illius demonstrativum, non habet ejus scientiam, sed opinionem solùm.

ART.4. *Vtrum fides possit esse major in uno, quàm in alio.* ℟. *Affirmativè*, non quidem ex parte formalis objecti fidei, sed vel secundùm majorem fidei explicationem ex parte materialis, vel ex parte subjecti propter majorem firmitatem in intellectu, & promptitudinem majorem in voluntate. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm objectum formale fidei sit unum & simplex, ideò & est fides ex parte illius una specie in omnibus; sed quia sic inhærentes primæ veritati, quidam firmiùs ex parte intellectus, & devotiùs, seu promptiùs ex voluntate se ei subjiciunt, ideo & potest fides esse in hoc sensu major ex parte subjecti; sed insuper & secundùm majorem fidei explicationem ex parte materialis objecti, utpote cùm multa proponantur credenda, nec omnia credantur explicitè ab omnibus, licèt fidelis quilibet credat omnia quæ sunt fidei, sicque possit explicatio credendorum esse major in uno, quàm in altero. Et quidem quanvis intellectus principiorum æqualiter inveniatur in omnibus, utpote qui naturam consequitur; cùm tamen fides donum gratiæ consequatur, quod non æqualiter est in omnibus.

IN QVÆSTIONEM VI.

De causa Fidei.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum fides sit homini à Deo infusa. ℟. *Affirmativè*, ita quod esse debeat à Deo, & ex parte propositionis credendorum, & quantum ad assensum, qui principalis est actus fidei. *Primum est*, quia cùm credibilia sint supra naturam, oportet per

consequens, ut à Deo proponantur, seu revelentur, vel immediatè, vel mediatè per prædicatores à Deo missos. *Secundum est*, cùm exteriora signa, seu miracula, vel persuasiones hominum non sint causa sufficiens assensus, utpote cùm videamus alios propter hujusmodi credere, aliis nihilominus non credentibus; ideò oportet ponere Dei gratiam interiùs ad assensum moventem, adeò ut quia auditus & miracula sunt quidem causæ disponentes, non autem sufficientes fidei, non sit assensus fidei in voluntate hominis, nisi in ea quæ præparatur à Deo, ut credat. Vnde dicitur quidem fides ex Augustino, gigni, & nutriri per scientiam, sed solùm per modum exterioris persuasionis: sed nec verum est, initium fidei quoad assensum esse ex nobis, quasi ex nobis, id est ex solo libero arbitrio, ut Pelagiani ponebant, utpote cùm homo assentiendo his, quæ sunt fidei, elevetur supra naturam suam, proindéque debeat hoc esse à supernaturali principio interiùs movente.

ART. 2. *Vtrum fides informis sit donum Dei.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & sit Deus causa fidei, quæ est informis; & non propterea causa sit informitatis fidei. *Primum est*, quia cùm illud sit causa fidei informis, quod est causa fidei simpliciter dictæ, utpote quia fidei informitas non pertinet ad rationem speciei ipsius, cùm dicatur informis ex privatione exterioris formæ, scilicet charitatis; ideò cùm Deus sit causa fidei simpliciter dictæ, erit etiam causa fidei informis, adeò ut licèt fides informis non sit perfecta perfectione virtutis, sit tamen perfecta eâ perfectione, quæ sufficit ad fidei rationem, & conse-

quenter ad donum Dei: nec enim est inconveniens, quod quis accipiat à Deo fidem sine charitate, sicut donum prophetiæ, &c. *Secundum est*, quia cùm tunc solùm causet quis privationem, qualis est informitas, cùm speciem causat, quando privatio pertinet ad rationem speciei, ut privatio commensurationis humorum in ægritudine, & in actu morali deformitas à recta ratione; ideo cùm non sic spectet informitas ad fidem, ut dictum est, sed potiùs superveniat sicut tenebrositas diaphano, potest proinde Deus causare non quidem actum moralem difformem, sed fidem informem, absque eo quod causa sit informitatis fidei.

IN QVÆSTIONEM VII.

De effectibus Fidei.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum timor sit effectus fidei? ℞. *Affirmativè*, & quidem sive supponat pro servili timore, sive pro filiali; sed filialis ex fide formata, & servilis ex informi. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm causa timoris sit apprehensio alicujus boni ne amittatur, vel mali pœnalis, & per fidem fiat apprehensio de quibusdam malis, quæ secundùm divinum judicium inferuntur, necnon existimatio quædam de Deo, quod sit immensum bonum, unde timet quis ab eo separari, & refugit filiali reverentiâ se ipsi comparare; ideò cùm non possit hujusmodi timor universaliter præcedere fidem, sed necessariò præsupponat cognitionem aliquorum articulorum, est consequenter fides, cujus formale objectum est quidem bonum, sed materiale possunt esse quædam mala, ut à Deo puniri: est, inquam, causa timoris, esto quod sit etiam causa spei, qua-

tenus idem secundùm diversa potest esse causa contrariorum. Ita tamen, quod timoris servilis causa sit fides informis, sed causa filialis sit fides formata, utpote quæ per charitatem facit hominem Deo adhærere, & subjici.

Vtrum purificatio cordis sit effectus fidei. ART. 2.
℞. *Affirmativè*, ita quod primum principium purificationis cordis sit fides; quæ tamen perfectam purificationem non causat, nisi perfecta per charitatem. *Pridum est*, quia cùm creatura rationalis à sua impuritate, quam quidem habet ex eo quod se immiscet per amorem vilioribus, seu temporalibus, liberetur per contrarium motum, dum tendit in id, quod supra se est, scilicet in Deum; ideò cùm principium hujus motus sit fides, quia ex Apost. accedentem ad Deum oportet credere, est etiam fides primum purificationis cordis principium, quâ scilicet tollitur, non quidem omnis obscuritas, cùm purificet fides intellectum secundùm statum præsentis vitæ, cui non opponitur obscuritas quæ est quædam naturalis defectus, sed impuritas erroris. Quanvis enim purificatio sit in affectu, ea tamen, quæ sunt in intellectu, ut fides, sunt causa eorum, quæ sunt in affectu. *Secundum est*, quia licèt fides informis excludat puritatem erroris sibi oppositam, unde etiam fides informis est causa puritatis cordis; nihilominus compatitur cum impuritate peccati, à quo solùm immunis est, quando formatur per charitatem, quia universa delicta operit charitas, ut dicitur; & ideò solùm tunc causat perfectam purificationē.

Hebr. 10.

Proverb. 10.

IN QVÆSTIONEM VIII.

De dono intellectus, quod Fidei respondet.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum intellectus sit donum Spiritus sancti.* ℞. *Affirmativè*, non quòd egeat homo intellectus dono ad omnia, respectu quorum dicitur intellectus; sed ita quod præter ea, quæ naturaliter intelligit, egeat supernaturalis luminis dono, quod dicitur intellectus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ea, ad quæ opus est intelligere, quasi intus legere, sint essentia, quæ sub accidentibus; causæ, quæ sub effectibus; significationes, quæ sub verbis; & veritas, quæ sub figuris latent; & homo, quia ordinatur ad beatitudinem, non solùm debeat quædam ita cognoscere principia communia, sed etiam ad altiora procedere: ideò quia quæ naturalem excedunt cognitionem, non cognoscit sine dono Spiritus sancti, eget consequenter dono intellectus, non quidem ad omnia respectu quorum dicitur intellectus, utpote qui etiam naturaliter spectatus intus legit, seu penetrat ad intima; sed ad ea, ad quæ non sufficit naturale lumen, quod quidem donum & dicitur intellectus, non rationis; quia ita se habet ad ea, quæ supernaturaliter cognoscuntur, sicut lumen naturale ad ea, quæ primordialiter innotescunt; & nominatur nomine intellectus, magis, quàm voluntatis, quia voluntas dicit simpliciter motum appetitivum sine determinatione alicujus excellentiæ.

ART. 2. *Vtrùm donum intellectus possit simul esse cum fide.* ℞. *Affirmativè*, non ita tamen, quod cadentia per se sub fide possint perfectè intelligi, sed ita quod & hæc possint imperfectè intelligi, & ea quæ ad hæc ordi-

nantur, perfectè. *Primum est*, quia cùm circa ea quæ sub fide per se cadunt, ut est mysterium Trinitatis, non pertingamus in hac vita essentiam rei intellectæ; & nihilominus cognoscamus secundùm ea, quæ exteriùs apparent, res hujusmodi fidei non contrariari veritati, neque ab earum fide recedendum esse; ideò non perfectum, sed imperfectum de his habemus intellectum. *Secundum est*, quia ea quæ per se non cadunt sub fide, sed ad ista ordinantur, sunt ferè omnia quæ in Scripturis continentur, quæ quidem nihil prohibet, etiam perfectè per donum intellectus penetrari. Vnde & dicitur, quod Dominus aperuit discipulis suis sensum, ut intelligerent Scripturas. Luc. ult.

Vtrùm donum intellectus, non tantùm sit speculativum, sed etiam practicum. ℞. *Affirmativè*, non quidem ut circa operabilia versetur principaliter, sed in quantum in agendis regulamur rationibus æternis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm operationes bonæ habeant ordinem quendam ad fidem, quandoquidem fides ex Paulo per dilectionem operatur; & donum intellectus etiam se extendat ad ea, quæ ordinem habent ad fidem, ut dictum est; ideò & est donum intellectus etiam circa operabilia humana, quæ quidem prout referuntur ad beatitudinis finem, quandam habent altitudinem excellentiæ; non ita tamen quod circa ea versetur principaliter, sicut nec fides cui respondet; sed quia pertinet ad dignitatem doni intellectus ut consideret intelligibilia æterna, non solùm in seipsis, ut intellectus speculativus, sed etiam ut sunt regula vitæ. Cognitio namque humanorum ART. 3. Gal. 5.

actuum ut regulantur à lege æterna, excedit naturalem rationem, & ideò indiget dono intellectus.

ART. 4. *Vtrum donum intellectus inſit omnibus habentibus gratiam.* ℞. *Affirmativè*, ita quod donum intellectus nunquam ſe juſtis ſubtrahat in neceſſariis ad ſalutem, eſto quod in quibuſdam aliis ſe aliquando ſubtrahat. *Primum eſt*, quia cùm in omnibus habentibus gratiam oporteat quod ſit rectitudo voluntatis in bonum ſupernaturale, ut ait Auguſt. & voluntas non poſſit rectè ordinari in dictum bonum ſine aliqua illius cognitione, quæ quidem eſt donum intellectus, quo ſcilicet cognoſcitur ſupernaturalis veritas, in quam intendenda eſt voluntas; ideò & eſt in illis, quoad hujuſmodi quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, donum intellectus; imò & aliqualiter in omnibus fidem habentibus, utpote qui, etſi non plenè intelligant quæ proponuntur, intelligunt tamen ea eſſe credenda, & ab eis non eſſe deviandum. *Secundum eſt*, quia circa alia, quæ non ita faciunt ad ſalutem, ad hoc quod ſuperbiæ materia ſubtrahatur, interdum etiam ſubtrahitur intellectus donum, ut non omnia ad liquidum per intellectum penetrare poſſint, ſed in aliquibus patiantur hebetudinem mentis.

ART. 5. *Vtrum donum intellectus inveniatur etiam in non habentibus gratiam gratum facientem.* ℞. *Negativè*, non quòd non inſit illis illuſtratio intellectualis, ſed ita quod in illis non pertingat ad perfectam doni rationem. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm intellectuale lumen ponatur donum, ut homo ſit à Spiritu ſancto facilè mobilis in

hoc, ut apprehendat veritatem circa finem, & rectam de fine ultimo æstimationem habeat; ideò cùm hanc æstimationem non habeat nisi qui circa finem non errat, sed ei adhæret tanquam optimo, quod non est nisi in habentibus gratiam gratum facientem, poterit quidem esse in aliis illustratio intellectualis, juxta illud August. *Prævolat intellectus, & tardè sequitur humanus atque infirmus affectus*; non ita tamen, quod pertingat ad perfectam doni rationem: & quidem etiamsi suponat pro intelligentia prophetiæ, utpote quæ non petit esse illustratio mentis circa æstimationem rectam de fine ultimo, quæ quidem est donum intellectus; sicut nec fides, quippe quæ ex se solùm dicit assensum ad ea quæ proponuntur.

Vtrum donum intellectus distinguatur ab aliis donis. ℟. *Affirmativè*, & quidem etiam à sapientia, scientia, consilio; quanvis non ita manifestè, sicut à pietate, fortitudine, & timore. *Primum est*, quia cùm ea, quæ fide tenentur, ad quorum quidem cognitionem ordinantur quatuor illa priora dona, debeant priùs percipi & penetrari, & hoc per donum intellectus, in quo à fide distinguitur, quæ non tam est ad percipiendum, quàm ad assentiendum: deinde ferri debeat judicium, quod eis firmiter inhærendum sit; quod si sit circa divina, fit per sapientiam; si circa humana, per scientiam, aplicatio autem ad actus humanos fiat per consilium; ideò & est unde ab istis tribus sufficienter distinguatur donum intellectus: & quidem quanvis versetur circa cognitionem speculativam, & practicam, utpote quod non est quantum ad judicium sicut in ART. 6.

aliis, sed quantum ad apprehensionem. Vnde & contraria hujusmodi donis, scilicet hebetudo, stultitia, ignorantia, & præcipitatio, sunt propriè & formaliter diversa, & unumquodque respicit suum contrarium, ut hebetudo intellectum, stultitia sapientiam, &c. *Secundum est*, quia cùm pertineat donum intellectus ad vim cognoscitivam, non potest non distingui manifestè ab aliis tribus, quippe quæ pertinent ad vim appetitivam.

ART. 7. *Vtrum dono intellectus respondeat sexta beatitudo, scilicet: Beati mundo corde, &c.* ℞. *Affirmativè*, ita quod respondeat dono intellectus & quantum ad id, quod in ea ponitur per modum meriti, scilicet munditia cordis; & quantum ad id, quod ponitur per modum præmii, id est visio Dei. *Primum est*, quia præter munditiam ab inordinatis affectibus, quæ fit per virtutes appetitivas, est etiam alia, scilicet depuratæ mentis, in his quæ de Deo proponuntur à phantasmatibus corporalium, & hæreticorum erroribus, quam quidem causat donum intellectus. *Secundum est*, quia visio Dei, sive perfecta, quâ de Deo videtur in patria quid est; sive imperfecta, quâ hîc quid non est, ad donum pertinet intellectus, illa scilicet ad donum consummatum, ista autem ad inchoatum; quandoquidem in futuro implebuntur dona, quæ hîc secundum quandam inchoationem nos perficiunt, ut perficit intellectus donum in ordine ad divina intelligenda.

ART. 8. *Vtrum in fructibus fides respondeat dono intellectus.* ℞. *Affirmativè*, in hoc scilicet sensu, quod pro proprio fructu re-

spondeat ei fides,id est fidei certitudo; sed pro ultimo fructu respondeat ei gaudium. *Primum est*, quia cum hoc donum principaliter ordinetur ad certitudinem fidei,quæ à Glossa ponitur fidei fructus, & quidem tanquam pertinens ad propriam potentiam, quam perficit donum; ideò & pro proprio fructu ei respondet fides, non quidem sumpta ut est virtus, cùm hoc modo fides sit prior, & intellectus sit potiùs quidam fidei fructus; sed pro quadam fidei certitudine, ad quam pervenit homo per donum intellectus. Vnde non nisi unicus respondet fructus (qui est certitudo signata nomine fidei) donis scientiæ, sapientiæ, & intellectus, quæ scilicet possunt ad speculativam cognitionem pertinere; esto quod parti appetitivæ plures respondeant fructus, utpote quia ratio finis magis ad appetitum pertinet, quàm ad intellectum. *Secundum est*, quia cùm fructus Spiritus sancti dicantur ultima & delectabilia,quæ in nobis proveniunt ex virtute Spiritus sancti; & ultimum, & delectabile habeat rationem finis, qui quidem est objectum voluntatis; ideò & huic dono respondet pro ultimo fructu gaudium, quod pertinet ad voluntatem, quodque proinde erit etiam fructus aliorum omnium, quæ pertinent ad alias potentias.

IN QVÆSTIONEM IX.

De dono Scientiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *scientia sit donum*. ℞. *Affirmativè*, ea scilicet, non quâ quis scit alios ad credendum inducere, sed quâ scit credenda discernere à non credendis. *Primum est*, quia cùm ad hoc ut intellectus huma-

nus assentiat veritati fidei, duo requiruntur: primum ut sanè capiat quæ proponuntur, quod est doni intellectus: alterum, ut certò & rectè de iis judicet, discernendo scilicet credenda à non credendis, quod spectat ad donum scientiæ; ideò cùm gratia, utpote naturâ perfectior, non debeat deficere in iis, in quibus natura perfici potest, id est in apprehensione, & judicio, ponendum est præter donum intellectus etiam donum scientiæ: quæ quidem duo, quanvis diversa, ad unam possunt ordinari virtutem theologicam, scilicet fidem, utpote cùm dona non sint perfectiora virtutibus theologicis, sed magis ad earum ordinentur perfectionem, tanquam ad finem. Ita tamen quod scientia hæc, quæ ponitur donum, cùm non sit effectus naturalis rationis, sed sit participata similitudo divinæ scientiæ, quæ intuitiva est, ideo nec sit ratiocinativa, vel discursiva. *Secundū est*, quia scientia, quâ scit homo etiam fidem manifestare, & alios ad credendum inducere, est gratia gratis data, quæ non datur omnibus Sanctis, sicut donum, sed quibusdam, juxta quod dicit August. quod scientiâ non pollent plurimi fideles, quanvis polleant ipsa fide.

Art.2. *Vtrum scientiæ donum sit circa res divinas.* ℟. *Negativè*, non quidem loquendo in sensu materiali, tanquam circa id quod cognoscitur; sed in sensu formali, tanquam circa medium, per quod cognoscit, seu judicat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm judicium rei sumatur ex sua causa, & ordo judiciorum sit secundùm ordinem causarum, ac proinde cùm causa prima sit causa secundæ, non habens causam sui, & judice-

tur per primam de secunda, sed de prima per nullam; ideo judicium de prima, cùm sit perfectissimum, habere debet speciale nomen, scilicet Sapientiæ: judicium autem de aliis omnibus, quæ non sunt Deus, dici debet sub universali nomine Scientia, quæ judicij importat certitudinem, quæque non ponitur speciale donum, prout communiter sumitur, sed ut restringitur ad judicium, adeò ut per scientiam quidem gignatur fides, quia ad donum scientiæ pertinet scire, & discernere quid sit credendum: at scire res creditas, & divinas secundùm seipsas, pertineat ad sapientiam; cum quo tamen stat, quod adhuc possit scientia versari materialiter circa divina, modò judicet per creata, utpote cùm scientiæ magis denominentur à medio, per quod cognoscunt, quàm ab eo, quod cognoscunt; & ideò cognitio Dei per res creatas magis pertineat ad scientiam, quàm ad sapientiam.

Vtrum scientiæ donum sit practicum. ART. 3.

℟. *Negativè*, non quòd non se extendat secundariò ad operationem; sed ita quod primò, & principaliter respiciat speculationem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm hoc donum, quod quidem convenit solùm justis; utpote qui soli habent ex infusione gratiæ rectum judicium circa agenda & credenda, dirigatur ad certitudinem fidei, & fides sit principaliter speculativa, ut adhæret primæ veritati; & secundariò practica, quatenus per dilectionem operatur, ut ait Apost. ideò & erit scientiæ donum secundariò quidem practicum, dirigendo scilicet per scientiam credibilium in agendis, sed principaliter speculativum,

quatenus per ipsum scit homo quid fide tenere debeat. Vnde attribuitur actio scientiæ, ex Aug. sed non primo; & sic etiam dirigit pietatem, secundùm Gregorium.

Lib. 12. de Trin. cap. 14.

ART. 4. *Vtrum scientiæ dono respondeat tertia beatitudo, scilicet: Beati qui lugent, &c.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod dono scientiæ respondeat quidem primò luctus, quasi pro merito; sed & consequenter respondeat consolatio, quasi pro præmio. *Primum est*, quia cùm ad scientiam pertineat rectum judicium de creaturis, ex quibus homo occasionaliter avertitur à Deo, cùm rectum de eis judicium non habet, adeò ut per hoc donum doceatur homo de creaturis rectè sentire, ex quo quidem ei innotescit peccatum, & damnum, ex qua cogitatione oritur luctus; ideo & attribui debet scientiæ, non quidem beatitudo pertinens ad contemplationem, cùm beatitudo hominis non consistat in consideratione creaturarum, sed in debito earum usu; sed potiùs beatitudo luctus, quatenus scilicet de re, circa quam veritatem considerat, potest tristari homo, esto quod de ipsa veritatis consideratione gaudeat. *Secundum est*, quia cùm bona creata non excitent gaudium spirituale, nisi ut ad bonum referuntur divinum, ideò pax & consolatio directè dono respondent sapientiæ, & dono scientiæ primò luctus, scilicet de præteritis erratis, & de his in quibus ex creaturis occasionaliter errare possumus: sed quia homo per judicium scientiæ creaturas ordinat in Deum, inde fit, quod ei respondeat luctus pro merito, sed consequenter consolatio pro præmio.

IN QVÆSTIONEM X.

De infidelitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *infidelitas sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem sumpta secundùm puram negationem, sed secundùm contrarietatem ad fidem. *Primum est*, quia sumpta infidelitas secundùm contrarietatem ad fidem, prout quis repugnat auditui fidei, vel eam contemnit, in quo propriè perficitur ratio infidelitatis, habet tunc contrariari virtuti, scilicet fidei, proindéque & habet esse vitium ad superbiam reducendum, quatenus scilicet renuit homo subjicere intellectum regulis fidei; & quidem contra naturam hominis, licèt fides non sit in hominis natura, seu naturali potestate, utpote in cujus natura adhuc est, ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi. *Secundum est*, quia si accipiatur fides secundùm puram negationem, quo modo est in illis, qui nihil de fide nostra audierunt, est quidem peccati pœna, non tamen peccatum, juxta illud: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Et illud: *Si non venissem, & eis loquutus non fuissem, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis. Vnde qui sic infideles sunt, non ob infidelitatem damnantur, sed ob alia peccata, quæ independenter à fide committunt, esto quod sine fide non remittantur.

ART. 2.

Vtrùm infidelitas sit in intellectu, sicut in subjecto. ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit in voluntate, ut in primo motivo; sed ita quod sit in intellectu, ut in subjecto proximo. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm peccatum dicatur esse in illa potentia ut in

ſubjecto proximo, quæ eſt principium actus peccati, ſitque voluntas primum quidem, & generale principium, quod imperat omnes actus peccatorum, ac etiam proximum ratione conſenſus, quatenus omne peccatum eſt voluntarium; ſed intellectus ſit principium proprium, & proximum diſſentiendi, quod eſt actus infidelitatis; ideò eſt infidelitas, ſicut & omne peccatum in voluntate, ut in primo motivo, & generali principio; ſed eſt in intellectu, ut in ſubjecto proximo, adeò ut pertineat contemptus fidei ad voluntatem, ſed ut cauſat contemptus diſſenſum intellectus, in quo perficitur ratio infidelitatis. Vnde qui credit malum angelum transfiguratum eſſe bonum, non ideò ſolùm non peccat peccato infidelitatis, quia non habet perverſam voluntatem, ſed etiam quia cùm fallatur ſenſus, non autem mens, non diſſentit ab eo quod eſt fidei.

ART. 3. *Vtrum infidelitas ſit maximum peccatorum.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non poſſit ex aliqua circumſtantia alleviari; ſed ita quod ſit ex ſuo genere graviſſimum. ***Primum eſt***, quia cùm omne peccatum formaliter conſiſtat in averſione à Deo, & ita tanto ſit gravius, quanto per ipſum homo magis ſeparatur à Deo; ideò cùm talis ſit infidelitas ex ſuo genere, ut eâ homo maximè elongetur à Deo, utpote cùm falſam de eo habeat opinionem, nec ſit Deus id quod ipſe cogitat, eſt conſequenter ex ſuo genere peccatum maximum, loquendo ſcilicet de peccatis, non quæ opponuntur virtutibus theologicis, ſed quæ contingunt in perverſitate morum: ſicut & ex ſe gra-

viùs punitur, quàm quodcumque aliud, esto quod pro alio peccato magis puniatur fidelis, non quidem propter genus peccati, sed propter veritatis cognitionem, & Sacramenta, quibus scilicet contumeliam facit. *Secundum est*, quia potest infidelitas habere ignorantiam, vel aliam similem circumstantiam, ex qua aliquam habeat excusationem, juxta illud Apost. *Misericordium consequutus sum, quia ignorans feci.* Et ideo noluit Aug. præcipitare sententiam de malo Catholico, & de Hæretico aliàs non peccante.

Vtrum omnis actio infidelis sit peccatum. ART.4.
℞. *Negativè*, non quòd non peccet in omni opere, quod facit ex infidelitate; sed quia potest aliquem actum facere, quem ad infidelitatis finem non referat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm infidelitas quæ est peccatum mortale, tollat quidem gratiam, quo fit ut infideles non possint bona operari, ex gratia scilicet meritoria, non autem corrumpat totaliter bonum naturæ; ideò cùm lumen naturale possit intentionem dirigere respectu alicujus connaturalis boni, sicut & fides respectu finis ultimi, possunt per consequens infideles aliqua operari bona, ad quæ scilicet sufficit naturæ bonum; non quidem taliter, quod agentes ex infidelitatis errore, ut propter colendos falsos Deos, non peccent; sed quia sicut potest fidelis non referre actum in fidei finem, & sic peccare; sic & infidelis bonum agere, non referendo in infidelitatis finem, sed ad bonum, quod adhuc ex lumine naturali cognoscit. Vnde illud, *Quod non est ex fide, peccatum est*, de eo intelligitur, quod agi-

tur ex infidelitate, seu propter infidelitatis finem.

Art. 5. *Vtrum sint plures infidelitatis species.* ℞. *Affirmativè*; & quidem numero determinatæ, si attendatur infidelitas secundùm comparationem ad fidem; sed indeterminatæ, si secundùm errorem in diversis, quæ ad fidem requiruntur. *Primum est*, quia cùm infidelitas in comparatione ad fidem renitatur vel fidei nondum susceptæ, ut infidelitas paganorum; aut fidei susceptæ, & hoc vel in figura, ut infidelitas Iudæorum; vel in ipsa manifestatione veritatis, ut infidelitas Hæreticorum; ideò & plures sunt infidelitatis species, & quidem numero determinatæ in comparatione ad fidem. Vnde est quidem veritas prima objectum infidelitatis, ut à qua receditur, & ideo sic non diversificatur; sed formale objectum, sicut ad quod convertitur, est sententia falsa, quam quis sequitur, & hinc diversificantur species. *Secundum est*, quia licèt attingere regulam, in quo consistit virtus, non nisi uno modo fiat circa unam materiam; deviare tamen contingit multipliciter, secundùm quod infinitis modis contingit diversas circumstantias virtutis corrumpi; sicque distinguendo infidelitatis species juxta errorem in diversis, quæ ad fidem pertinent, sunt indeterminatæ, & possunt, ut ait Aug. in infinitum multiplicari; ita tamen quod sicut fides est una, quia omnia creduntur in ordine ad unum; ita infidelitas, licèt quis in multis erret, adhuc possit esse una, ut omnia habent ordinem ad unum; & consequenter possit unus diversis infidelitatis speciebus errare.

Vtrum

Vtrum infidelitas gentilium, seu paganorum sit cæteris gravior. ℞. *Negativè*, non quòd non gravior sit in gentilibus secundùm corruptionem eorum, quæ ad fidem requiruntur; sed ita quod ex comparatione infidelitatis ad fidem, & ideò simpliciter, sit infidelitas hæreticorum pessima. *Primum est*, quia cùm secundùm corruptionem eorum, quæ ad fidem requiruntur, in pluribus errent pagani, quàm Iudæi, & isti, quàm hæretici; ideò & est eorum infidelitas sub hoc respectu gravior. *Secundum est*, quia in comparatione infidelitatis ad fidem attenditur ad renitentiam, quæ quidem major est in hæreticis & Iudæis, quippe qui eidem renituntur ut jam susceptæ, vel manifestè, vel in figura; unde & est hæreticorum infidelitas simpliciter loquendo pessima, seu in ratione culpæ, utpote quam habet ex renitentia magis, quàm ex eo quod non habeat quæ sunt fidei: ad quod etiam facit illud, *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post cognitionem retrorsum converti.* ART. 6. 1. Petri 3.

Vtrum cum infidelibus sit publicè disputandum. ℞. *Affirmativè*, non quidem ex dubitatione eorum, quæ sunt fidei ex parte disputantis, vel ex parte audientium coram simplicibus, qui nihil audierunt; sed propter veritatem manifestandam quantum ad disputantem, vel quantum ad audientem coram simplicibus de contrario solicitatis. *Primum est*, quia disputare de fide ad veritatem manifestandam, & est secundùm se laudabile, & quandoque expediens: tum ad defendendum, juxta illud, *Parati semper ad satisfactionem omni pos-* ART. 7. 1. Pet. 3.

centi reddere rationem de ea, quæ est in vobis spe, & fide: tum ad convincendum errantem, juxta illud, *ut sit potens exhortari, & eos qui contradicunt arguere*: & ut simplices confirmentur in fide, quando sunt de contrario solicitati, necessarium est (modò adsint viri idonei, qui errores confutare possint,) juxta illud Gregor. *Sicut incauta loquutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* Vnde non nisi immoderatam disputationem prohibuit Paulus, quæ magis fit contentione verborum, quàm firmitate sententiarum. Nec prohibet lex Martiani disputationem, nisi quæ procedit ex dubitatione Fidei. *Secundum est*, quia sicut coram sapientibus & firmis in fide nullum est periculum disputare, unde & *Paulus confundebat Iudæos, &c.* Ita quia simplicium fides ex hoc est firmior, quod nihil diversum audierunt ab eo quod credunt, non nisi cum periculo disputatur coram illis; unde non debet quis tunc disputare, sed nec qui de fide dubitat, quasi fidei veritatem pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens, utpote qui tunc peccat disputando, tanquam dubius in fide, & infidelis.

In secū. Pastoral.

2. Tim. 2.

Actor. 9.

ART. 8. *Vtrum infideles compellendi sint ad fidem.*

℟. *Affirmativè*; si tamen sermo sit de infidelibus, non qui nunquam susceperunt fidem, ut Gentiles, & Iudæi; sed qui fidem susceperunt, ut hæretici, & apostatæ. *Primum est*, quia ut vovere est voluntatis, & reddere necessitatis; sic voluntatis quidem est accipere fidem, sed tenere acceptam necessitatis, adeò ut etiam corporaliter sint

compellendi, juxta illud, *Exi in vias, & compelle eos intrare.* Licèt enim nullum vellet Ecclesia hæreticorum perire, sicut nec vult Deus mortem peccatoris; cùm tamen ex perditione aliquorum cæteros colligat, dolorem materni sanat cordis tantorum liberatione populorum, ut ait Aug. Vnde quod dicit Dominus, *Sinite utraque crescere usque ad Messem*, qualiter intelligendum sit, apparet ex hoc quod subditur, *Ne fortè colligentes, eradicetis simul & triticum*: ita scilicet, quod ubi metus iste non subest, non dormiat tunc severitas disciplinæ. *Secundum est*, quia cùm credere voluntatis sit, ideò qui nunquam fidem susceperunt, nullo modo sunt ad fidem compellendi, esto quod essent compellendi, si adsit facultas, ne fidem impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam persequutionibus. Luc. 14. Epist. 50.

Vtrum cum infidelibus possit communicari. Art. 9.
℞. *Negativè*; ita tamen, quod prohibitio communionis in pœnam sit solùm respectu eorum, qui fidem susceperunt; & prohibitio communionis ad tutelam, respectu simplicium, & infirmorum in fide. *Primum est*, quia cùm Ecclesia non judicet spirituali judicio de his qui sunt extra; ideò licèt possit eis subtrahere communionem fidelium in pœnam temporalem, in qua quidem erga aliquos infideles habet judicium; in pœnam tamen spiritualem non nisi respectu hæreticorum, & apostatarum id potest, qui scilicet à fide suscepta recesserunt. *Primum est*, quia cùm ex communione eorum, qui sunt firmi in fide, magis sperari possit conversio infidelium, quàm aliorum aver-

sio; ideò non nisi simplices & infirmi in fide, de quorũ subversione probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ad tutelam, ne magnam cum illis familiaritatem habeant, juxta quod olim fuit prohibitum Iudæis, eo quòd scilicet essent ad idololatriam proni. Vnde & licet fideli servum habere infidelem, quia magis probabile est, quod servus convertatur ad fidem domini, quàm è contrà.

Art. 10. *Vtrum infideles possint habere prælationem, seu dominium supra fideles.* ℞. *Negativè*, non quòd distinctio illa fidelium & infidelium tollat secundùm se dominium præexistens, sed ita quod nullo modo permitti debeat dominium infidelium de novo instituendum supra fideles. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm jus divinum non tollat quod est de jure humano, ut est dominium; ideò nec dominium tollit præexistens supra fideles distinctio illa fidelium & infidelium secundùm se considerata; quinimò olim expediens fuit, ut aliqui fideles essent sub Imperatore infideli, ut Christianos defenderent, sicut Sebastianus fecit; esto quod possit Ecclesia jus condere, ut tali prælatione priventur, tum merito infidelitatis, tum etiam quia fideles transferuntur in filios Dei; sed quia quod de novo illud instituatur dominium, vergit in contemptum, & in scandalum seu periculum fidei fidelium; ideò nullo modo permitti debet, ut de novo instituatur prælatio illa supra fideles, esto quod non repugnet, quod infideles utantur opera & arte fidelium, utpote quia non est necesse conversari propterea cum eis; quin imò pro infidelibus,

qui temporaliter Christianis subduntur Principibus hanc condidit Ecclesia legem, in favorem fidei, ut servus qui ad fidem convertitur, debeat liberari à servitute nullo dato pretio, si fuerit vernaculus, aut emptus ad servitium; si autem emptus ad mercationem, quod infra tres menses sit mercationi exponendus: in quo quidem Ecclesia non facit alicui injuriam, cùm possit de eorum rebus disponere, qui sunt Ecclesiæ subjecti, ut sunt hujusmodi infideles, putà Iudæi; imò nec faceret si idem statuisset circa omnes infideles, cùm liberi sint filij, esto quod ad scandalum vitandum illud non fecerit, juxta monitum illud Apost. quod servi dominos suos honorarent, ne scilicet nomen Domini & doctrina blasphemetur.

Vtrum infidelium ritus sint tolerandi. ART. II.
℞. *Affirmativè*, & quidem vel propter aliquod bonum ex eis proveniens, vel propter aliquod vitandum malum [illegible] *partis est*, quia cùm regimen humanum derivetur à divino, & Deus permittat aliqua fieri mala, ne tollantur majora bona, aut sequantur majora mala; ideò etiam qui præsunt hominibus debent aliqua permittere mala, vel propter aliquod bonum, ut in testimonium nostræ fidei ritus Iudæorum; vel ad aliquod vitandum malum, ut scandalum, aut impedimentum salutis, sicut ritus infidelium, qui quidem sic tolerati paulatim ad fidem convertuntur, ob quam etiam causam hæreticorum ritus Ecclesia aliquando toleravit; quin imò ne majora incurrantur mala, & ipsæ etiam tolerantur meretrices, juxta illud Aug.

Lib. 2. de Ordine, cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

ART. 12. *Vtrum pueri Iudæorum, & aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi.*

℞. *Negativè*, non quòd post habitum rationis usum non possint invitis parentibus induci ad fidem; sed ità quod ante usum rationis nec licitum sit, nec expediens, nec consuetum eos invitis parentibus baptizare. *Primum est*, quia cùm filius naturaliter sit aliquid patris, & de jure naturæ ante usum rationis sit sub ejus cura, & quidem etiam quoad salutem, propter quod dicitur de pueris antiquorum, quod salvati sunt in fide parentum; ideo fit quod non sit licitum, sed esset potiùs contra justitiam naturalem, si puer à cura parentum subtraheretur, & aliquid de eo ordinaretur invitis parentibus; sed nec consuetum est ex consuetudine Ecclesiæ, quæ id facere non consuevit; nec etiam expediens, utpote quod vergeret in detrimentum fidei, quatenus scilicet parentes facilè inducerent posteà filios ad relinquendum quod ignoranter susceperunt. Vnde sicut nullus eripi debet à morte naturali contra leges civiles, nec etiam debet quis ordinem rumpere naturalis juris, ut puerum liberet à morte æterna, qui ante usum rationis ad Deum ordinari debet naturali ordine per rationem parentum. Et quidem quanvis inter conjuges possit unus altero invito fidei assentire, utpote habentes, ad differentiam pueri, liberum arbitrium; vel etiam quanvis Iudæi sint servi servitute civili, utpote quæ ordinem non excludit juris naturalis, sive divini: unde imminet quidem pericu-

culum de prædicatione omissa, illis quibus est commissum officium prædicandi; non tamen imminet in hoc casu non baptizantibus, quandoquidem ad eorum potiùs parentes pertinet pueris de Sacramentis Ecclesiæ providere. *Secundum est*, quia cùm post habitum rationis usum jam incipiat puer esse sui juris; ideò & potest tunc invitis parentibus induci ad fidem; non tamen coactione, cùm credere voluntatis sit, sed persuasione.

IN QVÆSTIONEM XI.

De Hæresi.

VTrum *hæresis sit infidelitatis species.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non pertineat ex fine remoto ad superbiam, vel cupiditatem, & ideò ad opera carnis; sed ita quod ex fine, seu objecto proximo, ex quo speciem habet, sit infidelitatis species. *Primum est*, quia cùm species infidelitatis sumantur secundùm aversionem à fine fidei, qui est Christus, utpote quia in unaquaque credulitate finis est is, cujus dicto assentimus; ideò cùm à Christo quis avertatur, vel quia non vult ei assentire, unde infidelitas Paganorum, & Iudæorum; vel quia deficit in electione eorum quibus Christo assentiat, & hæc est hæresis, quæ quidem eligit non ea quæ à Christo sunt tradita, sed quæ propria mens suggerit; ita tamen quod electio eo modo pertineat ad infidelitatem, quæ est in intellectu, sicuti voluntas ad fidem: consequenter fit quod hæresis ex fine proximo, ex quo speciem habet, quique est adhærere falsæ sententiæ propriæ, quantum ad ea quæ à Christo sunt tradita, sit species infidelitatis. ARTICVLVS PRIMVS.

Secundum est, quia hæresis ex parte finis remoti respicit causam, quæ quidem est superbia, vel cupiditas, cùm dicat Aug. quod hæreticus est, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusque sui gratiâ falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur. Vnde & inter opera carnis reponitur ab Apost. sub nomine Sectæ, non quidem quantum ad actum infidelitatis, sed ex parte causæ.

Lib. 5. de utilitate cordis, cap. 5.

Ad Gal. 5.

ART. 2. *Vtrum hæresis sit propriè circa ea, quæ sunt fidei.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod ea vel pertineant directè & principaliter ad fidem, vel indirectè saltem & secundariò. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm nunc loquamur de hæresi prout corruptionem dicit fidei Christianæ, ideò & solùm tunc est, quando habet quis falsam opinionem circa ea, quæ ad fidem pertinent Christi, sicut & hæreses judaïzantium erant circa opiniones aliquas ad Iudaïsmum pertinentes; & quidem vel directè, ut sunt articuli fidei; vel indirectè, ut sunt ea ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli: unde & quia ex inordinata loquutione circa ea, quæ sunt fidei sequi potest corruptio fidei, sicut & dum quis aliter exponit Scripturas, quàm Spiritus sanctus efflagitat, etiam circa hæc potest esse hæresis. Ita tamen quod Doctores dissentientes in aliquibus circa fidem nondum per Ecclesiam determinatis (cujus quidem authoritas principaliter residet in summo Pontifice) non sint inter hæreticos collocandi, quia sic quærunt veritatem, ut sint parati corrigi, cùm invenerint.

ART. 3. *Vtrum hæretici sint tolerandi.* ℞. *Negati-*

vè, non quòd non sint priùs corripiendi, quantum est ex parte Ecclesiæ; sed ita quod non sit ex parte ipsorum unde mereantur tolerari. *Primum est*, quia cùm gravius sit corrumpere fidem, per quam est vita animæ, quàm pecunias falsificare, quibus vitæ subvenitur temporali, propter quod tamen homines justè morti traduntur per seculares Principes; ideò ex parte hæreticorum est potiùs peccatum per quod merentur non solùm ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à mundo excludi. Et quidem quanvis ex hæresibus utilitas aliqua proveniat, quia comprobantur fideles, utpote quod est præter ipsorum intentionem. Vnde nec fit tunc contra præceptum Domini, si totaliter eradicentur hæretici per mortem, utpote quod tunc habet locum, quando non potest extirpari zizania sine extirpatione tritici. *Secundum est*, quia cùm ex parte Ecclesiæ debeat esse misericordia ad errantium conversionem, adeò ut ex Paulo oporteat, servum Dei esse mansuetum, cum modestia, &c. ideò nec statim condemnare debet, sed post primam & secundam correptionem, ut ait Apost. post quas cùm de ejus conversione desperet, justè saluti aliorum providet, illum separando per excommunicationem, & ultra relinquendo sæculari judicio. 2. Timoth. 2.

Vtrum revertentes ab hæresi sint ab Ecclesia recipiendi. ℞. *Negativè*, non quòd non semper recipi debeant ad pœnitentiam, sed ita quod relapsi non sint recipiendi ad vitam, & alia temporalia bona. *Primum est*, quia si semper relapsos reciperet, & con- ART. 4.

servaret in vita & aliis bonis, esset hoc in præjudicium salutis aliorum: tum quia si relaberentur, alios inficerent: tum quia si sine pœna evaderent, alij securiùs in hæresim laberentur; cùm tamen non nisi in ordine ad salutem æternam, quæ quidem præferenda est vitæ temporali, teneatur & vitam, & alia velle bona. Vnde aliquando quidem revertentes primò ab hæresi restituit Ecclesia dispensativè ad dignitates Ecclesiasticas, quas priùs habebant, & hoc propter bonum pacis; sed quia relabi videtur signum inconstantiæ, & quidem majoris quàm sit in infidelibus, qui nunquam fidem susceperunt, quique conversi nondum ostendunt inconstantiæ signum circa fidem; ideò relapsos hæreticos non recipit, etiam ut conservet in vita; præsumit namque cùm non scrutetur corda, eos non verè reverti, qui cùm recepti fuerint, iterum sunt
Matth. 8. relapsi; & quidem non obstante præcepto Domini de remissione peccati, utpote quod intelligitur de peccato in se commisso, ut scilicet fratri redeunti semper parcatur; non de peccato in proximum, vel in Deum, quod non est nostri arbitrij dimittere. *Se-*
Matth. 5. *cundum est*, quia ex institutione Domini debet Ecclesia charitatem suam extendere etiam ad inimicos, & persequutores, quoad scilicet bonum spirituale, quod principaliter respicit charitas; & ideò ad pœnitentiam semper recipere, per quam impenditur via salutis.

ARTICVLVS PRIMVS.

IN QVÆSTIONEM XII.

De Apostasia.

VTrum apostasia pertineat ad infidelitatem. ℟. *Affirmativè*, si tamen sermo

ſit de apoſtaſia ſimpliciter dicta, non de quacumque apoſtaſia. *Primum eſt*, quia cùm apoſtaſia quandam importet retroceſſionem à Deo, & à Deo non recedatur omninò & ſimpliciter, niſi ratione fidei, ex qua quidem poteſt quis manere conjunctus Deo, quanvis ſub aliis rationibus recedat, ſed non è converſo; ideò ad infidelitatem pertinet apoſtaſia ſimpliciter dicta, & quidem quanvis videatur apoſtaſia conſiſtere in exteriori opere, aut ſermone, vel etiam in interiori voluntate, utpote quæ omnia etiam ad infidelitatem, ſicut & ad apoſtaſiam pertinent, in quantum ſunt infidelitatis ſigna, ad modum quo ſignum ſanitatis dicitur ſanum. Cum quo tamen ſtat, non importare præfatam apoſtaſiam ſpeciem determinatam infidelitatis, ut hæreſis; ſed circunſtantiam aggravantem, ſecundùm illud: Melius erat eis veritatem non cognoſcere, quàm poſt eam cognitam retro ire. *Secundum eſt*, quia poteſt quis à Deo recedere, nedum ratione fidei, ſed etiam ratione debitæ & ſubjectæ voluntatis ad obediendum mandatis ejus: quod quidem cùm ſit principium omnis peccati, ad ſuperbiam pertinet, juxta illud: Initium omnis peccati ſuperbia. Tum etiam poteſt fieri receſſus, & conſequenter apoſtaſia ratione alicujus ſpecialis obedientiæ, qua quis erat unitus Deo per ſupererogationem, ut per Religionem, Clericaturam, & ſacrum Ordinem, quæ quidem dicitur apoſtaſia Religionis, non Fidei.

Proverb. 6.

Utrum Princeps propter apoſtaſiam à fide amittat dominium in ſubditos. ℟. *Affirmativè*, non quòd non poſſit tolerari cum dominio, ſed ita quod ſint ſubditi ipſo ART. 2.

Proverb. 6. facto absoluti à dominio. *Primum est*, quia cùm vir apostata machinetur malum, ut dicitur, nec sit eadem ratio de illis qui nunquam fidem susceperunt, & de apostatis, cùm distinctio fidelium & infidelium sit secundùm jus divinum, per quod non tollitur jus humanum; ideò licèt ad Ecclesiam non pertineat judicare illos qui nunquam fidem susceperunt, juxta illud, *Quid mihi de his qui foris sunt*? bene tamen eos, qui à suscepta fide apostatarunt, & quidem privando eos dominio, & subditos absolvendo, utpote quod vergere posset, ex cordis pravitate & machinatione, ut dictum est, in magnam Fidei corruptionem; & hoc maximè quia apostasia à fide hominem totaliter à Deo separat; quod non contingit in quibuscunque aliis peccatis. *Secundum est*, quia toleravit Ecclesia, quando scilicet potestatem nondum habebat terrenos Principes compescendi, fideles Iuliano apostatæ obedire in iis, quæ non erant contra fidem, ut majus periculum vitaretur.

IN QVÆSTIONEM XIII.

De peccato blasphemiæ in generali.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum *blasphemia opponatur confessioni fidei*. ℞. *Affirmativè*, & quidem sive fiat directè in Deum, sive etiam in Sanctos, vel etiam attribuendo creaturæ, quod Deo appropriatur. *Primum est*, quia cùm blasphemiæ nomen importet derogationem quandam alicujus excellentis bonitatis, & bonitati deroget quicunque vel negat aliquid de Deo, quod ei convenit; vel asserit de eo, quod ei non convenit, utpote cùm ad bonitatem pertineat quidquid Deo convenit, cujus natura est bonitas; ideò

cùm hujusmodi negatio de Deo, vel affirmatio, in qua propterea consistit blasphemia, opponatur confessioni fidei, præsertim quando fit non sola mentis opinione, aut cum detestatione cordis, sive affectus, sed etiam exteriùs prodit per loquutionem, qualis est blasphemia oris, opponitur per consequens blasphemia confessioni fidei, esto quod prout importat pravitatem voluntatis detestantis, & impedientis pro posse divinum honorem, spectet etiam ad malevolentiam. *Secundum est*, quia & redundat ex consequenti in Deum blasphemia quæ fit in Sanctos, sicuti & eorum laudes; & est blasphemia circa Deum, quando attribuitur creaturæ quod Deo appropriatur; quandoquidem est ipsum Deum dicere idem creaturæ. Vnde & est blasphemia species atoma.

Vtrum blasphemia semper sit peccatum mortale. ℞. *Affirmativè*, non quidem quando inadvertenter fit, sed quando ex sufficienti consideratione habet propriè rationem blasphemiæ. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm quæcumque repugnant charitati, ex suo genere sint peccata mortalia, & blasphemia ex suo genere repugnet charitati divinæ, quia derogat divinæ bonitati; ideo potest quidem esse venialis quando quis in verba prorumpit imaginata ex passione, & eorum significationem non considerat, cùm nec habeat tunc propriè rationem blasphemiæ; non tamen à mortali excusatur, ubi advertitur esse blasphemia; nec est ponenda inter minora peccata, licèt Glossa inter minora dicat numerari, in quibus etiam de majoribus ponuntur; sed

ART. 2.

Ad Coll. 3.

eodem prohibetur præcepto, quo infidelitas, vel periurium.

ART. 3. *Vtrum peccatum blasphemiæ sit maximum peccatum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & ad genus pertineat infidelitatis, quod est peccatum maximum, & ipsum etiam aggravet. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm blasphemia opponatur confessioni fidei, ut dictũ est, & aggravetur si superveniat detestatio voluntatis, & adhuc magis si prorumpat in verba, sicuti laus, quæ augetur per dilectionem; & confessionem; ideò & gravitatem habebit infidelitatis, quæ est peccatum maximum, & ipsum insuper aggravabit, adeò ut quanvis secundùm effectum nocendi, homicidium sit gravius; blasphemus tamen ex intentione, simpliciter loquendo, magis peccet, quàm homicida, quandoquidem intendit nocumentum inferre honori divino; necnon & ratione objecti, faciendo scilicet non contra proximum, ut homicidium, sed contra Deum; necnon & magis, quàm qui perjurat, utpote qui non sentit, aut dicit aliquid falsum de Deo, ut blasphemia, sed solùm sperat, quod super falsum non testificetur Deus per aliquod evidens signum.
Gloss. super psal. 74. Vnde non aliter dicitur excusatiõ peccati peccatum maximum, nisi quia est circunstantia aggravans omne peccatum.

ART. 4. *Vtrum damnati blasphemẽt.* ℞. *Affirmativè*, & quidem tum blasphemia interiori cordis, tum etiam post resurrectionem vocali, quanvis in neutra cum demerito. *Primum est*, quia cùm habeant damnati perversam voluntatem aversam à Dei justitia, in hoc scilicet, quod diligunt ea, pro quibus

puniuntur, & vellent eis uti, & odio habent pœnas, quæ pro hujusmodi peccatis infliguntur, nec sperent se pœnas evadere, propter quas homines à blaſphemia deterrentur; ideò & eſt in damnatis interior cordis blaſphemia, ſcilicet deteſtatio divinæ juſtitiæ; & eſt credibile, quod poſt reſurrectionem erit vocalis, utpote ſicut in Sanctis vocalis laus Dei. Vnde & in eo, qui hîc non blaſphemavit, poterit eſſe blaſphemia, ſi in peccato mortali deceſſit, cùm ſecum ferat voluntatem deteſtandi divinam juſtitiam. *Secundum eſt*, quia mala in damnatis pertinent ad damnationis pœnam, cùm ſint in termino, ſicut & bona in Beatis ad beatitudinis præmium, & ideo non ſunt demeritoria.

IN QVÆSTIONEM XIV.

De blaſphemia in Spiritum ſanctum.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum peccatum in Spiritum ſanctum ſit idem, quod peccatum ex certa malitia.* ℞. *Affirmativè*, ſi tamen dicatur peccatum ex malitia, non ſecundùm quod provenit ex inclinatione habitus mali, ſed prout abjicit, & contemnit quod poterat peccati electionem impedire. *Primum eſt*, quia cùm peccatum in Spiritum ſanctum non tantùm ſit quando ad litteram aliquid dicitur contra Spiritum ſanctum, quomodo Judæi blaſphemabant in Spiritũ ſanctũ cùm attribuebant principi dæmoniorum quæ Chriſtus faciebat virtute Spiritus ſancti, vel etiam quando quis perſeverat in peccato uſque ad mortem, juxta quod nominat Aug. peccatum in Spiritum ſanctum finalem impœnitentiam; ſed maximè, ut alij dicunt, quando peccatur contra appro-

priatum bonum Spiritus sancti, cui quidem appropriatur bonitas, sicut potentia Patri, & Filio sapientia; ideò cùm id contingat, quando abjicitur quod poterat peccati electionem impedire, putà cum abjicitur spes per desperationem, timor per præsumptionem, & alia hujusmodi, utpote quæ omnia sunt effectus bonitatis Spiritus sancti in nobis, propterea fit quod ita acceptum peccatum ex malitia sit blasphemia in Spiritum sanctum, quæ etiam, sicut & confessio fidei, considerari potest in ore, corde, & opere: unde & distinguitur secundùm hanc acceptionem contra blasphemiam in Filium hominis, quod quidem non tam dicitur ex malitia, quàm ex ignorantia, vel ex infirmitate, cùm sit filius, & Dei virtus per appropriationem, & Dei sapientia. *Secundum est*, quia peccatum secundùm quod provenit ex inclinatione habitus, non est speciale peccatum, sicut esse debet peccatum in Spiritum sanctum, sed est generalis quædam conditio peccati.

ART. 2. *Vtrum convenienter assignentur species peccati in Spiritum sanctum, scilicet desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis cognitæ, & invidentia fraternæ gratiæ.* ℟. *Affirmativè*, ita scilicet, quod si sumatur secundùm remotionem, & contemptum eorum, per quæ potest homo à peccati electione impediri, & ei prædictæ sint assignandæ species, & sufficienter assignentur. *Primum est*, quia cùm ea, per quæ potest homo à peccati electione impediri, sint primò ex parte divini judicij per spem misericordiæ, quæ tollitur per desperationem, & per timorem justi-

tiæ, qui per præsumptionem tollitur, non quidem non credendo ex infidelitate Dei justitiam aut misericordiam, sed eas ex malitia contemnendo. Secundò ex parte donorum Dei, ut per cognitionem veritatis, quam tollit impugnatio veritatis agnitæ, & per auxilium interioris gratiæ, quam quidem dedit Christus, sicut & veritatem, sed Spiritus sancti dono, cuique opponitur invidia fraternæ gratiæ. Tertiò denique ex parte peccati, ut per inordinationem, & turpitudinem actus, contra quod ponitur impœnitentia, ut dicit propositum non pœnitendi; aut per parvitatem, seu brevitatem boni, quod quis in peccato quærit, quod tollitur per obstinationem, quæ etiam ab impœnitentia differt secundùm alias formales rationes, quàm secundum præteritum & futurum; consequenter fit, quod ita accepto peccato in Spiritum sanctum præfatæ sint assignandæ species. *Secundum est*, quia ad præfatas sex species omnia alia in Spiritũ sanctũ peccata sufficienter reducuntur, ut nolle obedire, quod est resistere Spiritui sancto, ad obstinationem; simulatio pœnitentiæ, ad impœnitentiam; & schisma, ad invidentiam fraternæ gratiæ, per quam membra Ecclesiæ uniuntur.

Vtrum peccatum in Spiritum sanctum sit irremissibile. ℞. *Affirmativè*, non ita quod nullo remittatur modo, seu præcludatur omnipotentiæ Dei via remissioni; sed quia ex parte sui meritum habet, ut non remittatur. *Primum est*, quia qui ex malitia peccat, ut suprà dictum fuit, aut opera Spiritus sancti diabolo tribuit, talis nec habet excusationem, cur ejus minuatur ART. 3.

pœna, ſicut habet qui peccat in Patrem, aut Filium, peccato ſcilicet infirmitatis, aut ignorantiæ; nec unde curetur ejus culpa, cùm ea deſpiciantur, & abjiciantur, ut ſuprà expoſuimus, quæ culpam tollunt. Vnde meritò dicitur hac ratione irremiſſibile, quanvis ſit liberum arbitrium vertibile in hac vita, quandoquidem aliquando à ſe abjicit id, per quod verti poteſt in bonum; ſuntque aliqui, qui dicuntur filij diffidentiæ, conſiderata conditione peccatorum, eſto quod de nullo ſit deſperandum conſideratâ Dei omnipotentiâ, & miſericordiâ. *Secundum eſt*, quia ſicut adhuc poteſt Deus curare morbum corporis, etſi dicatur incurabilis, quia tollit virtutem naturæ, vel inducit faſtidium cibi, & medicinæ; ſic nec per hoc quod dicitur peccatum irremiſſibile, præcluditur propterea via remittendi omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei, qui etiam aliquando morbos inſanabiles miraculosè ſpiritualiter ſanat.

ART. 4. *Vtrum homo poſſit primò peccare in Spiritum ſanctum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ſi ſumatur pro impœnitentia, aut pro peccato ex malitia, quaſi ex inclinatione habitus mali; ſed pro contemptu eorum, per quæ retrahimur à peccato. *Primum eſt*, quia cùm poſſibile ſit per malitiam dæmonis ſuggerentis, ut quis ſtatim inducatur ad peccatum graviſſimum, quod eſt peccatum in Spiritum ſanctum, necnon & poſſit hoc contingere ob libertatem arbitrij, ob multas diſpoſitiones præcedentes, ob vehemens motivum ad malum, & debilem affectum ad bonum; ideò quanvis in viris perfectis hoc vix, aut nunquam contingat,

imò nec nisi aliis præsuppositis peccatis contingat in peccatoribus contemptus retrahentium à peccato, juxta quod dicitur, quod impius, cùm in profundum venerit, contemnit; potest tamen contingere, ut aliquis in primo actu peccet per contemptum in Spiritum sanctum, adeò ut quanvis in pluribus, tam in bono, quàm in malo procedatur ab imperfecto ad perfectum, non tamen obstat quin possit unus incipere à majori, quàm alius, quod sit perfectum in suo genere, esto quod adhuc sit imperfectum secundùm seriem processus hominis in melius, vel in pejus. *Secundum est*, quia licèt impœnitentia habitualis, ut constituit determinatam speciem, possit etiam esse ante omnia peccata, ut tamen eam finaliter accipit Aug. dum eam dicit peccatum in Spiritum sanctum, alia præsupponit peccata; sicut & quando accipitur peccatum illud pro peccato ex habitu, utpote cùm oporteat, ut actus præcedant, quibus habitus generetur. Proverb. 8.

IN QVÆSTIONEM XV.

De vitiis oppositis scientiæ, & intellectui.

VTrum cæcitas mentis sit peccatum. ARTICULUS PRIMUS.

℞. *Affirmativè*, non ea quiæem quæ contingit ex naturali defectu, aut quæ est privatio habitualis luminis; sed quâ ab illo mens avertitur, per quod alia intelligit. *Primum est*, quia non avertitur mens à consideratione principij intelligibilis, per quod alia intelligit, nisi vel quia habet homo voluntatem spontaneè se avertentem à consideratione talis principij, juxta illud, *Noluit intelligere, ut bene ageret*; vel per occupationem mentis circa alia, quæ magis Psal. 35.

diligit, per quæ ab inspectione hujus principij avertitur, juxta illud, *Supercecidit ignis*, scilicet concupiscentia, *& non viderunt solem*; quó quidem utroque modo est cæcitas, seu privatio principij intellectualis visionis peccatum, sicut & voluntaria, in quantum scilicet quanvis intelligere veritatem sit per se amabile, per accidens tamen potest esse odibile, ut impedit ab aliis, quæ voluntas magis amat. *Secundum est*, quia excusat potiùs à peccato, ut dicitur Iob 9. cæcitas illa, quæ provenit ex naturali defectu, quo scilicet impeditur homo ab usu luminis naturalis per defectum virium interiorum, licèt naturali illo lumine nunquam privetur; eá autem quæ est privatio habitualis luminis naturæ superadditi est potiùs pœna, quàm culpa, juxta
Isai. 6. illud: *Excæca cor populi hujus.*

ART. 2. *Vtrum hebetudo sensus sit alíud peccatum à cæcitate mentis.* ℞. *Affirmativè*, non quod non habeant ex eadem parte rationem peccati, sed ita quod importet hebetudo quandam solùm debilitatem cognitionis, cujus quidem dicit cæcitas totalem privationem. *Secundum est*, quia cùm hebetudo sensus in intelligibilibus dicatur secundùm similitudinem in sensibus corporalibus, in quibus sicut ille dicitur acutus, qui percipit objectum remotum, & ille sensu hebetari, qui non percipit nisi propinqua, & magna sensibilia, sic in intelligibilibus, ille habet sensus hebetudinem, qui essentiam ex proprietatibus non cognoscit, nec causas per effectus, & tandem non nisi per multa ei exposita; ideò & importat hebetudo mentis quandam de-

bilitatem mentis circa cognitionem spiritualium bonorum, cujus importat cæcitas omnimodam privationem. *Secundum est*, quia non nisi in quantum est voluntaria habet hebetudo mentis rationem peccati, sicut & mentis cæcitas; sicque ex eadem parte sunt peccatum, sicut & idem contrarium, cui opponuntur, donum scilicet intellectus, quo spiritualia bona percipiũtur.

Vtrum cæcitas mentis, & hebetudo sensus oriantur ex peccatis carnalibus. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possint immundi, & gulosi aliqua vera scire; sed ita quod ex carnis immunditia ab hoc præcipuè impediantur. *Primum est*, quia cùm ortum habeant cæcitas mentis, & hebetudo sensus ex eo quod hominis intentio applicatur ad corporalia, utpote quia consistit perfectio intellectualis cognitionis in quadam abstractione à sensibilibus phantasmatibus; ideò cùm hoc fiat maximè per gulam, & magis adhuc per luxuriam, quæ consistunt circa tactus venereos, & gustum, in quantum scilicet applicat delectatio, quæ quidem in illis est maxima, intentionem ad ea in quibus aliquis delectatur; ideò, inquam, fit quod causet luxuria, in qua est maxima delectatio, cæcitatem mentis, & gula hebetudinem, non quidem agendo in partem intellectivam per alterationem, sed impediendo operationem ipsius, & magis adhuc quàm vitia spiritualia propinquiora, utpote cùm vitia carnalia, quo magis sunt remota à mente, magis ejus intentionem ad remotiora distrahant, sicque magis impediant. *Secundum est*, quia possunt aliqui carnalibus vitiis subditi, propter boni- ART. 5.

Lib. 1. Retractation. cap. 4. tatem ingenij naturalis, aut habitus ſuperadditi aliqua circa intelligibilia ſpeculari, & ita vera aliqua ſcire, quanvis immundi, ut ait Auguſtinus.

IN QVÆSTIONEM XVI.

De præceptis fidei, ſcientiæ, & intellectus.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum in veteri lege debuerint dari præcepta credendi. ℞. Negativè, non quòd non poſſint abſolutè præcepta dari de pluribus credendis; ſed ita quod ad legis, ſive præcepti ſuſceptionem præſupponatur primum credibile, ſeu fides unius Dei. *Primum eſt*, quia cùm lex non imponatur ab aliquo domino niſi ſubditis, proindeque ſupponant præcepta ſubjectionem, & prima hominis ſubjectio ad Deum ſit per fidem, quia accedentem ad Deum oportet credere, ex Paulo; ideò præſuppoſita fide unius Dei, fuere quidem danda in lege prohibitiva præcepta, quibus homines prohiberentur à particularibus defectibus, quibus fides corrumpi poſſet; non tamen præcipi debuit in lege ipſa fides, ſed præſupponi, utpote neceſſaria tanquam principium ſpiritualis vitæ, eſto quod dari potuerint præcepta pertinentia ad confeſſionem fidei, vel doctrinam, utpote ſupponentem ſubjectionem, non autem eam conſtituentem. Vnde & præmiſit Deus, antequam daret præcepta, *Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.* & aliquid etiam præſuppoſuit Chriſtus de fide, dum ſcilicet dixit, *Creditis in Deum?* ſicut & aliquid præcepit, ſcilicet Incarnationem, dum addidit, *Et in me credite.* Et ſimili modo cùm ait Sapiens, *Qui timetis Dominum, credite illi*, ſupponit ibi fidem de Deo, quem quidem

[Margin notes: Hebr. 11. (beside "oportet credere"); Ioan. 14. (beside "quam daret præcepta"); Eccleſ. 2. (beside "Sapiens")]

non timet qui non credit, adeò ut non nisi ad specialia credibilia referatur quod addit, *credite illi. Secundum est*, quia cùm in fide multa contineantur ordinata ad fidem illam, qua credimus Deum esse, ideò præmissa fide de Deo, quâ mens subjicitur, possunt dari absolutè præcepta de aliis credendis, quanvis nec de istis fuerint data in lege veteri, utpote in qua non erant secreta fidei exponenda.

Vtrum in veteri Lege convenienter tradantur præcepta pertinentia ad scientiam & intellectum? ℞. *Affirmativè*, ita quod & sufficienter, & congruè in ea præcipiantur, quæ circa scientiam, & intellectum considerari possunt; si tamen in sensu accommodo intelligantur præceptorum verba. **Art. 4.** *Primum est*, quia cùm tria considerari possint circa scientiam, & intellectum, scilicet acceptio ipsius, tum usus, & conservatio, & de omnibus his præcipiatur in lege; de acceptione quidem, quæ fit per doctrinam, & disciplinam, dum dicitur, *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio in corde tuo, &c.* **Deuter. 6.** de usu autem, qui est eorum contemplatio, dum additur, *Et meditaberis ea sedens in domo tua*; demùm de conservatione, quæ fit per memoriam, ibi: *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, &c.* ideò sufficienter præcipitur in in Lege veteri circa scientiam & intellectum: sed insuper & modo congruo præcipitur, sive quando non inducuntur homines ad scientiam, & intellectum, nisi post præmissa legis præcepta, utpote cùm scientia & intellectus fidelium consistant maximè in præceptis Legis, quæ propterea sunt præmittenda; sive quando expressiùs præcipitur doctrina, quàm dis-

ciplina, utpote quæ ad majores pertinet, per quos præcepta legis debent ad minores, seu discipulos pervenire; sive etiam quando specialiter præcipitur Regibus potiùs quàm Sacerdotibus circa instructionem legis, eo quòd scilicet scientia legis Dei non sit ita annexa officio regali, sicuti officio Sacerdotis, cui intelligitur cōjuncta cū officio ipso. *Secundum est*, quia nec præceptum illud, quod dormiens meditetur de lege Dei, sic intelligitur, quasi dormiens meditetur, sed vadens dormitum, quatenus scilicet ex hoc homines dormiendo meliora adipiscuntur phantasmata, secundùm quod pertranseunt motus à vigilantibus ad dormientes, ut docet Philos. Sicut nec illud, quod in omni actu suo de lege meditetur, sic est intelligendum, quasi semper actu de lege cogitet, sed quod omnia quæ facit, secundùm legem moderetur.

Deuter. 6.

In 1. Ethic.

IN QVÆSTIONEM XVII.

De Spe secundùm se.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum spes sit virtus. ℞. *Affirmativè*, ita quod faciat spes actum hominis bonum, & debitam regulam attingentem; imò & sit dispositio perfecti, quanvis simul & imperfecti. *Primum est*, quia cum sit spes de bono futuro arduo possibili per divinum auxilium, est consequenter attingens supremam regulam & mensuram humanorum actuum, scilicet Deum, proindeque & bonum facit habentem, ad modum aliarum virtutum, & opus ejus bonum reddit; nec potest quis ea malè uti, sicut nec virtute morali, cum Deum attingat tanquam mensuram debitam, sicut & moralis rationem. Vnde nec causatur habitus

bitus ſpei, per quem aliquis beatitudinem exſpectat, ex meritis, ſed ex gratia; eſto quod dicatur cauſari ratione rei ſperatæ, prout quis ſperat beatitudinem conſequi etiam ex meritis. *Secundum eſt*, quia qui ſperat eſt quidem imperfectus ratione rei ſperatæ, quam non habet, ſed eſt perfectus, quatenus jam attingit propriam regulam, ſcilicet Deum.

Vtrum beatitudo æterna ſit objectum proprium ſpei. ℞. *Affirmativè*, non quòd non reſpiciat ſecundariò & alia bona; ſed ita quod beatitudinem, ſub communi ſcilicet ratione boni perfecti, reſpiciat principaliter. *Primum eſt*, quia cùm ſpes Deum attingat innitens ejus auxilio, oportet ut ſit principaliter circa infinitum bonum, ut ita proportionetur virtuti Dei adjuvantis, quæ infinita eſt, quod quidem bonum eſt ipſa beatitudo, quæ in fruitione Dei conſiſtit; ita tamen quod eam reſpiciat ſpes ſub ratione ſolùm communi boni perfecti, ſub qua cadere poteſt in apprehenſione hominis, & in cor aſcendere viatoris; non autem ut cognoſcatur quæ, & qualis eſt. *Secundum eſt*, quia cùm petat fidelis & alia bona præter beatitudinem, ſed ſecundariò & in ordine ad beatitudinem, poteſt ſimiliter & eadem ſperare; ſed ſemper in ordine ad beatitudinem, etiam quantumcunque videantur ardua, cùm non ſint ardua comparativè ad beatitudinem, ſed ſolùm reſpectu facultatis ſperantis. ART. 2.

Vtrum aliquis poſſit ſperare alteri æternam beatitudinem. ℞. *Affirmativè*, non quidem abſolutè, ſed ex præſuppoſitione alterius, unionis ſcilicet amoris ad alterum. *Ratio* ART. 3.

utriusque partis est, quia cùm motus semper sit ad terminum proportionatum mobili, & ideò ad ipsum pertinentem, sitque spes motus quidam, & tendentia in Deum; ideò & est absolutè loquendo solius boni
n n-
ardui ad sperantem pertinentis, ut dicit
bir. 2 Aug. Sed quia ex præsupposita unione charitatis ad alterum, consideratur alter ut unus cum sperante, propterea hoc præsupposito potest aliquis alteri sperare salutem. Quare sicut eadem est charitas, qua quis diligit Deum, seipsum, & proximum; ita & eadem est virtus spei, qua quis sperat sibi ipsi, & alii.

Art. 4. *Vtrum aliquis possit licitè sperare in homine.* ℟. *Negativè*, si nimirum intelligatur non quidem tanquam in secundario & instrumentali agente in ordine ad bona ad beatitudinem ordinata; sed tanquam in prima causa movente in beatitudinem. *Primum est*, quia sicut respicit spes beatitudinem æternam, ut finem ultimum; sic etiam divinum auxilium ut primam causam efficienter inducentem ad beatitudi-
Cap. 17. nem. In quo quidem sensu dicit Ierem: *Maledictus homo, qui confidit in homine. Secundum est*, quia loquendo de homine, ut de agente secundariò & instrumentaliter adjuvante, sic ad Sanctos convertimur, & ab hominibus etiam aliqua petimus; nec non vituperantur illi, de quibus aliquis confidere non potest ad auxilium ferendũ.

Art. 5. *Vtrum spes sit virtus theologica.* ℟. *Affirmativè*, ita quod & ex qua parte est virtus, Deum habeat, sicut theologica, pro objecto; & ex qua parte medium habet, à morali virtute differat. *Primum est*, quia

cum ex hoc habeat quod sit virtus, quia attingit Deum tanquam regulam, eique innititur, & in ipsum fertur; nec sit circa alia bona nisi in ordine ad Deum, ut dictum est; ideò cum in hoc consistat ratio virtutis theologicæ, ut Deum habeat pro objecto, non potest spes non esse virtus theologica, & quidem distincta tum à magnanimitate, quæ tendit in arduum, sed tamen sperans aliquid, non ex divino auxilio, ut spes, sed quod est suæ potestatis; tum à longanimitate, quanvis sit spes expectatio quædam, quippe quæ expectare dicitur, non propter dilationem, ut longanimitas, sed per respectum ad divinum auxilium. *Secundum est*, quia licèt quantum ad ea, quæ quis sperat se adepturum, possint esse medium, & extrema, in quantum præsumit vel desperat; quia tamen versatur spes principaliter circa ipsam divinam regulam, & Deo, seu divino auxilio nemo potest nimis inniti; ideò nec potest spes medium habere per se loquendo, sive ex parte principalis objecti, sicut habet moralis virtus, utpote quæ est non circa regulam, sed circa ea, quæ ratione regulantur, sicut circa proprium objectum.

Utrum spes sit virtus distincta ab aliis virtutibus theologicis. ℟. *Affirmativè*, non quidem per hoc quod aliud habeat objectum, sed per hoc quod idem alio attingat modo. *Ratio utriusque partis est*, quia cum sit Deus objectum virtutis theologicæ, sitque in se simplex & unus; ideò non ex parte objecti distinguitur spes ab aliis theologicis virtutibus; sed quia sufficit ad distinctionem habituum alia & alia ra- ART. 6.

tio, ſub quibus attingatur objectum; & ſpes diverſimodè à fide & charitate Deo adhæreat, cum faciat ſpes nos adhærere Deo, ut ex eo aliquid nobis provenit, ſive ut eſt principium in nobis per divinum auxilium adeptionis beatitudinis, fides autem, ut eſt nobis principium cognoſcendi veritatem; & charitas faciat nos adhærere Deo, non tanquam principio in nobis, ſed propter ſeipſum, uniendo hominis mentem ipſi Deo per affectum amoris; conſequenter fit, quod cum eodem objecto adhuc ſufficienter diſtinguatur ſpes à fide, & charitate. Vnde ponitur quidem expectatio de reſurrectione in Symbolo fidei, non quòd ſit actus fidei, ſed in quantum actus ſpei præſupponit fidem, & actus fidei manifeſtatur per actum ſpei.

ART. 7. *Vtrum ſpes præcedat fidem.* ℞. *Negativè,* ita quod nec ex parte boni quod ſperat, habeat fidem præcedere, nec ex parte poſſibilitatis ſub qua illud ſperat. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm bonum illud, quod ſperamus, ſit beatitudo æterna, quæ quidem non niſi per auxilium ſupernaturale divinum ſit nobis poſſibilis; ideò cum non niſi per fidem nobis utrumque proponatur, utpote quâ nobis innoteſcit & quod ad vitam æternam, ſeu Dei poſſeſſionem poſſumus pervenire, & quod ad hoc nobis paratum eſt Dei auxilium, præceditur per conſequens ſpes per fidem ſub utraque ratione; & quidem quanvis ad actum fidei meritorium ſit neceſſaria ſpes, utpote cum non ſit ad hoc neceſſe, ut actus meritorius habeat ſpem præcedentem, ſed ſufficiat ad hoc, ut habeat ſpem vel concomi-

tantem, vel ſubſequentem. Vnde dicitur quidem ſpes introitus fidei; ſed quia per eam homo ad hoc intrat, ut ſtabiliatur, & perficiatur in fide, nec ponitur in definitione fidei res ſperanda, quaſi ſpes præcedat fidem, ſed quia cùm fidei objectum non ſit apparens ſecundùm ſeipſum, neceſſe fuit, ut quadam circumlocutione deſignaretur per id quod ad fidem conſequitur. Hæbr.11.

Vtrum charitas ſit prior ſpe: ℞. *Negativè*; ſi tamen ſubintelligatur, non ſecundùm ordinem perfectionis, & formæ; ſed de prioritate ſecundùm ordinem, ſecundùm quem imperfectum eſt prius perfecto, ſive ſecundùm generationis viam. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſpes pertineat ad amorem imperfectum, quo quis aliquid amat, ut bonum ſibi ipſi proveniat, quoniam non ſperat niſi qui aliquod ſibi bonum obtinere intendit; & amor imperfectus ſit prior ſecundùm generationis viam amore perfecto, quo ſcilicet amatur aliquid ſecundùm ſeipſum, quod quidem ad charitatem pertinet; ideò ſecundùm viam perfectionis eſt quidem charitas naturaliter prior, utpote quâ adveniente ſpes perfectior redditur; in quo quidem ſenſu intelligitur Ambroſ. necnon & authoritas ſumpta ex Magiſtro, quiquidem loquitur de ſpe charitate informata, quam naturaliter præcedunt charitas, & merita, quæ cauſantur ex charitate; at in via generationis debet ſpes charitatem præcedere, præſertim cùm introducat ſpes ad charitatem, in quantum aliquis ſperans remunerari à Deo accenditur ad Deum amandum. Vnde omnis quidem motus, & affectus eſt ex amo- ART. 8. Super 17. Luc. in 3. ſent. diſt. 26.

14. de ci- re, ut patet ex authoritate Augustini. Ve-
vit. Dei. rùm ex hoc non sequitur, quod omnis spes oriatur ex charitate, quæ est amor quidam, quoniam solum à charitate nascitur motus spei formatæ.

IN QVÆSTIONEM XVIII.

De subjecto Spei.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum spes sit in voluntate, sicut in subjecto. ℞. *Affirmativè*, ita quod & sit actus spei motus appetitivæ partis; & appetitus, cujus est actus, sit intellectualis, non sensitivus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm objectum spei sit bonum, non potest per consequens actus spei non esse motus appetitivæ partis; sed quia bonum, quod est objectum ejus principale, non est bonum sensibile, sed divinum, nec potest esse motus ille spei appetitus sensitivi, sed intellectualis tantùm, seu voluntatis, ad quem pertinet arduum intelligibile, sicut & ad irascibilem appetitum arduum sensibile. Vnde præter charitatem, utpote solùm perficientem quantum ad diligere, requiruntur in voluntate & aliæ virtutes ad alios actus, putà ad motum spei, quem quidem non inconvenit esse ejusdem potentiæ cum motu charitatis, cùm habeant ordinem ad invicem.

ART. 2. *Vtrum spes sit in Beatis.* ℞. *Negativè*, non quòd non possit quis aliquid sperare in statu beatitudinis, sed ita quod non speret tunc ex virtute spei. *Ratiò utriusque partis est*, quia cùm subtracto eo, quod dat speciem rei, subtrahatur & res; & spes recipiat speciem à suo objecto principali, quod quidem est non gloria corporis, quam propterea possunt Beati sperare, & magis

adhuc potuit Christus, utpote non minùs viator respectu passibilitatis naturæ, quàm comprehensor respectu fruitionis divinæ; sed ipsa æterna beatitudo, & quidem sub ratione futuræ, ideò cum in Beatis sit beatitudo, non futura, sed præsens, possunt quidem sperare gloriam corporis, vel etiam continuationem beatitudinis, quia ibi non est ratio futuri, non tamen ex virtute spei, quæ scilicet speciem habet ex objecto principali, adeò ut nec ratione virtutis spei aliis sperent beatitudinem, sed ratione charitatis.

Vtrum spes sit in damnatis. ℞. *Negativè*, non quòd non possint aliqua sperare; sed ita quod spe illâ, de qua loquimur, sperare non possint. *Primum est*, quia cùm ad conditionem miseriæ damnatorum pertineat, ut pœna repugnet voluntati, quod quidem fit dum sciunt, se non posse damnationem evadere; sicuti ad veram beatitudinem, ut Beati sciant beatitudinis perpetuitatem: ideò cum non possint damnati apprehendere beatitudinem ut bonum possibile, quod est objectum spei, de qua loquimur, sicut nec Beati ut bonum futurum, nec etiam per hujusmodi spem sperare possunt, quanvis non variet defectus ille spei in damnatis demeritum, utpote qui contingit ex mutatione status. Vnde potest quidem esse in damnatis fides informis, quippe quæ est bonarum, & malarum rerum, præteritarum, sicut & futurarum & præsentium; non ita tamen de virtute spei, utpote quæ non est nisi bonarum, & futurarum. *Secundum est*, quia scriptum est de diabolo: *Ecce spes ejus frustrabitur eum.* Quod quidem ART. 3. Iob 40.

licèt possit intelligi secundùm membra ejus, potest etiam referri ad spem, quâ ipse sperat se de Sanctis victoriam obtinere, juxta illud, quod suprà præmiserat: Habet fiduciam, quod Iordanis influat in os ejus.

ART. 4. *Vtrum spes viatorum habeat certitudinem.* ℞. *Affirmativè*, non quidem essentialiter, sed participativè. *Ratio utriusque partis est*, quia cum certitudo sit essentialiter in vi cognoscitiva, & consequenter sit participativè in omni eo, quod à vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad suum finem, quasi participans certitudinem & infallibilitatem à fide, quæ est in vi cognoscitivâ, est consequenter certa, non quidem essentialiter, cum non subjectetur in intellectu, sed in voluntate; sed participativè, ita tamen, quod non innitatur principaliter gratiæ jam habitæ, de qua viator non est certus; sed divinæ omnipotentiæ, & misericordiæ, de quibus scilicet certus est quicumque fidem habet. Vnde nec ejus derogat certitudini, quod aliqui deficiant à consequutione beatitudinis, utpote cùm id proveniat non ex defectu misericordiæ, & omnipotentiæ Dei, quibus innititur, sed ex libero arbitrio ponente obicem peccati.

IN QVÆSTIONEM XIX.

De dono timoris.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum Deus possit timeri. ℞. *Affirmativè*, non quidem tanquam ipsum malum, quod homo refugit; sed tanquam id à quo potest nobis malum aliquod imminere. *Primum est*, quia cùm provenire possit à Deo, non quidem malum culpæ, quod est à nobis ut ab auctore, sed malum pœnæ,

quod licèt sit bonum simpliciter, in quantum servat ordinem ad finem ultimum, est tamen malum secundùm quid, in quantum privat aliquo particulari bono; ideò & potest Deus esse sub hac ratione objectum timoris, & quidem quanvis sit objectum spei, utpote cùm non sit inconveniens esse illa duo circa idem, scilicet circa Deum, secundùm diversas rationes, putà justitiæ punientis, & misericordiæ liberantis. *Secundum est*, quia cùm Deus sit ipsa bonitas, non potest per consequens esse ipsum malum, quod homo timet refugiendo.

Vtrum timor convenienter dividatur in filialem, initialem, servilem, & mundanum. ART. 2.

℞. *Affirmativè*, si nimirum dividatur non secundùm quod est passio animæ, sed prout per timorem convertimur aliquo modo ad Deum, vel avertimur. *Primum est*, quia cùm sit timor mundanus, si avertitur à Deo propter mala, quæ ab eo timet; & servilis, si ad Deum convertatur, & ei inhæreat propter timorem pœnæ; sicut & filialis, si ob timorem culpæ, quandoquidem timet filius offensam patris; & si propter utrumque, initialis, ideò & in hæc quatuor convenienter dividitur; adeò ut distingui debeant timor servilis, initialis, & mundanus, cùm pœnam quidem respiciant, sed diversimodè; sed & coadunentur, & ad idem pertineant timor castus ad sponsum, & filialis ad patrem, cùm per eandem charitatem Deus sit & pater noster, & sponsus noster: tum etiam timor à Deo avertens metu bonorum exteriorum, & avertens à Deo metu incolumitatis corporis, quandoquidem licèt peccata sint diversa, hoc

tamen habent commune, quod à Deo avertant. *Secundum est*, quia sumptus timor ut est passio animæ, in sex potiùs dividitur species, & quidem ex Damasc. scilicet segnitiem, erubescentiam, & alias, de quibus suprà dictum est, quæ quidem in præfata divisione non connumerantur, sicut nec timor naturalis, utpote qui præsupponitur bono & malo morali.

1.2.q.41. art. 4.

Art. 3. *Vtrum timor mundanus sit semper malus.*

℞. *Affirmativè*, si tamen propriè sumatur timor mundanus, sicut & mundanus amor, à quo nascitur; non autem quomodocumque, sive pro qualicumque timore & amore mundi. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm timor semper causetur ab amore, proindeque & timor mundanus ab amore mūdano; ideò cum amor mundanus sit semper malus, utpote quia propriè mundanus dicitur, non qui quomodocumque mundum amat, sed qui mundo innititur tanquam fini, in quem quidem fertur appetitus, & à quo fit specificatio & denominatio; erit etiam mundanus timor, non quidem sumptus pro qualicumque timore mundi, sed secundùm proprietatem denominationis, semper malus, cùm sic à mala oriatur radice. Quanvis namque naturale sit, ut homo refugiat corporis & rerum temporalium detrimenta; tamen quod propter ista recedat à justitia, ut fit per timorem & amorem mundanum, qui in temporalibus finem constituunt, est contra rationem naturalem, & ideò semper malum. Et quidem quanvis vituperentur homines si quādoque non revereantur Potestates sæculares, utpote cùm tunc ita vituperentur,

quia in his perſonis eſt aliquid divini, vel gratiæ, vel naturalis imaginis Dei: imò nec ad timorem mundanum pertinet timere hujus mundi Poteſtates, prout inferunt pœnas ad retrahendum à peccato; ſed ad ſervilem, vel initialem, qui boni ſunt.

Vtrum timor ſervilis ſit malus. ℞. *Negativè*, non quòd ſervilitas non ſit mala; ſed quia non eſt ſervilitas, quâ malus eſt, de ipſius ſubſtantia. *Primum eſt*, quia cùm objectum timoris ſit pœna, cui quidem accidit ut bonum cui contrariatur, ametur ut finis ultimus, & pœna timeatur ut principale malum, ſicut accidit in non habente charitatem; vel quod ordinetur in Deum ut in finem, nec timeatur pœna ut malum principale, ut accidit in habente charitatem; neque enim mutatur ſpecies habitus ex hoc quod ejus objectum, vel finis ordinatur ad ulteriorem finem; conſequenter ſit quod ſervilitas, quæ timorem reddit malum, quia facit quod timeatur pœna ut principale malum, & ametur bonum proprium cui contrariatur, ut finis ultimus, per accidens ſe habet ad ſubſtantiam timoris, proindeque quod poſſit ſervilis timor quoad ſubſtantiam eſſe bonus, cum ex ſe non dicat niſi timorem pœnæ, qui ex ſui natura non excludit ordinem ad Deum ulteriorem finem, ut dictum eſt: eſto quod mercenarius amor, quia non niſi propter temporalia bona Deum diligit, ſemper ſit malus. Vnde Gloſſa illa: *Qui timore aliquid facit, etſi bonum aliquid facit, non tamen bene facit*; non niſi de timore in quantum ſervili loquitur, quò ſcilicet facit, non quòd amet juſtitia, ſed ſolùm ART. 4. Super cap. 8. Roman.

quia timet pœnam; neque oritur timor ille servilis secundùm suam substantiam ex tumore, sed secundùm servilitatem, quâ scilicet renuit homo subjicere affectum suum jugo justitiæ per amorem. *Secundum est*, quia cùm contra rationem servilitatis sit, quod quis ex charitate operetur, quæ ex voluntate operatur, utpote cùm servus, quà talis non sui causâ operetur, sed quasi ab extrinseco motus; ideò quoad servilitatem est semper timor ille malus.

ART. 5. *Vtrum timor servilis sit idem in substantia cum timore filiali.* ℟. *Negativè*, ita quod & specie differant ex parte mali, ad quod attendunt, ut ad objectum; & sufficienter distinguantur secundùm habitudinem ad Deum, ut specie differant. *Primum est*, quia malum pœnæ, quod est objectum timoris servilis, differt specificè à malo culpæ, quod est objectum timoris filialis. Vnde nec philisophandum de filiali & servili timore, sicut de fide formata, & informi, quæ quidem cùm idem habeant objectum, quod est credere Deo & Deum, ideò nec differunt in substantia. *Secundum est*, quia cùm dicat servilis habitudinem ad Deum, ut ad principium inflictivum pœnarum, servilis verò è contra tanquam ad terminum, à quo refugit separari per culpam; ideò & sufficienter distinguuntur in habitudine ut in duas dividantur species, & quidem magis, quàm spes, quippe quæ Deum respicit ut principium tam respectu fruitionis divinæ, quàm alterius beneficii.

ART. 6. *Vtrum timor servilis remaneat cum charitate.* ℟. *Affirmativè*, non quòd maneat

in quantum servilis cum charitate; sed ita quod substantia timoris servilis cum charitate manere possit. *Ratio utriusque partis est*; quia cùm eo modo se habeat timor pœnæ ad charitatem, ut amor sui, qui quidem vel se habet ad charitatem ut ei contrarietur, ut cùm quis in sui amore finem constituit; vel ut ab ea includatur, ut cùm quis amat se propter Deum, & in Deo; vel ut ab ea distinguatur absque contrarietate, ut cùm quis diligit se propter proprium bonum, in quo tamen non ponit finem: ita & potest quis timore servili metuere pœnam, ut excludatur charitas, sicut accidit cùm respicit quis pœnam ut malum principale, metu cujus, etiam justitiæ amorem desereret: & de hoc, in quantum scilicet ita servili, intelligendus est Aug. sed etiam potest quis timere pœnam, ut includatur timor in charitate, qualis est timor separationis à Deo, quæ est quædam pœna; vel etiam, ut distinguatur à charitate, sed eam non excludat, sicut dum timet pœnam; nec tamen ibi constituit finem. Lib. 14. de civit. cap. ult.

Vtrum timor sit initium sapientiæ. ℞. *Affirmativè*, non quidem quantum ad ipsius sapientiæ essentiam, sed quantum ad ejus effectum. *Primum est*, quia cùm sapientia apud nos non consideretur solùm ut est cognoscitiva Dei, ut apud Philosophos; sed etiam ut est vitæ directiva, etiam secundùm rationes divinas; ideò & oportet ut principium sumat ex eo quod homo Deum revereatur, & ei se subjiciat; sitque propterea timor id, unde sapientia incipit operari: servilis quidem in quantum per eum discedit aliquis à peccato, & ideo ART. 7.

initium ſapientiæ extra diſponens: filialis verò tanquam principium, ut primus ſapientiæ effectus. Vnde non aliter dicitur timor ſapientia, niſi in quantum eſt ejus radix, quatenus ſcilicet in radice videtur eſſe tota arbor. *Secundum eſt*, quia cùm initium ſapientiæ ſecundùm ejus eſſentiam ſint prima principia ſapientiæ, quæ quidem ſunt articuli fidei, quæ timorem præcedit, ideò ſecundùm hoc non timor, ſed fides dicitur initium ſapientiæ.

ART. 8. *Vtrum timor initialis differat ſecundùm ſubſtantiam à timore filiali.* ℞. *Affirmativè*; ſi tamen dicatur initialis, non prout eſt initium ſapientiæ, ſed prout ſtatui competit incipientium intra lineam charitatis. *Primum eſt*, quia cùm timor ita initialis per inchoationem charitatis ſe habeat ad filialem, ſicut charitas imperfecta ad perfectam, quæ quidem non differunt ſecundùm eſſentiam, ſed tantùm ſecundùm ſtatum; nec reſpiciat timor ille initialis pœnam ut proprium objectum, ſed ſolùm ut habet aliquid de timore ſervili adjunctum; ideò remota ſervilitate adhuc manet ſecundùm ſubſtantiam cum filiali, eſto quod ceſſet actus illius in eo qui charitatem habet perfectam cum filiali, utpote quæ ita perfecta foras mittit timorem habentem pœnam, ut dicitur 1. Ioan. 4. Vnde eſt quidem initialis timor medius inter ſervilem, & filialem timorem; ſed non ut inter ea quæ ſunt unius generis, in quo caſu differret eadem ratione ab utroque extremorum; ſed ſicut imperfectum eſt medium inter ens perfectum, & non ens. *Secundum eſt*, quia cùm & timor ſervilis, & filialis

ſint aliquo modo initium ſapientiæ ; imò & timor qui eſt initium dilectionis, ſit timor ſervilis, qui introducit charitatem ſicut ſeta introducit linum, ut dicit Auguſt. ideò non ſic accipitur initialis quando de ejus agitur diſtinctione ſive à filiali, ſive à ſervili. Tract. 9. in can. Ioan.

Vtrum timor ſit donum Spiritus ſancti. Art. 9.
℞. *Affirmativè*, ſi tamen ſubintelligatur de timore filiali, & caſto ; non de ſervili, & humano. *Primum eſt*, quia cùm dona Spiritus ſancti ſint quædam habituales perfectiones potentiarum animæ, quibus redduntur bene mobiles à Spiritu ſancto, ad quod quidem requiritur, ut ſubjectum non repugnet, aliàs enim impediretur motus; ideò cum adhoc faciat timor filialis & caſtus, utpote per quem Deum reveremur, & refugimus nos ipſi ſubducere, eſt conſequenter timor ille dònum Spiritus ſanctus. Vnde nec eſt virtus theologica, cùm ſit timor formaliter de malo, nec Deum reſpiciat directè ut objectum, ſicut virtutes theologicæ : nec idem eſt cum virtute humilitatis, quanvis contrarietur ſuperbiæ, Deum reverendo, ſed ſolùm principium ejus : aut idem cum habitu charitatis, ex hoc quod amor principium eſt hujuſmodi timoris, utpote cùm amor magis reſpiciat bonum, & ideo magis habeat rationem virtutis, quàm timor, qui formaliter reſpicit malum, cujus fugam importat :. ſed nec contrariatur ſpei filialis ille timor, cùm timeat non quod deficiat divinum auxilium, ſed potiùs ne nos à divino auxilio ſubtrahamus. *Secundum eſt*, quia & timor humanus, ex quo quidem, ex

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 18. Lib. de natur. & grat.

Aug. negavit Petrus Dominum; & servilis timor, ex eodem Aug. habere possunt annexam voluntatem peccandi: & ideò esse non possunt dona Spiritus sancti, quæ quidem non sunt sine charitate, ut dictum est in 1. 2. quæst. 68.

ART. 10. *Vtrum crescente charitate diminuatur timor.* ℞. *Negativè*, si nimirum sit sermo de timore, non servili quantum ad actum, sed filiali. *Primum est*, quia cùm eo magis timeat quis aliquem offendere, & ab eo separari, quo magis eum diligit; ideò necesse est ut potiùs crescat filialis timor crescente charitate, sicut effectus crescente causâ; præsertim cùm non importet timor filialis separationem, sed magis subjectionem reverentialem, quam quidem non minuit, sed magis auget charitas, dum ipsa augetur. *Secundum est*, quia cùm eo minùs quis timeat pœnam, quo magis Deum diligit, tum quia minùs attendit ad ad proprium bonum, & magis confidit de præmio; ideò nedum totaliter tollitur servilis timor quoad servilitatem adveniente charitate, sed etiam manens quoad substantiam, minuitur tamen quoad actum, seu metum pœnæ, quando augetur charitas, sicut & quando augetur spes.

ART. 11. *Vtrùm timor remaneat in patria.* ℞. *Affirmativè*, ita quod non omnis timor totaliter evacuetur, esto quod evacuetur totaliter servilis, vel etiam filialis, quantum ad eundem omninò actum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm omnis excludatur pœna in patria per beatitudinis æternæ securitatem, quæ est de ejus ratione, ideò nec erit ullo modo servilis timor in patria; sed

quia, ut dictum, augetur filialis auctâ charitate: & præterea non dicit timor ille defectum ex carentia beatitudinis, sicut spes, quæ proptereà tollitur per ejus præsentiam in patria; sed potiùs defectum naturalem creaturæ, ut in infinitum distat à Deo, quod etiam erit in patria; ideò & manebit filialis timor, ac perficietur in patria. Et quidem quanvis Deo, cui similes erimus in patria, ut scriptum est, non conveniat timor, utpote cùm hæc similitudo non sit secundùm perfectam imitationem; & insuper consistat beatitudo creaturæ in perfecta potiùs subjectione ad Deum. Vnde per illud, *Abundantiâ perfruetur*, timore malorum sublato excluditur quidem timor de malo præcavens, non autem timor securus, & subjiciens, ut dicit Aug. cum quo tamen stat, quod timor iste non eundem omninò actum habeat in patria, quem modò habet; tum quia, ut ait Aug. non erit timor exiens à malo, quod accidere potest; sed tenens in bono, quod amitti non potest: tum quia erit ibi fuga hujus mali, quod est Deo non subjici, ut possibilis naturæ, impossibilis autem beatitudini: tum denique nomine timoris significatur ibi ex Aug. ea voluntas, quâ nos necesse erit nolle peccare, non sollicitudine infirmitatis, sed tranquillitate charitatis, & ita erit securus timor.

1. Ioan. 3. Prov. 1. Lib. 14. de civit. cap. 9. Lib. 14. de civit. cap. 9.

ART. 12. *Vtrum paupertas Spiritus sit beatitudo respondens dono timoris.* ℟. *Affirmativè*, non quòd ei non respondeat beatitudo luctus ex consequenti; sed ita quod directè ei respondeat beatitudo paupertatis spiritus. *Primum est*, quia cùm ad timorem filialem

pertineat Deo reverentiam exhibere, & ei ſubditum eſſe, proindeque & directè reſpondeat dono timoris, quod ex hujuſmodi ſubjectione directè ſequitur; ideò cùm ex perfecta illa ſubjectione ad Deum, ad quam quidem requiritur, ut aliquis deſinat in ſeipſo, vel in alio magnificari, niſi in Deo, directè ſequatur paupertas ſpiritus, quæ nihil aliud eſt, quàm exinanitio inflati, & ſuperbi ſpiritus, vel abjectio voluntaria temporalium rerum per inſtinctum ſpiritus ſancti, proinde fit quod timoris dono propriè reſpondeat beatitudo paupertatis ſpiritus; adeò ut ſicut ſpei, quia eſt motus ad terminum, convenienter reſpondet ultima beatitudo; ſic timori, qui potiùs dicit receſſum à termino à quo, directè reſpondeat prima, quæ eſt per receſſum à rebus exterioribus divinam impedientibus ſubjectionem; ſicut & ex fructibus ei convenire videntur, quæ ſpectant ad moderatum uſum, vel abſtinentiam à rebus temporalibus, ut modeſtia, caſtitas &c. Vnde omnes quidem beatitudines ad perfectionem pertinent ſpiritualis vitæ, cùm ſint actus virtutis perfectæ; ſed quia perfectio non conſiſtit in ipſa temporalium bonorum deſertione, quæ eſt potiùs via ad perfectionem; ideò nec ei reſpondet beatitudo paupertatis, ſed magis timori, præſertim cùm ei adjuncta ſit perfectio ſapientiæ. *Secundum eſt*, quia cùm hic, qui Deum reveretur & ei ſubditur per timorem, non delectetur ex conſequenti in aliis à Deo, ideò & ex cõſequenti reſpondet dono timoris beatitudo luctus, ad quã maximè ſpectat delectationes carnis reprimere.

IN QVÆSTIONEM XX.

De vitiis oppositis Spei.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *desperatio sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ad modum aliorum motuum appetitus, qui vitiosi sunt, se habeat conformiter intellectui falso, sive existimationi falsæ de Deo; quanvis non ita, quod etiam in damnatis sit peccatum. *Primum est*, quia cùm falsa sit existimatio de Deo, quod peccatori pœnitenti veniam deneget, juxta illud: Nolo mortem peccatoris, &c. &'desperatio, quæ est motus appetitus, sit huic existimationi conformis; ideò cum ex Phil. quod est in intellectu verum, vel falsum, sit in appetitu bonum, & malum, non nisi malus erit desperationis motus, & mortaliter peccaminosus, consistens principaliter in aversione à Deo incommutabili bono, utpote oppositus virtuti theologicæ, quæ Deum habet pro objecto; & ex consequenti conversionem importans ad bonum commutabile, in quantum anima deserens Deum consequenter necesse est, quod ad alia convertatur; & quidem quanvis videatur desperatio ex bona procedere radice, ut ex timore Dei, vel ex horrore magnitudinis peccatorum, utpote cum non directè sicut ab habitu ab eo procedat, sed occasionaliter solùm & indirectè, quo modo potest ex virtute peccatum procedere, ut dum quis superbit ex virtute. *Secundum est*, quia non sunt damnati in statu sperandi propter impossibilitatem reditus ad beatitudinem; & ideò quod non sperent, non imputatur eis in peccatum, sed potiùs pars est damnationis ipsorum.

Ezech. 18.

In 6. Ethic.

ART. 2. *Vtrum desperatio sine infidelitate esse possit.* ℟. *Affirmativè*, non quòd non corrumpatur in desperationis motu vera æstimatio circa particulare; sed ita quod possit adhuc retineri in universali vera æstimatio fidei circa peccati remissionem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm desperatio pertineat ad appetitum, qui est particularium, fides autem ad intellectum, qui est universalium; & possit contingere, aliquem rectam habentem æstimationem in universali, circa tamen motum appetitivum non rectè se habere, utpote quia potest esse corrupta ejus æstimatio circa particulare, qua quidem mediante ab æstimatione universali ad appetitum devenitur rei particularis; ideo & fieri potest, quod aliquis retinendo in universali veram æstimationem fidei circa remissionem fidei, contra quā in universali errabant Novatiani, adhuc patiatur desperationis motū, scilicet quod sibi in tali particulari casu existenti non sit sperandum de venia, propter scilicet corruptam æstimationem circa particulare. Certitudo namque spei potest auferri non solùm sublatâ universâ æstimatione fidei, quæ est sicuti prima ejus causa, sed etiam sublatâ æstimatione verâ in particulari, velut causâ secundâ. Neque qui desperat, æstimat propterea, non esse divinam misericordiam infinitam, in quo casu infidelis esset; sed solùm existimat, quod propter aliquam dispositionem particularem non sit ei de divina misericordia sperandum.

ART. 3. *Vtrum desperatio sit maximum peccatorum.* ℟. *Affirmativè*, ita scilicet quod ex parte nostra sit desperatio periculosior;

esto quod infidelitas, & odium Dei secundùm se loquendo sint graviora. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ista duo sint contra Deum secundùm quod est in se verus & bonus, desperatio autē sit contra Deum prout solùm ejus bonum participatur à nobis; ideò secundùm se loquendo majus peccatum est non credere Dei veritatem, & eum odisse, quàm non sperare ab eo gloriam consequi; sed quia sublatâ spe homines irrefrenatè labuntur in vitia, & à bonis operibus retrahuntur; ideò non solùm hoc habet desperatio commune cum infidelitate, & odio Dei, quia opponuntur virtutibus theologicis, quòd sit aliis peccatis gravior, utpote importans principaliter aversionem à Deo, qui est harum virtutum objectum, in qua quidem consistit principaliter peccati gravitas; sed etiam comparata ad ista duo est ex parte nostra periculosior. Vnde & dixit Glossa, nihil esse desperatione execrabilius; & Isidorus, quod desperare est descendere in infernum. Super 24 Prov. in lib. de summo bono.

ART. 4. *Vtrum desperatio ex acedia oriatur*. ℟. *Affirmativè*, non quòd non possit ex una parte oriri ex luxuria, sed ita quod specialiùs oriatur ex acedia. *Primū est*, quia cū desperatio præcipuè consistat in eo, quod homo non æstimet possibile sibi adipisci bonum arduum, vel per se, vel per alium; & hoc fiat specialiter per acediam, quæ quædam est tristitia dejectiva spiritus; ideò & specialiùs oritur desperatio ex acedia, adeò ut sicut homines in delectationibus existentes efficiuntur majoris spei, sic etiam in tristitiis ex acedia existentes faciliùs in desperationem incidunt; & quidem etiam

quanvis oriatur desperatio ex negligentia considerandi divina beneficia, utpote cùm illa negligentia etiam ex acedia proficiscatur. *Secundum est*, quia cùm objectum spei non solùm videri debeat ut possibile adipisci, sed etiam ut bonum arduum; & quod homines non sapiant bona spiritualia, vel quod eis non videantur quasi magna bona, procedat ex amore delectationum corporalium, inter quas præcipuæ sunt delectationes venereæ, quibus fastidit homo spiritualia bona, nec ea respicit ut ardua bona; ideò & ex luxuria potest oriri desperatio.

IN QVÆSTIONEM XXI.

De præsumptione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum præsumptio innitatur Deo, seu divinæ virtuti. ℞. *Affirmativè*, non quidem omnis præsumptio, sed ea quæ per immoderantiam quandam spei opponitur huic spei, quæ ponitur virtus theologica. *Primum est*, quia cùm ex tali præsumptione tendat quis in bonum aliquod ut possibile per virtutem & misericordiam divinam, quod non est, ut consequi veniam sine pœnitentia, & gloriam sine meritis; ideò & inordinatè innititur hujusmodi præsumptio divinæ virtuti, estque peccatum in Spiritum sanctum, utpote quæ contemnit, vel tollit adjutorium quo à peccato revocamur: ita tamen quod præsumptio hæc, quâ quis sic inordinatè præsumit de Deo, amorem sui includat, quo quis proprium bonum inordinatè desiderat, unde & ex utraque parte habet malitiam; necnon & simul habeat conversionem ad bonum commutabile, in quantum

ſcilicet procedit ex deſiderio inordinato proprii boni: tum etiam averſionem à bono incommutabili, prout attribuit divinæ virtuti quod ei non convenit. *Secundum eſt*, quia attenditur etiam præſumptio circa ſpem, per quam aliquis propriâ virtute confidit, & tendit in bonum, ut ſibi poſſibile, quod ſuam facultatem excedit; quæ quidem præſumptio opponitur virtuti magnanimitatis, ſed minùs gravis eſt, quàm ea, quæ divinæ innititur virtuti, ad conſequendum quod non convenit, utpote cùm hoc ſit divinam minuere virtutem.

Vtrum præſumptio ſit peccatum. ℞. *Affirmativè*, ita quod qua ratione deſperatio eſt peccatum, ita & præſumptio; quanvis non tam grave ac deſperatio. *Primum eſt*, quia cùm motus ille appetitivus erga Deũ, quod in peccato perſeverantibus veniam concedat, & à bono opere ceſſantibus beatitudinem, conformiter ſe habeat ad intellectum falſum; ideo ſicut ex hoc habet deſperatio eſſe peccatum, ut dictum eſt, ſic & præſumptio; non ea quidem, de qua dicitur: Exaudi de tua miſericordia præſumentem, utpote quæ ibi accipitur pro ſpe, quæ præſumptio videtur, ſi menſuretur ſecundùm conditionem humanam: nec quaſi importans ſuperexceſſum ſpei, quaſi aliquis nimis ſperet de Deo; ſed quia de Deo ſperans, quod ei non convenit. Ita tamen quod ſicut peccare cum propoſito perſeverandi in peccato ſub ſpe veniæ, quod eſt præſumptionis, non minuit, ſed auget peccatum; ſic peccare ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi à peccato, & pœnitendi,

ART. 2. Iudith 9.

non sit præsumptio, & minuat peccatum; cùm tunc videatur habere voluntatem minùs firmatam ad peccandum. *Secundum est*, quia cùm magis proprium sit Deo misereri, & parcere, quàm punire, propter ejus infinitam bonitatem: unde & parcere primùm, & ex se Deo convenit, punire autem non nisi secundùm peccata nostra; ideò & est præsumptio minus peccatum, seu minùs dissona rectæ rationi quàm desperatio.

ART. 3. *Vtrum præsumptio magis opponatur timori, quàm spei.* ℞. *Negativè*, non quòd non manifestè opponatur timori, præcipuè servili; sed ita quod quia spei contrariatur secundùm falsam quandam similitudinem, ideò directiùs ei opponatur. *Primum est*, quia cùm magis, & directiùs opponantur quæ sunt ejusdem generis, utpote tunc opposita specificè secundùm propriam differentiam; & præsumptio, quia contraria spei, secundùm falsam quandam similitudinem sit ejusdem generis, cùm hoc ipso innitatur eidem objecto, sed spes ordinatè, & præsumptio inordinatè; ideò maximè quidem distat præsumptio à timore, quem etiam totaliter excludit, utpote ei contraria contrarietate generis; non tamen ita directè opponitur sicuti spei, cui opponitur secundùm propriam differentiam, sicut inordinatum ordinato. Vnde nec nisi abusivè dicitur præsumptio inordinatio timoris, ut etiam spes dicitur de malo; sicque non sequitur, quod magis opponatur timori. *Secundum est*, quia cùm respiciat timor, præcipuè servilis, pœnam ex divina justitia provenientem, cujus quidem

quidem remiſſionem præſumptio ſperat, ideò & manifeſtam habet præſumptio oppoſitionem ad timorem.

Vtrum præſumptio cauſetur ex inani gloria. ℞. *Affirmativè*; ſi tamen de præſumptione ſit ſermo, quæ propriæ innititur virtuti, non quæ inordinatè innititur divinæ miſericordiæ, ſeu potentiæ. *Primum eſt*, quia ex hoc quod quis multùm deſiderat gloriam, ſequitur quod attentet ad gloriam quandam ſuper vires ſuas; unde ſignanter poſuit Greg. præſumptionem novitatum, quæ quidem majorem habent admirationem, filiam inanis gloriæ. *Secundum eſt*, quia præſumptio, quâ quis inordinatè Deo innitendo ſperat ſe obtinere gloriam ſine meritis, aut veniam ſine pœnitentia, directè potiùs oritur ex ſuperbia, ac ſi ipſe tanti ſe æſtimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel à gloria excludat. ART. 4.

IN QVÆSTIONEM XXII.

De præceptis pertinentibus ad ſpem, & timorem.

VTrum de ſpe debeat dari aliquod præceptum. ℞. *Affirmativè*, ſed per modum promiſſionis in prima legiſlatione; & lege ſuppoſita, per modum etiam præcepti, & admonitionis. *Primum eſt*, quia cùm natura inclinet tantùm ſufficienter ad ſperandum bonum naturæ proportionatum, ideò & opus fuit præcepto ad bonum ſupernaturale ſperandum; ſed quia fides & ſpes ſunt præambula ad legem, quibus non exiſtentibus lex locum non haberet; ideò ante legem, aut in ipſa legiſlatione non niſi per modum promiſſionis proponi ARTICVLVS PRIMVS.

debuit præceptum spei, sicut & præceptum fidei per modum denunciationis; adeo ut præcepta pertinentia ad substantiam legis non potuerint dari de spe, utpote quæ cùm pertineant ad rectitudinem vitæ, dantur homini jam subjecto, & ad obediendum parato per spem & fidem. Vnde nec poni debuit præceptum spei inter prima legis præcepta, scilicet Decalogi, quia sufficiebat tunc ad spem inducere per promissiones quasdam. *Secundum est*, quia cùm sapientes non solùm debeant inducere homines ad præcepta servanda, sed multò magis ad legis conservandum fundamentum; ideò lege supposita, inducendi sunt homines etiam per modum præcepti ad sperandum, ut de facto pluries sic inducuntur in Scriptura, ut notat Aug. ita tamen quod quia in præceptis affirmativis de his, quæ facienda, sunt continentur prohibitiones eorum, quæ sunt vitanda; ideò & sub præcepto spei contineatur prohibitio desperationis.

Tract.8. in Ioan.

ART.2. *Vtrum de timore fuerit dandum aliquod præceptum.* ℞. *Affirmativè*, & quidem etiam ad modum præcepti in legislatione quoad timorem filialem, & quoad servilem ad modum comminationis. *Primum est*, quia cùm timor filialis, seu reverentialis sit quoddam genus ad dilectionem Dei, & principium quoddam eorum omnium, quæ in Dei reverentiam observantur, nec sit præambulam ad legem sicut extrinsecum quid, sed velut principium legis, sicut dilectio; ideò & de utroque dari debuere præcepta etiam ad modum præcepti in legislatione, adeò ut quanvis ex amore oria-

tur timor filialis, non tamen sufficiat amoris præceptum, sed præcipi debeat & timor, cùm etiam alia bona opera ex eo oriantur, de quibus dantur præcepta; ita tamen quod in inductione, seu præcepto timoris includatur prohibitio præsumptionis, sicut & in præcepto spei prohibitio desperationis, ut suprà dictum est. *Secundùm est*, quia sicut in ipsa legislatione non fuit præceptum dandum de actu spei, sed ad hoc fuere homines inducendi per promissa: ita nec de timore servili, quæ pœnam respicit, sicut spes præmium, fuit præceptum dandum ad modum præcepti, sed inducendi fuerunt homines per comminationem pœnarum.

IN QVÆSTIONEM XXIII.

De charitate secundùm se.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum charitas sit amicitia.* ℞. *Affirmativè*, & quidem imperfecta in via, sed perficienda in patria. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ille amor rationem habeat amicitiæ, qui est cum mutua benevolentia, quæ quidem fundatur super aliqua communicatione; & hominis ad Deum sit aliqua communicatio, non quidem secundùm vitam exteriorem sensibilem sed secundùm vitam spiritualem, in quantum nobis suam communicet beatitudinem, sed inchoativè in via, & perfectè, & consummativè in patria; ideò fit, quod charitas sit amicitia quædam hominis ad Deum, adhuc imperfecta in via, & perficienda in patria. Ita tamen, quod quia amicitia honesti, quanvis non se habeat nisi ad virtuosum tanquam ad principalem personam, ejus tamen intuitu diliguntur etiam ad

eum attinentes, etsi non sint virtuosi; ideò & ad peccatores propter Deum se etiam extendat charitas: imò & tanta potest esse dilectio amici, ut propter eum amentur & illi qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offendant; & sic amicitia charitatis se etiam extendat ad inimicos, esto quod amicitia respectu sui ipsius non nisi ad amicum extendatur sui ipsius.

ART. 2. *Vtrum sit charitas aliquid creatum in anima.* ℟. *Affirmativè*, & quidem tum ut ipse charitatis, seu dilectionis motus sit voluntarius; tum ut perfectè, faciliter, & delectabiliter producatur. *Primum est*, quia cùm diligere non esset voluntarium, si humana mens esset tantùm mota, quia voluntarium habet principium intra; nec esset voluntarium, sicut nec meritorium, si moveretur voluntas ad actum sicut instrumentum, utpote quod licèt sit principium, non tamen est in ipso agere, vel non agere; ideò cùm amor de sui natura sit voluntarius, cùm dicat actum voluntatis, necnon & sit radix merendi, non est dilectio charitatis motus immediatus à Spiritu sancto, ut voluit Mag. vel à quo velut instrumentum moveatur voluntas; sed oportet ut ita moveatur voluntas ad diligendum per creatum aliquem habitum, ut ipsa etiam se moveat efficienter ad hunc actum. Vnde cùm dicit Aug. quod qui diligit proximum, diligit dilectione quæ est ipse Deus, non aliter intelligendus venit, quàm quod charitas, qua formaliter diligimus proximum, est quædam divinæ charitatis participatio; sicut nec nisi effectivè dicitur Deus vita animæ, non autem

In 1 sent. dist. 17.

In 8. de Trinit. cap. 9.

formaliter, quod solius est charitatis creatæ. *Secundum est*, quia cùm nullus actus producatur ab aliqua activa potentia perfectè, ac promptè, & delectabiliter, nisi sit ei connaturalis per formam aliquam, quæ sit principium actionis; ideò & oportet, quod cùm actus charitatis producatur à voluntate, & excedat naturam potentiæ, quod sit in anima aliqua habitualis forma potentiæ naturali superaddita, ipsam ad charitatis actum inclinans, præsertim cùm nulla virtus habeat tantam inclinationem ad suum actum, sicut charitas, nec aliquà ita delectabiliter operetur. Vnde quod faciat charitas effectum infinitum, dum conjungit animam Deo ipsam justificando, non proptérea arguit infinitatem in charitate, sed quia efficacia formæ est secundùm virtutem agentis, qui formam inducit, hinc solùm demonstratur infinitas virtutis Dei, qui est author charitatis.

Vtrum charitas sit virtus. ℞. *Affirmativè*, ita quod sit in anima, sicut & virtutes morales, principium bonorum actuum; & quidem dignius, quàm anima, quanvis morales sint minùs dignæ. *Primum est*, quia sicut attingere rectam rationem, utpote regulantem, facit virtutem moralem principium esse bonorum actuum: ita & Deum attingere, ut attingit charitas, quæ quidem conjungit nos Deo, constituet in ratione virtutis, sive principii bonorum actuum, utpote cùm sit Deus suprema actuum humanorum regula: unde quanvis humana virtus non tam sit virtus, quàm aliquid consequens ad virtutem, quippe quæ rationem non habet laudabilis, & ART. 3.

honesti, nisi prout fundatur super honestate virtutum, quod patet in amicitia delectabilis & utilis; ipsa tamen amicitia charitatis, quæ ita super divina bonitate fundatur, non autem super virtute humana, habet esse vera virtus; & quidem potiùs quàm gaudium, utpote quod non est ultimum in charitate secundùm ordinem excessus, in quo dicitur virtus ultimum potentiæ; sed secundùm ordinem effectus, quatenus gaudium ad amorem consequitur. *Secundum est*, quia licèt omne accidens, qualis est charitas, sit secundùm suum esse, quod est per accidens, inferius substantiâ, quæ est per se; nihilominus secundùm rationem suæ speciei inconveniens non est, quod accidens, quod non causatur ex principiis subjecti, ut causantur virtutes morales, sed ex participatione superioris naturæ, ut charitas, sit nobilior subjecto, seu anima, quanvis morales sint minùs dignæ.

ART. 4. *Vtrum charitas sit virtus specialis.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non se extendat imperativè ad actus aliarum virtutum, sed ita quod sit in objecto, à quo specificatur specialis ratio boni. *Primum est*, quia cùm bonum divinum, ut est objectum beatitudinis, specialem habeat rationem boni, & sit charitas amor illius boni; ideò & speciale habet objectum, proindeque & est specialis amor & virtus, cùm per objecta specificentur actus, & habitus. Vnde non alia de causa ponitur in definitione omnis virtutis, nec dicitur præceptum de diligendo jussio generalis, nisi quia ab ea aliqualiter pendent omnes virtutes, & ad

hujuſmodi præceptum omnia alia reducuntur præcepta ut ad finem; non autem quaſi ſit charitas eſſentialiter omnis virtus *Secundum eſt*, quia virtus, ad quam pertinet finis ultimus, quantumvis ſpecialis, aliis tamen imperat virtutibus, aut artibus, ad quas alii pertinent ſecundarii fines.

Vtrum charitas ſit una virtus. ℟. *Affirmativè*, non quidem ex ratione communi amicitiæ, ſed quia eſt amicitia hominis ad Deum. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm amicitia in communi vel dividatur ſecundùm diverſitatem finis, & ſic triplex ſit, utilis, delectabilis, & honeſta; vel ſecundùm diverſitatem communicationis, & ſic alia conſanguineorum, alia concivium, &c. ideo cùm charitas, quia ad Deum neutro iſtorum modorum poſſit in plura dividi, quandoquidem & habet tantùm unicum finem, ſcilicet bonitatem divinam; & eſt tantùm unica communicatio beatitudinis æternæ, eſt conſequenter non ex communi amicitiæ ratione, ſed quia amicitia ad Deum eſt una ſpecie virtus, ad differentiam humanæ amicitiæ; una namque ratio diligendi attenditur à charitate, ſcilicet bonitas divina, quæ eſt ejus ſubſtantia, juxta illud: Confitemini Domino, quoniam bonus; adeò ut aliæ rationes inducentes, vel debitum dilectionis facientes ſint ſecundariæ, ſequentes primam; unde & Deus, & proximus una diliguntur charitate, cùm diligatur proximus propter Deum. ART. 5.

Vtrum charitas ſit excellentiſſima virtutum. ℟. *Affirmativè*, & quidem excellen- ART. 6.

tior virtutibus intellectualibus, & moralibus, quia theologica; sed insuper & excellentior virtutibus aliis theologicis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm consistant virtutes theologicæ in attingendo primam & supremam regulam humanorũ actuum, quæ est Deus; ideò & excedit charitas, quia theologica, morales & intellectuales virtutes, quæ quidem consistunt in attingendo rationem humanam, seu inferiorem regulam; sed insuper quia inter theologicas illa consequenter est potior, quæ magis attingit Deum, ideò & præstantior est charitas, utpote quæ Deum attingit, ut in ipso sistat; cùm tamen fides, & spes solùm attingant, ut ex eo aliquid nobis proveniat, putà cognitio, vel adeptio beatitudinis; & quidem quanvis fides subjectetur in intellectu, & charitas in voluntate; Deus namque cùm nobilius esse habeat in se, quàm in intellectu, ubi est per modum recipientis, propterea nobiliori modo est objectum voluntatis, quæ fertur in ipsum prout in se, quàm intellectus, qui fertur in Deum ut est receptus. Vnde nec operatur fides per charitatem, quasi per instrumentum, sed ut per formam: ex quo proinde non sequitur, quod sit nobilior fides, sicut nec spes, eo quòd bonum, quod est objectum charitatis, respiciat ut arduum, utpote quod ideò est, quia charitas importat unionem ad ipsum bonum, spes autem distantiam ab illo.

ART. 7. *Vtrum sine charitate possit esse aliqua vera virtus.* ℞. *Negativè*, non quòd in ordine ad bonum privatum non possit esse vera virtus, sed ita quod quantumvis or-

dinata ad privatum bonum, non sit simpliciter loquendo vera virtus sine charitate. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virtus simpliciter dicta sit illa, quæ ordinatur ad principale hominis bonum, seu finem ultimum, quandoquidem virtus est dispositio perfecti ad optimum; & ad ultimum finem ordinetur homo per charitatem, ideò potest quidem esse virtus in ordine ad privatum, seu particularem finem sine charitate, & quidem vera, si privatum illud bonum sit verum; non tamen perfecta & simpliciter dicta, adeò ut in infideli nec sit simpliciter vera justitia, nec vera castitas, licèt circa illa se rectè habeat; cùm desit sine charitate ordinatio debita ad finem ultimum. Vnde esse quidem possunt in peccatore simpliciter scientiæ & artes, utpote quæ important tantùm particulare bonum; non tamen virtus, quippe quæ etiam importat ultimum finem humanæ vitæ; sed nec actus ejus, qui charitate caret, potest esse perfectè bonus, cùm ordinem non habeat ad finem ultimum, esto quod esse possit bonus in suo genere, quando scilicet ordinatur non quidem ad id per quod caret charitate, in quo casu semper est malus; sed ad aliquod bonum, ut ad fidem, & spem, vel ad bonum naturæ, quod quidem non tollitur totaliter per peccatum.

Vtrum charitas sit forma virtutum. ℞. *Affirmativè*, non quidem exemplariter, sed effectivè. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm in moralibus forma actus attendatur principaliter ex fine, & quod dat actui ordinem ad finem, det etiam formam, utpote ART. 8.

cùm forma actus consequatur formam agentis, quod agens in moralibus est voluntas, cujus quidem objectum, & quasi forma est finis; ideò cùm per charitatem ordinentur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem, in quo sensu dici solet aliarum finis, sicut & mater, quatenus ex appetitu finis ultimi concipit eosdem actus imperando ipsos, est consequenter charitas forma virtutum, non tamen exemplariter, aut essentialiter, aliàs vel esset ejusdem cum illis speciei, vel indistincta ab illis; sed magis effectivè, in quantum omnibus formam imponit. Vnde comparatur quidem charitas fundamento, Ephes. 3. & radici, non prout habet rationem causæ materialis, sed ut ex ea sustentantur, & nutriuntur omnes aliæ virtutes.

IN QVÆSTIONEM XXIV.

De charitatis subjecto.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum voluntas sit subjectum charitatis. ℞. *Affirmativè*, ita quod nec in appetitu subjectetur sensitivo, nec in ratione sed in appetitu intellectuali, qui est voluntas. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm objectum charitatis sit bonum, non quidem sensibile, quod appetitu sensitivo percipitur, sed bonum divinum, quod spectat ad partem intellectualem; ideo nec est charitas in cōcupiscibili, cujus amor est sensitivi boni; sed nec in ratione, ut in subjecto, sed solùm per quandam voluntatis affinitatem ad rationem, propter quā dicitur voluntas ab Arist. esse etiam in ratione; sed in appetitu intellectivo, qui est voluntas, non tamen ratione liberi arbitrii (esto quod non sit alia potētia à voluntate) utpote cujus actus est

electio, quæ quidem est eorum, quæ sunt ad finem, cùm tamen charitas sit ipsius finis.

Vtrum charitas causetur in nobis ex infusione. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit ad ejus receptionem disponi, sed ita quod nec possit naturaliter nobis inesse, nec per vires naturales acquiri. *Primum est*, quia cùm charitas fundata sit super communicatione beatitudinis æternæ, quæ quidem est secundùm dona gratuita; gratia enim Dei vita æterna, ait Apost. & quod est hujusmodi, nec sit naturale, nec per potentias naturales possit acquiri; idem consequenter dicendum est de charitate, non quòd non sit Deus ex se maximè diligibilis, ut objectum beatitudinis; sed quia propter inclinationem affectus nostri ad visibilia bona, non est hoc modo maximè diligibilis à nobis. Vnde cùm ait Dion. diligibile, & amabile omnibus esse bonum divinum, non nisi de dilectione intelligit, quæ fundatur super communicatione bonorum naturalium, non autem de charitate. *Secundum est*, quia dicit Apost. quod est charitas de corde puro, conscientia bona, fide non ficta: quod quidem dicitur, quia hujusmodi actus disponunt ad recipiendam charitatis infusionem, in quo etiam sensu dicit Aug. quod timor introducit charitatem; & in Glossa Matth. 1. quod fides generat spem, & spes charitatem.

ART. 2.

Rom. 6.

1. Tim. 1.

Super illud Abraham genuit Isaac, &c.

Vtrum charitas infundatur secundùm capacitatem naturalium. ℞. *Negativè*, non quòd non commensuretur in Angelis capacitati naturalium, sed ita quod in nobis non nisi ex voluntate Spiritus sancti ejus pendeat quantitas. *Primum est*, quia cùm

ART. 3.

quantitas rei dependeat non ex causa universali, quæ quidē majorem effectum producit, sed ex causa propria rei; & propria causa charitatis sit non natura, cujus proportionem superexcedit charitas, adeò ut nec ad idē referantur genus, ad differētiam formæ, & materiæ, necnon gratiæ & gloriæ, cujus gratia est inchoatio; sed ipsa gratia Spiritus sancti: ideò non nisi ex voluntate Spiritus sancti pendet quantitas charitatis in nobis. Ita tamen quod adhuc locum habeat illud, Dedit unicuique secundùm propriam mensuram, utpote quod intelligitur de dispositione, vel præparatione præcedente, aut de ipso conatu accipientis gratiam, ad quæ quidem omnia etiam prævenit Spiritus sanctus movens scilicet mentem hominis plus vel minus per suam voluntatem. *Secundum est*, quia cùm Angeli totaliter ferantur in id omne, in quod feruntur, ad differentiam hominis, cui competit esse quandoque actu, quandoque potentiâ; ideò & data sunt Angelis gratia & dona secundùm capacitatem naturalium, juxta scilicet conatum, qui secundùm naturalia est major, vel minor.

Matth. 25.

Art. 4. *Vtrum charitas augeri possit. R. Affirmativè*, ita quod de ratione charitatis viæ sit, ut augeri possit, sed secundùm intensionem actus, non quantum ad objectorum pluralitatem. *Primum est*, quia ideò dicimur viatores, quatenus in Deum tendentes, & tanto magis in hac via procedimus, quanto magis Deo appropinquamus, & quidem non passibus corporis, sed affectibus mentis; unde cùm hanc propinquitatem faciat charitas, per quam scilicet mens

Deo unitur, de ratiône charitatis viæ est ut augeri possit, adeò ut non sit in summo nisi ex parte objecti, in quo alias excedit virtutes; non autem quantum ad intensionem actus, in qua propterea augeri potest, & quidem etiam essentialiter, non ita quod esse incipiat, aut esse desinat in subjecto; sed ita quod magis esse incipiat vel radicetur in subjecto. *Secundum est*, quia cùm minima etiam charitas diligat omnia, quæ sunt ex charitate diligenda, ideò non secundùm pluralitatem objectorum attenditur augmentum virtualis ejus quantitatis, sed secundùm intensionem actus; ut scilicet magis & minùs aliquid diligatur.

Vtrum charitas augeatur per additionem. ART. 5.
℞. *Negativè*, ita quod non nisi per ejusdem præexistentis charitatis intensionem augeatur, esto quod etiam per additionem augeretur, casu quo aliquam haberet ex seipsa quantitatem. *Primum est*, quia cùm in casu additionis oporteret præsupponi charitatem additam, ut distinctam à charitate, cui additur, saltem secundùm intellectum, & quidem aut specie, aut numero, quandoquidem hæ tantùm distinctiones dantur in formis; ideò cùm nulla harum possit attribui charitati, non prima, quia distinctio habitus secundùm speciem est secundùm diversitatem objectorum, dū scilicet se extendit ad objecta quædam, ad quæ non se extendebat, ut accidit in augmento scientiæ; quod tamen non est in charitate, quandoquidem minima charitas se ad omnia extendit, quæ sunt charitate diligenda: sed nec distinctio altera, sive numerica ei attribui possit, cùm

sumatur hæc ex diversitate subjecti, quod non est in charitate, cujus subjectum est tantùm mens rationalis, quæ est indivisibilis; ideò, inquam, fit quod augeri non possit per additionem, ac proinde quod per hoc solùm augeatur, quod magis, aut minùs à subjecto participetur eadem præexistens charitas; qui quidem augmenti modus est proprius cujuslibet formæ, quæ intenditur, utpote cùm esse hujus formæ in eo totaliter consistat, quod inest susceptibili; & ita cùm magnitudo rei consequatur esse ipsius, formam esse majorem nihil aliud sit, quàm formam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire, sicut advenit in infusione, quippe quæ mutationem importat, non secundùm magis & minus, sed secundùm habere, & non habere. Vnde augetur quidem lumē ex additione alterius luminaris; sed hoc esse non potest in charitate, cùm non nisi unum sit luminare influens lumen charitatis. *Secundum est*, quia si haberet charitas quantitatem aliquam ex seipsa, sine ordine ad subjectum, tunc augeri posset ut corporalis quantitas, quæ quia ex se distinguibilis est secundùm situm, & numerum, augetur per additionem.

Art. 6. *Vtrum quolibet actu charitatis augeatur charitas.* ℞. *Negativè*, non quòd non disponat actus quilibet ad augmentum charitatis; sed ita quod tunc solùm augeatur, quando per actum ferventiorem conatur quis ad hoc augmentum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm augmentum spirituale sit quodam modo simile augmento corporali, in quo quidem natura per tempus

aliquod operatur disponendo ad augmentum, nihil augens actu, & postea producit in effectum id, ad quod disposuerat; sic à simili disponit quidem actus quilibet charitatis ad augmentum, quatenus homo ex uno actu promptior redditur ad operandum secundùm charitatem; sed hoc ideò, quia habilitate crescente, prorumpit homo in actum ferventiorem, quousque conetur ad charitatis profectum, & tunc augetur charitas. Vt enim actus charitatis vitam meretur æternam, non tamen statim exhibendam, sed suo tempore; sic & meretur charitatis augmentum; sed non statim augetur, nisi quando conatur quis ad hujusmodi augmentum; sicut nec quilibet actus complet generationem virtutis, esto quod operetur ut disponens; sed per ultimum tantùm, qui perfectior est, agens in virtute omnium præcedentium reducitur ad actum: ita tamen quod adhuc in viis Dei processus fiat, quippe qui fit non solùm dum actu augetur charitas, sed dum quis ad eam disponitur

Vtrum charitas augeatur in infinitum. ART. 7. ℞. *Affirmativè*, ita quod ex ratione ipsius formæ terminatam non habeat mensuram; sed nec ex parte agentis, nec subjecti. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm sit charitas secundùm rationem propriæ speciei participatio quædam infinitæ charitatis, nec sit ad aliquem finem in hac vita, sed solùm in futura; ideo nec habet ex ratione formæ determinatam mensuram, nec potest charitas viæ attingere charitatem patriæ, sicut nec linea, si augeatur, attinget superficiem, utpote cùm non sit eadem

ratio quantitatis charitatis viæ, quæ sequitur cognitionem fidei, & charitatis patriæ, quæ sequitur visionem apertam: sed nec terminum habet ex parte agentis, scilicet Dei, quia est infinitæ virtutis; sicut nec ex parte subjecti, quia semper charitate excrescente superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum.

ART. 8. *Vtrum charitas in hac vita possit esse perfecta.* ℞. *Affirmativè*, non eâ quidem ex parte diligentis perfectione, quod totum cor hominis actu semper feratur in Deum; sed ita quod cor totum ponat habitualiter in Deo, vel etiam studium suum deputet ad Deo vacandum. *Primum est*, quia totum cor ponit quis habitualiter in Deo, quando nihil vult contrarium divinæ dilectioni, quod quidem commune est omnibus habentibus charitatem, nec huic contrariatur illud, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; utpote quod intelligitur de peccatis venialibus, quæ non contrariantur perfectioni; & quidem perfectioni viæ, quæ non est perfectio simpliciter, unde & potest crescere: sed insuper & potest esse perfecta charitas huc usque, quod totum studium suum deputet quis ad vacandum Deo, utpote ad quod sufficit, quod alia solùm prætermittat, quantum requirit hujus vitæ necessitas; ita tamen quod hæc perfectio, ad quam quidem ex Aug. quis pervenit, cùm ait, Cupio dissolvi, & esse cum Christo, non sit communis omnibus charitatem habentibus. *Secundum est*, quia propter humanæ vitæ infirmitatem non est possibile in hac vita, sed in patria tantùm semper actu cogitare de Deo, & mo-

veri ſemper actu dilectione ad ipſum; unde non poteſt hîc eſſe charitas ita perfecta ex parte diligentis, ſed nec in patria, ex parte diligibilis, qúæ eſt cùm tantum res diligitur, quantum diligibilis eſt; quandoquidem ſe ſolus Deus ſic diligit, quantum ſua bonitas eſt diligibilis.

Vtrum convenienter tres diſtinguantur gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta. ℞. *Affirmativè*, non quòd non proficiant tum incipientes, tum perfecti; ſed ita quod tres illi diſtingui debeant gradus ſecundùm principalia ſtudia, ad quæ per charitatis augmentum perducuntur. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia ſicut in motu corporali primum eſt receſſus à termino, tum appropinquatio ad alium terminum, poſtremò quies in termino: ſic in augmento charitatis primùm ſtudet homo à peccato recedere, & reſiſtere concupiſcentiis, quod ſpectat ad incipientes, in quibus ſcilicet charitas eſt fovenda, ne corrumpatur: deinde ſtudet ut in bono proficiat, quod pertinet ad proficientes: tandem ſtudet ut Deo inhæreat, & eo fruatur, quod quidem pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; atque ita quanvis inter initium, & finem charitatis alii ſint gradus, ſub iſtis tamen tribus omnia continentur; non ita tamen, quaſi non poſſit charitas etiam proficere ſtatim atque incipit eſſe, vel etiam quando eſt in perfectis, utpote in quibus augeri poteſt; ſed quia nec in incipientibus eſt ad hoc principalis cura, ut dictum eſt, nec in perfectis. ART. 9.

Vtrum charitas poſſit diminui. ℞. *Negativè*, ſi nimirum ſubintelligatur directè, ART. 10.

non autem tantùm dispositivè. *Primum est*, quia cùm charitas non possit directè minui per solam cessationem actus, utpote quia per cessationem solùm tolluntur, vel minuuntur virtutes, quæ acquiruntur per actus humanos, qualis non est charitas, quæ est à Deo; ideo si directè minueretur, fieret diminutio vel à Deo, quod dici non potest, cùm à Deo non causetur defectus in nobis, nisi per modum pœnæ, quæ est propter peccata; & sic peccata, sive actus eam minuerent, quod etiam dici nequit, cùm peccatum mortale omninò eam tollat, & effectivè, quia ei contrariatur; & meritoriè, quia dignus est peccator, ut charitate privetur: peccatum autem veniale, cùm charitatem non attingat, utpote quæ est circa ultimum finem, & veniale solùm deordinet circa ea, quæ sunt ad finem, nec etiam eam directè minuet. Vnde quanvis charitas augeatur, non ideò sequitur quod minuatur, eo quòd contraria sunt circa idem, cùm non eodem modo se habeat ad augmentum, & ad diminutionem: nec illud Aug. *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat*, intelligitur charitatem minuendo, sed eam potiùs totaliter tollendo, ut ex ipso expresè colligitur; & quidem quanvis in ipsa infusione charitatis possit aliquid operari, ut minor charitas infundatur, utpote in qua infusione requiritur liberi arbitrii motus, qui tamen non requiritur in conservatione, ut patet in dormientibus; & ideo nec minuitur charitas. *Secundum est*, quia loquendo dispositivè, & indirectè, potest dici diminutio charitatis ipsa dispositio ad corruptionem

ipsius, quæ quidem fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis.

Vtrum charitas semel habita possit amitti. ART. II.
℟. *Affirmativè*, non quidem in patria, vel ex ipsa ratione charitatis; sed in via, & secundùm conditionem subjecti. *Primum est*, quia cùm de ratione formæ universè loquendo sit, ut sit in subjecto amissibiliter quando non replet totam potentiam materiæ; ideò quia charitas viæ non ita replet potentiam sui subjecti, ut semper actu feratur in Deum; neque faciat, sive comparetur ut habitus ad potentiam, sive prout potentiam inclinans, ut ei id videatur bonum quod convenit; non, inquam, faciat in hac vita, ut id tantùm videatur bonum, quod convenit, potest propterea aliquid in via occurrere ex parte subjecti, per quod amittatur, & quidem quanvis charitas ex se omnia tollat motiva ad peccandum; cùm enim in via non semper agat, ideò & potest intervenire motivum, cui consentiatur, & ita amittatur charitas, quanvis inamissibilis sit in patria, ubi scilicet totam replet capacitatem subjecti, ut forma corporis cœlestis; & id facit continuò videri bonum, quod convenit, cùm ibi videatur essentia bonitatis. Vnde illud, Qui natus est ex Deo peccatum non facit, non nisi secundùm potestatem Spiritus sancti intelligitur, qui eum conservat, quique velle non potest aliquem movere ad actum charitatis, & ipse amittat charitatem peccando; quandoquidem perseverantiæ donum est inter beneficia Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur; 1. Ioan. 3.

unde & est inamissibilis ex parte Spiritus sancti animam moventis ad diligendum. *Secundum est*, quia considerata charitas secundùm propriam rationem, cùm sic non possit nisi id, quod pertinet ad ipsius rationem, & sic nullo modo possit peccare, sicut nec ignis infrigidare; ideò nec potest ex propria ratione amitti, adeò ut charitas, quæ ex ipsa ratione charitatis potest deficere, vera charitas non sit, & sic intelligendus sit Aug. amor namque Dei, ut ait Greg. semper magna operatur in proposito, quod pertinet ad rationem charitatis, esto quod non semper actu sic operetur propter conditionem subjecti.

Epist. ad Iulian.

ART. 12. *Vtrum charitas amittatur per unum actum peccati mortalis.* ℟. *Affirmativè*, ita quod & de se habeat peccatum mortale posse charitatem excludere, & per quemlibet mortalem actum excludatur. *Primum est*, quia cùm charitas sit unio quædam ad Deum, ad differentiam spei, & fidei; & omne peccatum mortale ex se importet aversionem à Deo, ideò & omne ex se contrariatur charitati, esto quod non ita contrarietur spei, & fidei, quæ proinde tolluntur tantùm per quædam determinata peccata. Vnde & omnis inordinatio dilectionis circa ea, quæ sunt ad finem, si sit hujusmodi, ut sit peccatum mortale, tollit omninò charitatem: & ipse Petrus Christum negando eam amisit, non quidem directè per actualem contemptum, in quo sensu intelliguntur Patres dicentes, non amisisse; sed indirectè, aliquid scilicet committendo, quod est contrarium charitati. *Secundum est*, quia cùm unum con-

Leo Papa serm. de passione. Bernardus.

trarium per aliud contrarium tollatur; & quilibet actus peccati mortalis contrarietur charitati secundùm propriam rationem, quæ est quod diligatur Deus super omnia, & quod homo totaliter se ei subjiciat; ideo & per quemlibet actum mortalem excluditur, & hoc maximè, quia non est charitas habitus acquisitus, sicut sunt virtutes morales, quæ proinde non tolluntur per unicum actum contrarium; sed infusus à Deo, qui quidem ita se habet in ejus infusione, & conservatione, sicut sol in illuminatione aëris: atque ita uti lumen statim cessaret in aëre, si obstaculum poneretur illuminationi solis; sic & charitas statim desinit esse in anima per hoc, quod aliquod ponatur obstaculum influentiæ charitatis à Deo in animam, quale quidem obstaculum est quilibet mortalis actus, quippe divinis cõtrariatur præceptis. Cum quo tamen adhuc stare potest dictum Origenis, quod qui in summo, perfectoque gradu est, non ad subitum evacuetur, & decidat, utpote quod potest intelligi, non ita sic evacuari & decidere virum perfectum, cùm à principio, ut ex malitia peccet, & ex industria charitatem amittat.

IN QVÆSTIONEM XXV.

De objecto charitatis.

VTrum *dilectio charitatis sistat in Deo.* ℞. *Negativè*, ita quod eodem habitu possit amari proximus, quo Deus, quanvis non propter id quod sibi est proprium, nec tanquam principalis finis. *Primum est*, quia cùm omnes actus unius speciei ad eundem pertineant habitum, & actus quo Deum diligimus, & proximum sint ejusdem spe- ARTICVLVS PRIMVS.

ciei; ſicut viſio luminis, & viſio coloris ſecundùm rationem luminis, utpote cùm ſpecies actus ex objecto ſumatur ſecundùm formalem rationem ipſius, & ratio diligendi proximum Deus ſit, cùm debeamus in proximo diligere, ut in Deo ſit; ideò & eodem amore poteſt amari proximus, ſi ametur propter juſtitiam, quo Deus, ſicut & eodem timore, ſi timeatur propter Dei miniſterium. Et quidem quanvis diverſis diverſos honores exhibeamus ſecundùm propriam virtutem ſingulorum; honor namque cùm deferatur alicui in teſtimonium virtutis, proprium bonum reſpicit honorati, cùm amor è contra reſpiciat bonum in communi, & ita poſſit omnes diligere proximos propter Deum. *Secundum eſt*, quia non poteſt amari proximus ex charitate, niſi ametur propter id quod eſt Dei in ipſo, quod non contingit ſi propter id ametur, quod eſt proprium ſibi, vel etiam ſi ametur ut principalis finis. Vnde & vituperantur qui ſperant in homine, non quidem ſicut adjuvante ſub Deo, ſed ut in principali authore ſalutis.

ART. 2. *Vtrum charitas ſit ex charitate diligenda.* ℞. *Affirmativè*, non eo quidem modo, quo illi, ad quos amicitiam habemus; ſed ſicut bonum deſideratum his, quos ex charitate diligimus. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm charitas, ſeu charitatis actus ſit quoddam bonum, & quidem cadens ſub objecto voluntatis, utpote cujus actus in ſe reflecti poſſunt, nedum quia ejus objectum eſt bonum univerſale, ſed inſuper quia eſt amor motus ſpontaneus amantis in amatum; ideò & poteſt charitas ex charitate

diligi, non quidem ut amicus ad quem habetur amicitia; sic enim non nisi de Deo, & proximo sunt præcepta charitatis, sicut de illis, ad quos amicitiam habemus; sed tanquam bonum, quod amico volumus & diligimus, cùm charitas sit illud bonum, quod omnibus optamus, quos ex charitate diligimus; & sic de beatitudine, & aliis virtutibus. Vnde non fundatur quidem charitas super communicatione, quasi sit ipsa particeps beatitudinis; sed hoc ideò quia est ipsamet ipsa communicatio, quo proinde fit, ut possit ipsa amari velut bonum desideratum his, quos charitate diligimus.

Vtrum etiam creaturæ irrationales sint ex charitate diligendæ. ℞. *Negativè*, non quòd non possint ex charitate diligi sicut bona, quæ aliis volumus; sed ita quod ad eas haberi nequeat amicitia charitatis. *Primum est*, tum quia ad eum habetur amicitia, cui volumus bonum; cùm tamen propriè non sit irrationalium habere bonum, utpote quæ non sunt dominæ per liberum arbitrium utendi bono habito; tum quia nulla est communicatio creaturæ rationalis, & irrationalis in vita humana, cùm tamen in communicatione fundetur charitas; tum quia charitas fundatur super communicatione beatitudinis æternæ, cujus quidem creatura irrationalis capax non est; nec enim similitudo vestigii, quam habent istæ creaturæ de Deo, dat eis capacitatem vitæ æternæ, ut similitudo imaginis, quæ est in nobis. Vnde non est par ratio in præsenti de fide, utpote se extendente ad omnia quocumque modo vera; & de charitate, quæ quidem ad ea tantùm est, quæ nata ART. 3.

sunt habere bonum vitæ æternæ. *Secundum est*, quia possumus velle ex charitate conservari creaturas irrationales ad Dei honorem, & utilitatem hominum: quo etiam modo Deus ex charitate eas diligit.

ART. 4. *Vtrum homo debeat seipsum ex charitate diligere.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ex communi ratione amicitiæ, sed secundùm quod charitas est amicitia hominis ad Deum. *Primum est*, quia cùm charitas secundùm propriam rationem amicitiæ ad Deum, sit quidem ad Deum principaliter, sed etiam consequenter ad ea quæ Dei sunt; ideò & debet homo inter alia, quæ charitate diligit, etiam seipsum diligere, utpote qui etiam est inter ea, ad quæ se habet charitas ex consequenti: esto quod vituperari debeant illi, qui seipsos amant secundùm naturam sensibilem, cui quidem obtemperant potiùs quàm Deo. *Secundum est*, quia cùm communis ratio amicitiæ importet unionem quandam, & unicuique ad seipsum sit unitas, quæ est potior unione ad alios; ideo non est charitas ex communi ratione amicitiæ ad seipsum, sed quid majus; sicut nec de principiis est scientia, sed quid majus: ita tamen, quod sicut unitas est principium unionis, ita & amor, quo quis seipsum diligit, sit forma, & radix amicitiæ, utpote cùm in hoc amicitiam habeamus ad alios, quod ad eos nos habemus sicut ad nosipsos.

ART. 5. *Vtrum homo debeat corpus suum ex charitate diligere.* ℞. *Affirmativè*, non quidem secundùm corruptionem culpæ, & pœnæ; sed secundùm naturam. *Primum est*, quia cùm corpus secundùm naturam sit à Deo,

&

& eo possimus uti ad Dei servitium, sitque aliquo modo particeps divinæ fruitionis, ideò & ex charitate, quâ Deum diligimus, debemus & corpus nostrum diligere; esto quod reamare non possit, utpote cùm reamatio locum tantùm habeat in amicitia quæ est ad alterum, non autem in amicitia quæ est ad se. Vnde nec refugiebat Apostolus corporis communicationem quantum ad corporis naturam, sed cupiebat carere infectione concupiscentiæ, quæ remanet in corpore, & corruptibilitate ipsius. Philip. 7.
Secundum est, quia tantùm abest, quod infectionem culpæ, & corruptionem pœnæ, quæ sunt in corpore, debeamus diligere, quin imò ad eorum remotionem debemus desiderio charitatis anhelare cum Apostolo. Ad Philip. 1.

Vtrum peccatores sint ex charitate diligendi. ℞. *Affirmativè*, non quòd debeamus in eis diligere quod peccatores sunt; sed hoc quòd homines beatitudinis capaces sunt. ART. 6. *Primum est*, quia cùm fundetur charitas super communicatione beatitudinis, cujus quidem peccatores ut homines, seu secundùm naturam sunt capaces; ideò & debemus in eis diligere, quod homines sunt, & quidem ex charitate, ut faciamus, vel optemus eos velle, quæ ipsi volumus, & gaudere de his, de quibus gaudemus nos, adeò ut quanvis convenire cùm peccatoribus sit infirmis vitandum propter periculum; sit tamen perfectis laudabile, ut eos convertant: & sic Dominus cum peccatoribus manducabat. Vnde illud, Convertantur peccatores in infernum, vel intelligitur per modum pronunciationis, non Psal. 9.

optationis; vel per modum optationis, prout refertur desiderium ad justitiam punientis, non ad pœnam; & sic lætatur justus cùm viderit vindictam: vel certè ut desiderium referatur ad remotionem culpæ, ut scilicet peccata destruantur; & sic intelliguntur aliæ similes Scripturæ authoritates. *Secundum est*, quia cùm per culpam, quâ peccatores sunt, contrarientur Deo, propter quem ex charitate diligimus; & quia culpa est præfatæ beatitudinis impedimentum, ideò non sunt in eo diligendi quod peccatores sunt, sed odiendi, etiamsi sint propinqui, juxta illud: Iniquos odio habui. Psal. 100.

Art. 7. *Vtrum peccatores diligant seipsos.* ℞. *Negativè*, non quòd non diligant quod in seipsis reputant principale, sed ita quod in ipsis principale non sit quod sibi reputant, ut verè diligant seipsos. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm boni tantùm cognoscant & æstiment se secundùm mentem rationalem, seu interiorem hominem, quod est in homine principale, nec æstiment mali principale in seipsis, nisi partem sensitivam; ideò commune quidem est omnibus hominibus, ut quisque amet seipsum secundùm id, quod æstimat se esse, adeò ut quia unusquisque se esse æstimet secundùm commune bonum, quod est esse compositum ex corpore & anima; ideò tam boni quàm mali ament sui conservationem; non tamen commune est malis, ut verè se ament quantùm ad id quod verè est in ipsis principale, putà interiorem hominem, utpote quod in se minimè æstimant: quod quidem patet per quinque, quæ sunt amicitiæ propria, ex Philosopho; quandoqui- In 9. Ethic. cap. 4.

dem nec volunt conservari in integritate interioris hominis, nec ejus appetunt spiritualia bona, neque ad hoc operantur, nec delectabile est eis secum convivere redeundo ad cor, quia inveniunt ibi mala & præsentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent; neque etiam sibi ipsis concordent propter conscientiam redarguentem, juxta illud: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Vnde quanvis non tollatur totaliter à malis naturalis amor, in eis tamen pervertitur modo jam dicto; nec vera est sui dilectio, sed apparens, ea quâ se diligunt, in quantum æstimant se bonos, quæ etiam non est possibilis in his, qui valde mali sunt; sicut nec amor ille sui, qui est principium peccati, cùm ex eo sic exteriora bona cupiant, ut majora, scilicet spiritualia, & Deum contemnant.

Vtrum sit de necessitate charitatis, ut inimici diligantur. ℞. *Affirmativè*, non quidem ut inimici sunt, vel etiam ex speciali motu dilectionis ad inimicum propter Deum; sed quantum ad naturam, & in universali, vel etiam in speciali in præparatione animi. *Primum est*, quia cùm proximi nostri sint, & nobiscum communicantes quantum ad naturam beatitudinis capacem; ideo qui Deum & proximum ex charitate diligit, non debet à generali illa dilectione proximi inimicos excludere quoad naturam, juxta illud: Diligite inimicos vestros; imò & de necessitate charitatis est, ut habeamus paratum animum ad inimicum in singulari diligendum, si necessitas occurreret: sicut & de perfectione est charitatis, ut hoc actu impleamus; etiam ART. 8. Matth. 5.

absque articulo necessitatis; cùm quo magis Deum diligimus, eo magis proximum diligamus, nullâ impediente inimicitiâ, in quo quidem sensu intelligendus est Aug.

In Enchir. cap. 73. *Secundum est*, quia cùm unaquæque res naturaliter odiat suum contrarium, ut contrarium est, ideò nec sic diligendi sunt inimici; quin imò esset vituperabile, & exprobratur in Scriptura, cùm hoc esset diligere malum alterius; 2. Reg. 19. sed nec de necessitate salutis est, ut quis speciali motu dilectionis moveatur ad inimicum; cùm nec necesse sit, ut hac ratione in quoslibet feratur homines hujusmodi dilectionis motu, cùm hoc sit impossibile.

Art. 9. *Vtrum sit de necessitate salutis, quod aliquis signa, & effectus dilectionis inimico exhibeat.* ℞. *Negativè*, quantum scilicet ad dilectionis signa, non quidem quæ exhibentur proximis in communi, sed quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm denegare inimicis communia illa dilectionis signa, ut orationes pro omnibus fidelibus, & beneficia alicui communitati, pertineret ad livorem vindictæ, contra Scripturam quæ ait, Non quæres vindictam; ideò & de necessitate est talia exhibere; sed quia signa & beneficia, quæ particulariter exhibentur aliquibus personis, exhibere inimicis extra necessitatis casum non nisi ad perfectionem pertinet charitatis, quâ scilicet quis non solùm cavet vinci à malo, sed vult in bono vincere malum, Matth. 5. ut dicit Glossa super illud: Benefacite, &c. ideò nec est de necessitate salutis talia exhibere, nisi secundùm præparationem animi

casu quo occurreret necessitas, juxta illud : Si esurierit inimicus, &c. Prov. 25.

Vtrum debeamus Angelos ex charitate diligere. ℞. *Affirmativè*, ita quod & sufficienter cum Angelis communicemus ad amicitiam charitatis, & sufficienter convivamus. *Primum est*, quia cum Angelis communicamus in participatione beatitudinis æternæ; erunt enim homines ex Scriptura sicut Angeli in cœlo; sicque continentur præcepto, quo jubemur diligere proximum, utpote quia proximus dicitur, non solùm communicatione speciei, sed etiam cõmunicatione beneficiorum pertinentium ad vitam æternam; & quidem quanvis cum exclusione brutorum, quippe quæ nobiscum conveniunt in genere, ratione solùm naturæ sensitivæ, per quam participes non sumus beatitudinis; sed secundùm mentem rationalem, qua communicamus cum Angelis. *Secundum est*, quia licèt non convivamus Angelis exteriori conversatione, quæ nobis est secundùm naturam sensitivam; ipsis tamen convivimus secundùm mentem, juxta illud : Nostra conversatio in cœlis est; quanvis non nisi imperfectè in via. ART. 10. Matth. 22. Ad Philip. 3.

Vtrum debeamus dæmones ex charitate diligere. ℞. *Negativè*, non quòd non possimus eos diligere, ut aliquid quod permanere volumus ut bonum alterius; sed ita quod nec ullo modo diligendi sint, si fiat vis in nomine dæmonis; nec quasi ad eos habendo amicitiam, etiam referendo ad spiritus, qui dæmones dicuntur. *Primum est*, quia nomine dæmonis significatur natura prout peccato deformata, quam qui- ART. 11.

dem diligere non debemus ; & spiritibus illis, qui dæmones dicuntur, non possumus bonum illud velle quod respicit charitas, scilicet beatitudinem, sicut possumus velle peccatoribus in hac vita, quia id esset contra divinam justitiam, atque ita cùm fundetur amicitia charitatis super communicatione vitæ æternæ magis, quàm supra naturam, nec ad dæmones habere debemus amicitiam charitatis, etsi habeamus ad Angelos; & quidem quanvis ex illis nobis proveniat utilitas, dum scilicet tentando nos, nobis coronas fabricant, ut ait Aug. utpote quod non est de intentione eorum, sed ex ordinatione divinæ providentiæ. *Secundum est*, quia per quem modum ex charitate diligimus irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & hominum utilitatem, ut suprà dictum est ; pari etiam, & simili modo possumus naturam dæmonum ex charitate diligere.

11. de civ. Dei.

ART. 12.

Vtrum convenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda, scilicet Deus, proximus, corpus nostrum, & nos ipsi. ℟. *Affirmativè*, non quòd non debeat diligi & corpus proximi, sed ita quod ex parte solùm horum quatuor inveniantur rationes variæ dilectionis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm in communicatione beatitudinis, super qua fundatur dilectio charitatis, consideretur unum ut principium influens beatitudinem, scilicet Deus : aliud beatitudinem directè participans, ut nos ipsi secundùm partem rationalem, quæ est præcipuum in nobis : tertium id, ad quod per quandam redundantiam beatitudo derivatur, scilicet corpus nostrum, quod propterea alio modo

diligimus, quàm nosmetipsos: quartum denique, quòd est nobis consociatum in beatitudinis participatione, scilicet proximus, & quidem etiam secundùm corpus, utpote cùm totum illum diligamus ratione cujusdã societatis in beatitudine; ideò & quanvis diligatur corpus proximi, vel etiam quanvis nec nos ipsos ex charitate diligeremus, si Deum non diligeremus, ut ait Aug. non plura tamen, nec pauciora sunt præfatis quatuor, quæ sint specialiter, seu speciali ratione ex charitate diligibilia.

IN QVÆSTIONEM XXVI.

De ordine charitatis.

VTrum in charitate sit ordo. ℟. Affirmativè, non quidem sicut in ordinante, sed potiùs sicut in ordinata, in his scilicet, quæ ex charitate ordinantur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm prius, & posterius dicantur secundùm relationem ad aliquod principium, proindeque necesse sit, ut ubi datur principium, detur etiam ordo, utpote qui dicit modum prioris, & posterioris; ideò cùm in charitate detur ut principium Deus, in cujus participatione fundatur charitas, seu cùm tendat ad differentiam aliarum virtutum in finem ultimum sub ratione finis ultimi, qui in moralibus habet rationem principii, est consequenter in charitate ordo, non quidem ut ordinante, utpote quod attribuitur rationi; sed ut ordinata, tanquam spectante ad appetitivam partem; imò etiam in fide est aliquis ordo, prout principaliter est de Deo, & secundariò de his quæ ad Deum referuntur. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus sit magis diligendus, quàm ART. 2

proximus. ℞. *Affirmativè*, non quòd non prius occurrat proximus diligendus, sed ita quod ex ratione diligendi sit Deus magis, & maximè diligibilis. *Primum est*, quia cùm amicitia magis, & principaliter respiciat id, in quo principaliter invenitur illud bonum, super cujus communicatione fundatur; & amicitia charitatis fundetur super communicatione beatitudinis, quæ quidem consistit in Deo essentialiter, à quo derivatur in omnes, qui ejus capaces sunt; ideò & maximè, & principaliter est in Deo ratio, unde ex charitate diligatur; & quidem etiam ex ratione similitudinis, quandoquidem similitudo quam habemus ad Deum, est causa similitudinis, quam habemus ad proximum; imò & quanvis sit Deus æqualis secundùm substantiam, ubicumque sit, utpote cum quo stat, quod non æqualiter habeat proximus bonitatem Dei, sicut habet Deus, qui quidem habet essentialiter; & proximus solùm participativè. *Secundum est*, quia cùm proximus sit nobis magis visibilis, & visio sit causa dilectionis, non ita quod ea ratione sit aliquid diligibile, quia est visibile, id enim soli convenit bonitati, sed quia per visionem perducimur ad dilectionem; ideò quanvis sit Deus propter majorem bonitatem magis diligibilis, priùs tamen occurrit proximus diligendus.

ART. 3. *Vtrum homo debeat ex charitate plus Deum diligere, quàm seipsum.* ℞. *Affirmativè*, & quidem taliter, quod & in amore naturali plus Deum diligamus quàm nos ipsos, & magis adhuc in amicitia charitatis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm una-

quæque pars naturaliter plus amet commune bonum totius, quàm bonum proprium, quod etiam patet in politicis virtutibus, secundùm quas cives pro bono communi & dispendia propriarum rerum, & personarum interdum sustinent; nec diligat pars bonum totius, ut sibi conveniens, quasi ad se illud referat, sed potiùs quia seipsam refert ad bonum totius; ideò cùm naturalia bona, super quæ fundatur naturalis amor, necnon & bona gratiæ, & beatitudo in Deo inveniantur secundùm rationem totius, utpote velut in communi, & fontali omnium principio, ideò in amore naturali plus Deum diligimus, quàm nos ipsos; & magis adhuc in amicitia charitatis, in qua quidem, ut ait Aug. nos propter Deum diligimus, & consequenter magis Deum; sed à qua secludi debet amor, quo Deo frui volumus, utpote pertinens ad amorem concupiscentiæ, cùm tamen charitas Deum diligat ut bonum quoddam in se, non prout à nobis participatum. Vnde nec habet ibi locum dictum illud Philosophi, Amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus, quæ sunt ad seipsum; utpote quod intelligitur de illo, in quo bonum prædictum non invenitur secundùm rationem totius.

Lib. de Doctr. Christ. cap. 22.

In 9. Ethic.

Vtrum homo ex charitate magis debeat diligere seipsum, quàm proximum. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit proximum magis diligere, quàm naturam corporalem sui; sed ita quod quantum ad naturam spiritualem, secundùm quam seipsum diligit, magis se debeat diligere post Deum. *Primum est*, quia cùm diligatur proximus Art. 4.

secundùm rationem societatis in beatitudine, ut dictum est; ut hæc consociatio sit ratio dilectionis secundùm quandam unionem in ordine ad Deum; ideò sicut unitas est potior quàm unio, ita & quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, quàm quod alius associetur sibi in hac participatione, & consequenter quod in ordine charitatis se secundùm spiritualem naturam, quæ Deum meretur participare, plus diligat quàm proximum; & quidem licèt proximus aliquando sit Deo propinquior, cùm non propterea sit ita propinquus charitatem habenti, sicut ipse sibi; & habeat charitas etiam quantitatem ex parte diligentis, cum
1. Cor. 13. quo tamen stat, quod non quærat charitas quæ sua sunt, utpote cujus sensus est, quod non communia propriis anteponat, ut exponit Aug. *Secundum est*, quia juxta illud, Qui negligit damnum propter amicum justus est, debet homo detrimentum corporale pati propter amicum; ita tamen quod dum minùs diligit tunc naturam corporalem sui, tanto magis seipsum diligat, seu secundùm spiritualem partem, cùm hoc pertineat ad virtutem.

ART. 5. *Vtrum homo magis debeat diligere proximum, quàm corpus proprium.* ℞. *Affirmativè*, si tamen subintelligatur de proximo, non quoad corpus, sed quantum ad animam, quæ est præcipuum in ipso. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm consociatio in plena participatione beatitudinis, quæ ratio est diligendi proximum quantum ad animam, sit major ratio diligendi, quàm participatio beatitudinis per redundan-

tiam, unde diligimus proprium corpus; nec sit corpus nostrum propinquius animæ nostræ quoad participationem beatitudinis, sed solùm quantum ad constitutionem naturæ; ideo & habet proximus rationem diligibilis, non quidem quantum ad corpus, sed quoad animam pleniorem, quàm corpus proprium. Ita tamen, quod non sit de necessitate salutis, quod homo exponat proprium corpus pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere, adeò ut si quis sponte hoc faciat, pertineat ad perfectionem charitatis, utpote quia cuilibet imminet cura proprii corporis, non autem semper de salute proximi.

Vtrum unus proximus sit magis diligendus, quàm alius. ℟. *Affirmativè*, non quidem ex parte boni quod ex charitate volumus, sed ex parte intensioris affectus, quo diligimus ad illud bonum. *Primum est*, quia cùm ita sit ordinatus affectus charitatis, ac appetitus naturalis, quandoquidem utraque inclinatio est à Deo; & appetitus naturalis proportionetur actui, vel motui qui convenit naturæ uniuscujusque; ideò & affectus charitatis debet proportionari his, quæ sunt exteriùs agenda, scilicet ut ad eos intensiorem affectum habeamus, quibus convenit nos magis quoad effectum esse beneficos, præsertim cùm principium dilectionis sit Deus, & ipse diligens, sicque necesse sit ut secundùm propinquitatem majorem ad alterum istorum principiorum, major sit dilectionis affectus; nec enim omnes homines æqualiter se habent, etiam ad Deum, sed alii aliis sunt ART. 6.

propinquiores. *Secundum est*, quia cùm omnibus optemus beatitudinem, ideò & omnes æquè diligimus ex parte boni quod optamus ex charitate, quanvis quantum ad intensionem actus non propterea æqualiter diligamus.

ART. 7. *Vtrum magis debeamus diligere meliores quàm nobis conjunctiores.* ℟. *Negativè*, non quòd ex parte objecti charitatis, Dei scilicet beatificantis; non debeamus majorem velle beatitudinis gradum melioribus; sed ita quod & ex parte diligentis intensiori affectu diligamus ad illud bonũ conjunctiores, & ex charitate velle possimus, ut etiam conjunctiores sint meliores, & insuper pluribus modis diligamus magis conjunctos. *Ratio cujusvis partis est*, quia cũ ad charitatẽ pertineat velle servari divinam justitiam, secundùm quam meliores perfectiùs beatitudinem participãt, ideò & ei qui est Deo propinquior majus bonum velle debemus secundùm diversos beatitudinis gradus: sed quia charitatis intensio ex parte diligentis sumitur, sicut species ex objecto; ideò & intensiori affectu diligit homo sibi conjunctiores ad illud bonum, ad quod omnes diliguntur, quàm meliores ad majus bonum; imò & potest ex charitate velle, ut magis conjunctior sit etiam melior, & ad majorem perveniat beatitudinem, utpote cùm conjunctior sit secundùm naturalem originem, à qua proinde discedere non potest, ad differentiam bonitatis virtutis, quâ aliqui Deo appropinquant, quæ quidem potest recedere, & minui. Sed insuper & modis pluribus diligimus magis conjunctos, utpote cùm nedum charitatem, sicut

ad non conjunctos, sed & alias habeamus amicitias, secundùm modum eorundem ad nos conjũctionis; & quidem ordinabiles, & imperabiles per charitatẽ, adeo ut etiam ex charitate, sive eliciente, sive imperante pluribus modis diligamus magis conjunctos, utpote cùm bonum, super quo fundatur quælibet alia amicitia honesta, ordinetur sicut ad finem ad bonum, in quo fundatur charitas. Vnde in propinquis non jubemur ex Scriptura odisse, quod propinqui nostri sint; sed solùm quod impediunt nos à Deo, secundùm quod potiùs dicuntur inimici; nec facit charitas conformari hominem Deo, nisi secundùm proportionem, ut scilicet ita se habeat homo ad id quod suum est, sicut Deus ad suum: quare nec sequitur, quod si Deus magis diligit meliores, ita & nos, cùm possimus ex charitate quædam diligere nobis convenientia, quæ tamen Deus non vult. Luc. 14.

Vtrum sit magis diligendus ille, qui est magis conjunctus secundùm carnalem originem. ℞. *Affirmativè*, non quòd aliæ amicitiæ secundùm id, quod est unicuique proprium, non possint esse potiores; sed ita quod simpliciter potior sit consanguineorum amicitia, quia stabilior, & in his prævalens, quæ ad naturam pertinent. *Primum est*, tum quia, ut dictum est, intensiùs, & pluribus rationibus diliguntur consanguinei: tum quia conjunctio naturalis originis est prior, & immobilior omnibus aliis conjunctionibus, cùm pertineat ad substantiam. Vnde non aliter intelligitur illud Proverb. vir amicabilis erit magis amicus, quàm frater, nisi quod in agendis præpon- ART. XI. Prov. 18.

derat hæc dilectio dilectioni consanguineorum, ut scilicet magis illis consentiamus in agendis, non autem quod sit stabilior: nec aliud probat illud Ambrosii, *Non minùs vos diligo, quos in Evangelio genui, quàm si in conjugio suscepissem*, quam quod quantum ad beneficia, quæ pertinent ad communicationem gratiæ, magis debet homo subvenire filiis spiritualibus, quàm corporalibus. *Secundum est*, quia sicut in his, quæ ad naturam pertinent, putà in succurrendo in necessariis, plus debemus diligere consanguineos; sic quia singulis propria, & congruentia sunt attribuenda, ut ait Philos. debemus in his quæ pertinent ad civilem conversationem plus concives diligere, & in bellicis plus commilitiones. Vnde & magis est obediendum in exercitu duci, quàm patri.

In 1. de offic. c. 7.

In 9. Ethic.

ART. 9. *Vtrum homo ex charitate magis debeat diligere filium, quàm patrem.* ℞. *Negativè*; si tamen pensetur dilectionis gradus, non ex parte diligentis, secundùm quod magis diligitur quod est conjunctius; sed ex parte objecti, sive eminentioris boni. *Primum est*, quia ex parte objecti patrem diligimus sub ratione principii, quod quidem habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris. Vnde & parentibus magis debetur honor à filiis, esto quod filiis à parentibus magis debeatur cura provisionis, qui proinde dicuntur filios magis amare, non quidem ratione honoris exhibendi, sed ratione curæ utilitatis eorum. *Secundum est*, quia attenta dilectione ex parte diligentis, seu conjunctionis ad diligentem, & est filius conjunctior patri, cùm sit aliquid patris,

quàm pater filio, adeò ut sit dilectio patris ad filium similior dilectioni sui ipsius; & magis sciunt parentes aliquos esse suos filios, quàm è converso; & insuper cùm parentes diutiùs amaverint, & dilectio quanto est diuturnior, tanto sit fortior, ideò & ex hac parte fortiùs amant.

Vtrum homo magis debeat diligere matrem, quàm patrem. ℞. *Negativè*, non quòd per accidens, & secundùm speciem aliquam amicitiæ non possimus matrem magis diligere; sed ita quod per se loquendo plus patrem diligere debeamus secundùm generationis rationem. *Primum est*, quia cùm secundùm generationis rationem amentur pater, & mater ut principia quædam naturalis originis; & pater excellentiorem habeat rationem principii, cùm sit per modum agentis, quàm mater, quæ est per modum patientis, quæque non intelligitur dare corpus, ex Philos. nisi quia ministrat materiam informem corporis, quæ quidem formatur per virtutem, quæ est in semine patris, disponendo materiam ad formam recipiendam; ideò per se loquendo magis est amandus pater, quàm mater, ut etiam testatur Hieron. *Secundum est*, quia & potest accidere, ut tanta sit differentia virtutis, & malitiæ, ut amicitia dissolvatur, vel minuatur ex parte patris; & potest etiam mater plus diligi, vel quia plus solet amare, vel quia plus solet laborare; ita tamen quod hoc pertineat ad aliam rationem dilectionis, quàm secundùm rationem generationis, de qua est sermo. ART. 10. In 1. de gener. In c. 44. Ezech.

Vtrum homo magis debeat uxorem diligere, quàm patrem, & matrem. ℞. *Negativè*; si tamen attendatur dilectionis gradus non ART. 11.

secundùm conjunctionem ad diligentem, unde intensiùs diligitur; sed secundùm rationem boni, unde reverentia exhibetur. *Primum est*, quia diliguntur parentes sub ratione principii, & ideò eminentioris boni, unde major exhibenda sit reverentia. Vnde quod viri debeant diligere uxores sicut seipsos, ut ait Apost. aut sicut carnem suam, ly *sicut*, non importat ibi æqualitatem, sed rationem dilectionis, ita quod dilectio sui ipsius sit ratio dilectionis, quâ quis uxorem sibi conjunctam diligit: præterquàm quod sunt in amicitia paterna multæ rationes dilectionis, quæ quidem præponderant rationi dilectionis, quæ habetur ad uxorem. *Secundum est*, quia cùm uxor viro conjungatur, quasi ut sint duo in carne una, ideò secundùm rationem conjunctionis magis est diligenda uxor, adeò ut quantum ad unionem carnalis copulæ & cohabitationis debeat homo, relictis parentibus, adhærere uxori; quanvis non ita, quin in quibusdam debeat homo magis assistere parentibus, quàm uxori.

Ephes. 5.

ART. 12. *Vtrum homo magis debeat diligere benefactorem, quàm beneficiatum.* ℞. *Negativè*, non quòd non magis sit diligendus benefactor ex ratione excellentioris boni; sed ita quod ex ratione majoris conjunctionis magis sint diligendi beneficiati. *Primum est*, tum quia benefactor inspicit in beneficiato bonum honestum, quod est magis diligibile, & optabilius, quàm bonum utile, quod beneficiatus inspicit in benefactore: tum quia ad benefactorem propriè & magis pertinet amare, utpote quia vult & operatur bonum amato: tum quia ea, in

quibus plus laboratur, ut contingit in beneficia impendendo, plus etiam diliguntur: tum denique quia diligit benefactor beneficiatum ex seipso motus, non autem provocatus, sicut diligit beneficiatus; & ideò quia quod est ex se, potius est eo, quod est per alium, plus etiam diligit benefactor beneficiatum, quàm beneficiatus benefactorem. Ita tamen, quod non propterea quoslibet beneficiatos plus diligamus quibuslibet benefactoribus; sed eos à quibus maxima recepimus, scilicet Deum, & parentes, his præferamus quibus aliqua minora beneficia impendimus. *Secundum est*, quia cùm sit benefactor principium boni in beneficiato, ideò & habet rationem excellentiorem boni, unde ex hac parte sit magis diligendus; & quidem amore magis debito, quod patet ex eo quod contrarium rationem habet majoris peccati.

Vtrum ordo charitatis remaneat in patria. Art. 13.
℞. *Affirmativè*, non quidem taliter, ut vel secundùm ordinem sui ipsius ad alios, vel quantum ad ordinem proximorum ad invicem eodem modo se habeat in patria, ut in via; sed ita quod maneat idem, & quoad hoc quod super omnia diligatur Deus, & quod secundùm intensionem dilectionis plus se quisque diligat, quàm meliorem. *Primum est*, quia & fruetur perfectè homo Deo in patria, tanquam fine ultimo, proindeque & super omnia diliget; & cùm intensio actus proveniat ex parte subjecti diligentis, sitque homo magis sibi conjunctus, quàm proximus melior, ideò nedum quantùm ad Deum ut super omnia diligendum manebit ordo charitatis, sed

& quantum ad hoc, quod quisque plus se diligat, quàm proximum meliorem; ad hoc enim charitas datur, ut primò homo suam voluntatem ordinet ad Deum, quod pertinet ad dilectionem sui; secundariò verò ut velit ordinem aliorum ad Deum. Vnde illud Aug. Charitas est, ut plus potiora bona, minùs minora diligamus, non nisi quantum ad sibi conjunctos intelligitur, non autem quantum ad seipsum, quamvis minùs Deo propinquum, utpote cùm perfectio charitatis ordinet hominem perfectè ad Deum, quod pertinet ad dilectionem sui ipsius; sitque hic ordo fundatus in natura, quæ quidem in patria non tollitur, sed perficitur. *Secundum est*, quia cùm in patria velit Beatus quilibet, ut quisque habeat quod ei debetur secundùm divinam justitiam, propter perfectam conformitatem voluntatis ad divinam, quod quidem in hac vita non accidit, ubi cùm proficiat charitas per meritum ad majus præmium, potest homo sibi optare majus bonum, quàm aliis; ideò non eodem omnino modo se habebit ordo charitatis sui ipsius ad alios in patria ex parte boni voliti, ut se habet in via; sed nec quantum ad ordinem proximorum ad invicem, etiam ex parte intensionis, utpote cùm tota vita beata consistat in ordine mentis ad Deum, respectu cujus servabitur ordo dilectionis Beatorum, ut is magis diligatur, qui magis erit Deo propinquus; quandoquidem provisio ibi cessabit, secundùm quam conjunctos in via magis diligimus; quanvis non taliter, quin adhuc pluribus modis diligatur magis conjunctus, cùm in patria non cessent honestæ diligendi causæ.

IN QVÆSTIONEM XXVII.

De principali actu charitatis, qui est dilectio.

VTrum charitatis sit magis proprium amare, quàm amari. ℞. Affirmativè, & quidem taliter, quod & ratione amare magis probetur, necnon & signo manifestetur. *Primum est*, quia cùm magis conveniat unicuique, quod convenit ei per se, & substantialiter, quàm quod convenit ei per aliud; & amare conveniat per se charitati, in quantum scilicet charitas est, utpote quia cùm ut talis sit virtus quædam habens inclinationem ad proprium actum; cùm tamen amari ei solùm conveniat prout habet communem rationem boni; ideò & magis convenit charitati amare, quàm amari; adeò ut meliores, ex eo quod meliores sunt, sint quidem magis amabiles, sed ex eo quod in eis est perfectior charitas, sint magis amantes. Vnde quanvis propter amari aliqui ament, non ita tamen quod amari sit finis ejus quod est amare, sed quia solùm est via inducens ad hoc, ut homo amet: amare namque, & velle amare, ad charitatem pertinent secundùm se, nec multi sunt, qui volunt amari, nisi quia volunt honorari, & sic propter aliud. *Secundum est*, quia & amici plus solent laudari ex hoc quod amant, quàm ex hoc quod amantur; & matres, quæ maximè amant, plus quærunt amare, quàm amari, ut notat Philosophus. (ARTICVLVS PRIMVS. — In 8. Ethic. cap. 8.)

Vtrum amare secundùm quod est actus charitatis, sit idem quod benevolentia. ℞. *Negativè*, non quòd non includatur benevolentia in actu charitatis; sed ita quod di- (ART. 2.)

lectio charitatis addet benevolentiæ unionem affectus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm amor intellectualis, seu charitatis importet unionem quandam secundùm effectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo ut unum sibi; vel ad se pertinens, & sic movetur in ipsum; cùm tamen benevolentia sit simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præsupposita prædicta unione affectus ad ipsum; ideò includit quidem charitatis actus benevolentiam, cùm sit actus voluntatis in bonum tendens; sed addit tamen unionem affectus, adeò ut definiens Philosophus amare per velle bonum, non ponat ibi totam rationem ipsius, sed aliquid ad rationem ejus pertinens, in quo manifestatur dilectionis actus. Imò & ab amore, etiam ut passio est, sive ut est in appetitu sensitivo, differt benevolentia, utpote quæ interdum oritur ex repentino, sicut accidit nobis de pugilibus, qui pugnant, quorum alterum vellemus vincere; cùm tamen passio amoris non subitò exoriatur, sed per aliquam assiduam inspectionem rei amatæ, unde oritur impetus inclinans in suum objectum, qui quidem non importatur in benevolentia, ut ait Phil. In 9. Ethic.

ART. 3. *Vtrum Deus sit propter seipsum charitate diligendus*. ℞. *Affirmativè*, ita ut nec per modum causæ formalis, nec efficientis, aut finalis sit aliud ratio unde Deus diligatur, esto quod in genere causæ dispositivæ per aliud disponatur, ut diligatur. *Primum est*, quia cùm Deus non ordinetur ad finem, neque informetur aliquo, quo bonus sit, neque habeat ab alio bonitatem; ideò sive

dicat ly *propter*, habitudinem causæ finalis, formalis, aut efficientis, non diligitur Deus propter aliud, sed propter se, cùm sit ipse finis ultimus, & ipsa substantia bonitatis: imò & ipsa Dei cognitio, quāvis acquiratur per alia, postquam tamen cognoscitur, jam non per alia cognoscitur, sed per seipsum, juxta illud: Iam non propter tuam loquelā credimus, &c. *Secundum est*, quia cùm aliquibus aliis disponamur ad hoc ut in Dei dilectione proficiamus, putà per dona ab eo accepta, præmia sperata, vel pœnas quas per ipsum vitare intendimus; ideò si ly *propter*, dicat genus causæ materialis, prout ad illam reducitur dispositio, potest Deus diligi propter aliud, juxta illud Greg. Ex his quæ animus novit, discit & incognita amare. Ioan. 4. Homil. 11. in Evang.

ART. *Vtrum Deus in hac vita possit immediatè amari.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod in ordine cognitionis, & dilectionis, per aliud quidem cognoscatur Deus à nobis, licèt secundùm se cognoscibilis; sed in seipso, & secundùm se diligatur, sicut & secundùm se diligibilis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm sit dilectio actus appetitivæ virtutis, cujus quidem modus est inclinari in res secundùm conditionem ipsarum rerum, cùm inclinetur ad res ipsas, ad differentiam cognoscitivæ, quæ cùm perficiatur per hoc quod cognitum in cognoscente est, res etiam attingit secundùm modum cognoscentis; ideò in cognitione quidem, quia priùs sunt cognoscibilia ex parte nostri, quæ sunt sensui propinquiora, non primò Deum in se cognoscimus, qui est à sensu remotissimus; sed in dilectione etiam in statu viæ in Deum

primò tendit dilectionis actus, non autem aliis mediantibus, quin immò ex ipso derivatur ad alia. Vnde quia dilectio Dei est majus quid quàm ejus cognitio, maximè in hac vita, ideo & præsupponit ipsam; sed quia hoc ipso est dilectio cognitionis terminus, propterea & ubi desinit cognitio, scilicet in ipsa re, quæ per aliam cognoscitur, ibi statim incipere potest dilectio. Quod etiam per hoc patet, quod per charitatem tollitur aversio à Deo, non autem per solam cognitionem; & ideò charitas est, quæ diligendo animam immediatè Deo conjungit spirituali vinculo unionis.

ART. 5. *Vtrum Deus possit totaliter amari.* ℟. *Affirmativè*, & quidem sive referatur totalitatis modus ad rem dilectam, sive referatur ad diligentem, quanvis non ita, quod adæquet diligentis modus modum rei dilectæ. *Primum est*, quia & totum quod ad Deum dilectum pertinet, debet homo diligere; & ex toto corde suo, ut dicit Scriptura, debet diligere, ordinando scilicet quidquid habet ad Dei amorem. *Secundum est*, quia cùm sit Deus infinitum bonum, & ideò infinitè diligibilis quantum ad modum quo potest diligi, proinde fit, quod si totalitas consideretur secundùm comparationem diligentis ad rem dilectam, scilicet secundùm proportionem æqualitatis, ut tantum diligatur Deus, quantum est diligibilis, non possit Deus totaliter diligi, cùm non possit creatura infinitè diligere.

Deuteron. 6.

ART. 6. *Vtrum divinæ dilectionis sit aliquis modus habendus.* ℟. *Negativè*; si tamen subintelligatur, non sicut in mensura, in qua non potest esse excessus; sed sicut in re

mensurata, ut sit eo accipere plus, vel minus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm appetitus finis in omnibus artibus sit absque fine & termino, ut dicit Philos. ad differentiam eorum quæ sunt ad finem, in quibus apponi solet terminus, quod quidem patet in sanitate, & medicamento; ideò cùm finis omnium actionum humanarum, & affectionum sit ipsa Dei dilectio, per quam maximè attingimus ultimum finem, nec etiam in ea potest accipi modus, sicut est in re mensurata, ut sit in ea accipere plus vel minus, cùm quanto plus attingitur regula, tanto sit melius; sed sicut potiùs dicitur modus inveniri in mensura, in qua scilicet sicut in fine modus est, quod non possit esse excessus. Vnde & ex parte modi præeminet charitas aliis virtutibus, utpote quæ modum habent ut mensuratæ, ut scilicet possint excedere, vel deficere, nō autem charitas; & quidē quanvis mensuret ratio actiones exteriores charitatis, utpote cùm hoc sit, quia objectum earum subjacet judicio rationis, quod tamen non est in dilectione interiori, quandoquidem ejus objectum est Deus ipse, qui judicium rationis excedit. Vnde nec quærit Aug. modum diligendi Deum, nisi ad insinuandum quod in hoc est, ut ex toto corde diligatur, id est quantum potest diligi; qui quidem modus est sine modo, ut ait D. Bernardus.

In primo Politic. cap. 6.

Lib. de morib. Eccles. cap. 8.

Lib. de diligēdo Deum.

ART 7.

Vtrum sit magis meritorium amicum diligere, quàm inimicum. ℞. *Affirmativè*; si tamen subintelligatur ex parte proximi, quem diligimus, non ex parte rationis, propter quam diligimus. *Primum est*, quia

ex parte ejus qui diligitur, & est amicus magis conjunctus, & est materia magis conveniens dilectionis, cùm melior sit. Vnde etiam fit, quod secundùm se considerata dilectio amicorum sit feruentior: sicut & ignis in propinquiora magis, & feruentiùs agit, quàm in remotiora. Nec illud: Si
Matth. 5. diligitis eos, qui vos diligunt, &c. aliter intelligitur, quàm quando amici amantur ut amici tantùm, & non propter Deum. *Secundum est*, tum quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quàm Deus, cùm tamen solus Deus sit ratio dilectionis inimici: tum quia ex hoc ostenditur fortiorem esse Dei dilectionem, quæ hominem extendit usque ad dilectionem inimicorum; sicut & fortior est virtus ignis materiam comburens minùs combustibilem.

ART. 8. *Vtrum sit magis meritorium diligere proximum, quàm diligere Deum.* ℞. *Negativè*; si tamen vel seorsum consideretur utraque dilectio, vel non sic accipiatur dilectio Dei, ut solus diligitur; & proximi, ut propter Deum. *Primum est*, quia cùm dilectioni Dei debeatur merces propter seipsam, utpote cùm ultima merces sit frui Deo, juxta
Ioan. 14. illud, Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & manifestabo ei meipsum; ideo & magis est meritoria, & quidem quanvis dilectio amici, quia diligitur propter seipsum, sit aliquando minùs meritoria, utpote cùm hoc contingere nequeat in Deo, propterea quod tota meriti ratio in hoc consistit, ut propter seipsum diligatur. Vnde nec est necesse, ut omne difficilius sit magis meritorium, sed quod sic difficilius est, ut etiam sit melius, quod non est in

proximo

proximo in comparatione ad Deum : sed nec quod Paulus optaret esse anathema à Christo,&c.probat , quod plus proximum diligeret , quàm Deum , sed quod plus diligeret Deum , quàm seipsum ; volebat enim ad tempus privari fruitione divina, quod pertinet ad dilectionem sui,ut procuraretur honor Dei in proximis,quod spectat ad dilectionem Dei.*Secundum est*, quia si accipiatur dilectio Dei , ut solus diligitur , & proximi ut propter Deum,cùm sic includat dilectio proximi dilectionem perfectam Dei ; illa autem quâ solus Deus diligitur , sit imperfecta,& insufficiens ; quia mandatum habemus à Deo , ut qui diligit Deum , diligat & fratrem suum , ideò & in hac acceptione præeminet dilectio proximi. Rom. 9.

IN QVÆSTIONEM XXVIII.

De gaudio.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum gaudium in nobis sit effectus charitatis.* ℞. *Affirmativè*,& quidem sive sit gaudium de bono divino in se considerato , sive ut à nobis participato ; quanvis non æquè principaliter de posteriori, ac de priori.*Primum est*,quia cùm ex amore caussetur gaudium , & tristitia ; gaudium quidem vel propter præsentiam boni amati, vel quia ipsi bono amato proprium bonum inest, & conservatur , & hoc etiam si sit absens : tristitia verò vel propter absentiam amati , vel quia proprio privatur bono ; ideò cùm charitas sit amor Dei , cujus quidem bonum est immutabile ; & ex eo quod amatur , sit in amante per nobilissimum sui effectum,juxta illud : Qui manet in charitate in Deo manet , &c. est conse- 1.Ioan.4.

quenter gaudium spirituale de Deo habitum effectus charitatis, & quidem etiam in hac vita, ubi scilicet præsens est Deus amantibus per gratiæ inhabitationem. Ita tamen, quod possit etiam ex charitate causari luctus, utpote cùm ejusdem rationis sit gaudere de aliquo bono, & tristari de his, quæ ei repugnant. *Secundum est*, quia gaudium, quod est de bono divino prout à nobis participato, oritur etiam ex spe; cùm tamen non nisi ex charitate sit gaudium de bono divino in se considerato.

ART. 2. *Vtrum gaudium spirituale, quod ex charitate causatur recipiat admixtionem tristitiæ.* ℞. *Negativè*; si tamen subintelligatur de gaudio, non quo de bono divino gaudemus, ut à nobis participato; sed ut in se considerato. *Primum est*, quia divinum bonum in se consideratum non potest aliquam mali habere admixtionem. *Secundum est*, quia cùm consurgat tristitia de eo quod repugnat participationi divini boni, vel in nobis, vel in proximis; & de facto impediri possit illa participatio per aliquod contrarium, ut per peccata, quorum propterea dolor ex charitate est; ideò & potest gaudium de bono divino ut à nobis participato permixtionem habere tristitiæ; ad quam quidem pertinet illud, Flere cum flentibus, &c. utpote ex quo probatur, quod facit charitas condolere proximo, in quantum in eo impeditur participatio divini boni: tum etiam tristitia, quâ quis luget de dilatione gloriæ, quæ etiam pertinet ad impedimentum participationis divini boni.

Rom. 12.

ART. 3. *Vtrum spirituale gaudium, quod ex cha-*

vitate causatur, possit in nobis impleri. ℟. *Affirmativè*, non quidem ea plenitudine, quæ sumitur ex parte rei, de qua gaudetur, sed quæ sumitur ex parte gaudentis. *Primum est*, quia cùm gaudium comparetur ad desiderium, ut quies ad motum, & quies sit plena ex parte mobilis, cùm nihil restat de motu; ideò & gaudium erit plenum, cùm nihil ad desiderandum restat, quod quidem erit in patria ex parte gaudentis propter plenam Dei fruitionem; & quidem licèt gaudium unius sit majus, quàm alterius, vel etiam quanvis Dei cognitio non habeat plenitudinem ex parte rei cognitæ, quia esset comprehensio, utpote cùm adhuc gaudium sit plenum ex parte gaudentis, quia cujusque desiderium plenè quietabitur, juxta illud: Qui replet in bonis desiderium tuum; necnon & habeat cognitio plenitudinem ex parte cognoscentis. Psal. 102. *Secundum est*, quia sumpta plenitudine gaudii ex parte rei, de qua est gaudium, ut scilicet tantùm gaudeatur de ea, quantum est dignum gauderi; sic solum Dei gaudium est plenum, utpote quod solum est infinitum.

Vtrum gaudium sit virtus. ℟. *Negativè*, ita quod nec sit virtus à charitare distincta, nec etiam sit actus à quo denominetur charitatis virtus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virtus non definiatur aut denominetur nisi ab actu priori, quanvis alii actus etiam ab ea consequantur; & primus actus appetitivæ potentiæ sit amor, ex quo sequitur desiderium, & gaudium; ideò est quidem gaudium charitatis actus, sive effectus, qui inter fructus connumeratur; ART. 4.

non autem specialis virtus à charitate; unde & de gaudio datur præceptum ab Apost. utpote cadens super actum virtutis; non ita tamen quod à gaudio denominetur charitas, sed ab amore. Cum quo tamen stat, quod & aliquæ tristitiæ particulares ponantur specialia vitia, quandoquidem non derivantur à speciali vitio, sicuti gaudium à speciali virtute amoris, sed generali; necnon & ipsa spes, quanvis ex amore consequens, sicut gaudium ponatur specialis virtus; cùm ad differentiam gaudii superaddat ex parte objecti quandam specialem rationem, scilicet ardui, & possibilis adipisci.

Ad Philip. 4.

IN QVÆSTIONEM XXIX.

De pace.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum pax sit idem, quod concordia. ℞. *Negativè*, ita scilicet, quod includat quidem pax concordiam; non tamen ubicumque est concordia sit pax. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm concordia, cui quidem opponitur dissensio hominis ad alterum, importet tantùm unionem appetituum diversorum appetentium; pax autem cui etiam opponitur dissensio hominis ad seipsum, importet insuper appetituum unius appetetis unionem; nec enim homo habet pacem propriè dictam, & cor quietum, nisi ejus uniantur appetitus, & in unum ferantur; ideò includitur quidem concordia in pace, non ita tamen ut ubicumque est concordia, sit pax, adeò ut unio consensus, quæ est concordia, non sit pax, nisi etiam sibi invicem omnes motus appetitivi sint consentientes. Vnde quod sit pax ordinata concordia, ex Aug. non propterea

19 de ci. vi. c. 1.

ſequitur eſſe ſimpliciter concordiam, ſed quod ſit ordinata cõcordia, quod cõceditur.

Vtrum omnia appetant pacem. ℞. *Affirmativè*; & quidem etiam qui bella quærunt, & diſſenſiones; quanvis non ſemper veram appetant pacem, aut non ſemper perfectam, ſi veram. *Primum eſt*, quia cùm ex hoc quod homo appetit aliquid, inde etiam appetat & ejus quod appetit aſſequutionem, & per conſequens remotionem eorum, quæ eam impedire poſſunt, ut eſt contrarius appetitus, vel ſui ipſius, vel alterius; ideò cùm utrumque tollatur per pacem, neceſſe eſt quod omne appetens appetat pacem; & quidem etiam qui bella quærunt, utpote qui ideo concordiam aliquam tanquam defectum pacis habentem conantur rumpere, ut ad perfectiorem pacem perveniant: imò & quæ cognitione carent, cùm pax nedum importet unionem appetitus intellectualis, ſed ſenſualis, aut animalis, & etiam naturalis, proindeque ſit etiam in rebus cognitione carentibus. *Secundum eſt*, quia pax mala eſt, non autem vera, cùm non eſt circa appetitum veri boni, ſed apparentis, utpote quæ licèt aliquâ ex parte appetitum quietet, habet tamen multos defectus, & hæc eſt pax malorum; nec eſt perfecta pax, niſi illa, quæ conſiſtit in perfecta fruitione ſummi boni, quæque finis eſt creaturæ rationalis, qualis quidem non eſt quæ habetur in hac vita, in qua ſcilicet, eſto quod principalis animæ motus in Deo quieſcat, ſunt tamen aliqua perturbantia intus, & extra. **Art. 2.**

Vtrum pax ſit proprius effectus charitatis. ℞. *Affirmativè*, non quòd non ſit indirectè **Art. 3.**

opus justitiæ; sed ita quod quoad unam, & alteram unionem, in qua consistit, causetur directè à charitate. *Primum est*, quia duæ illæ uniones pacem constituentes sunt, altera secundùm ordinationem propriorum appetituum in unum, altera appetitus proprii cum appetitu alterius: quam quidem utramque efficit charitas, primam in quantum toto corde diligitur Deus, & omnia referuntur in ipsum; secundam in quantum diligitur proximus, volendo scilicet impleri voluntatem proximi, sicut sui ipsius. Vnde nec sine gratia gratum faciente potest esse vera pax, sed solùm apparens; ita tamen quod ad amicitiam charitatis non pertinet concordia in opinionibus, sed in bonis conferentibus ad vitam, adeò ut existente concordiâ in principalibus bonis, dissensio in aliquibus non sit contra charitatem, nec regugnet paci; & hoc fuit in Hieron. & Aug. & in Barnaba & Paulo. *Secundum est*, quia cùm justitia removeat prohibens pacem, ideò & est pax opus illius, non quidem directè, sicut amoris, qui est per se vis unitiva; sed indirectè, ut removentis prohibens.

ART. 4. *Vtrum pax sit virtus.* ℞. *Negativè*, non quòd non sit actus virtutis, & quidem meritorius; sed ita quod non alia sit virtus, cujus sit actus proprius, nisi charitas. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm omnes actus, qui se invicem consequuntur, & secundùm eandem rationem ab agente procedunt; sint tantùm unius virtutis, sicuti unius virtutis est in igne calefaciendo liquefacere, & rarefacere; & pax causetur à charitate secundùm ipsam rationem di-

lectionis Dei, & proximi; consequenter sit, quod & sit pax actus charitatis, & consequenter meritorius: unde & de pace datur præceptum, poniturque pax inter beatitudines, quæ sunt actus virtutis perfectæ; necnon & inter fructus, ut est quoddam finale bonum dulcedinem habens; ita tamen quod non alia sit virtus, cujus sit actus proprius, quàm charitas. Vnde cùm vitium contrarietur virtuti, ideò non paci, sed charitati ratione pacis contrariatur dissensio; sicut eidem contrariatur acedia, vel invidia ratione gaudii, & odium ratione dilectionis; uni enim virtuti multa possunt opponi vitia secundùm diversos actus.

IN QVÆSTIONEM XXX.

De misericordia.

VTram malùm sit motivum misericordiæ. ℞. *Affirmativè*, non quidem sub quacumque ratione mali, sed sub ratione contristantis, & contrariantis voluntati. *Primum est*, quia cùm misericordia sit alienæ miseriæ in nostro corde compassio, ex Aug. utpote cùm dicatur misericordia ex eo quod habet aliquis miserum cor super miseria alterius; & ad miseriã pertineat, ut homo patiatur quæ non vult, sicuti ad beatitudinem miseriæ contrariam, ut habeat quæ vult; proinde fit quod malum sub ratione involuntarii ad misericordiam moveat, & tanto magis, quo magis involuntarium; adeò ut sicut homo potest aliquid velle tripliciter, vel appetitu naturali, ut esse, & vivere; vel per electionem ex aliqua præmeditatione, vel non secundùm se, sed in sua causa, quo modo qui vult no-

ARTICVLVS PRIMVS.

Lib. 9. de civit. c. 5.

civa comedere, vult quodammodo infirmari; ita & triplex sit misericordiæ motivum: primum, illud quod appetitui naturali contrariatur, ut corrumpentia, & contristantia: secundum, quod est contra voluntatem electionis, quod magis movet: tertium denique quod est contra totam voluntatem, quod quidem magis miserabile est, ut cùm quis semper sectatus est bona, & ei semper eveniunt mala. Vnde quod dicit Philos. quod dirum est expulsivum miserationis, non aliter intelligitur, quàm quod in malis filiorum, aut parentum, quæ propriè dira sunt, non propriè miseremur, sed magis condolemus, sicut in vulneribus propriis. *Secundum est*, quia malum culpæ, quà tale, utpote voluntarium, non habet rationem miserabilis, sed potiùs punitionis; esto quod ut habet aliquid, quod est contra voluntatem peccantis, possit rationem habere miserabilis, sicut & ipsa malorum signa, prout nobis repræsentant mala miserabilia.

ART. 2. *Vtrum defectus sit ratio miserendi ex parte miserentis.* ℞. *Affirmativè*, nimirum vel in quantum aliquis defectum alicujus reputat suum propter amoris unionem, vel propter possibilitatem similia patiendi. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ex hoc aliquis misereatur, ex quo contingit, quod de miseria aliena doleat, proindeque & in quantum miseriam alienam apprehendit ut suam, cùm sit tristitia, seu dolor de proprio malo; ideò cùm hoc contingat vel secundùm unionem affectus, vel secundùm unionem realem, dum scilicet malum aliquorum propinquum est, ut scilicet inde

æstimemus, quod possimus & nos similia pati; propter quod senes sapientes, & debiles, qui considerant se posse in mala incidere, sunt etiam magis misericordes; consequenter fit quod ratio miserendi, non quidem in Deo, qui non nisi propter amorem miseretur, sed in nobis sit semper defectus aliquis. Ita tamen quod qui sunt in infinitis malis, quia non timent se ulteriùs pati aliquid, ideò non misereantur; sicuti & qui valde timent, qui quidem tantùm intendunt propriæ passioni: imò nec misereantur qui sunt in contumeliativa dispositione, vel quia eam sint passi, vel quia eam inferre velint, utpote qui inde provocantur ad iram, & audaciam.

Vtrum misericordia sit virtus. ℞. *Affirmativè*, non quidem secundùm quod nominat motum appetitus sensitivi, sed quia sic nominare potest motum appetitus intellectivi, ut sit vera virtus. *Primum est*, quia cùm ratio virtutis humanæ in hoc sit, quod motus animi ratione reguletur, ut dictum est; & motus appetitus intellectivi secundùm quod alicui displicet malum alterius, possit esse secundùm rationem regulatus, & taliter quod secundùm hunc motum regulari possit & motus inferioris appetitus, quando scilicet ita præbetur misericordia, ut conservetur justitia, sive cùm indigenti tribuitur, sive cùm ignoscitur pœnitenti, ut notat Aug. ideò & potest misericordia, ut est motus appetitûs intellectivi, esse virtus moralis, scilicet circa passiones existens, reducenda ad illam medietatem, quæ dicitur *Nemesis*. Vnde etiam probatur, quod possit esse virtus, cùm medietates, ART. 3. 1.2. q.57

si ab aliquo habitu electivo proveniant, assumant rationem virtutis; & quidem potiùs, quàm pax, & gaudium, utpote quæ nihil superaddunt super rationem boni, quod est objectum charitatis; cùm tamen respiciat misericordia rationem specialem, scilicet miseriam alienam. *Secundum est*, quia misericordia ut est motus appetitus sensitivi, est potiùs passio, & quidem judicium impediens rationis, quando non est à ratione regulata.

ART. 4. *Vtrum misericordia sit maxima virtutum.* ℞. *Negativè*, non quòd non sit misericordia maxima secundùm se, vel etiam inter virtutes ad proximum pertinentes potissima; sed ita quod per comparationem ad habentem non sit maxima, nisi in maximo, scilicet Deo. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm supplere defectum alterius, in quantum hujusmodi sit superioris & melioris; ideò & maxima est misericordia secundùm se, sicut & ut ad proximum pertinet potissima, in quo quidem sensu dicit Ambros. quod omnis summa disciplinæ christianæ in misericordia & pietate est; necnon Matth. 12. dicitur, Misericordiam volo, non sacrificium; quatenus cùm non colamus per sacrificia exteriora Deum, nisi propter nos, & proximos, misericordia est sacrificium magis acceptum, cùm propinquiùs proximorum inducat utilitatem; sed quia magis & melius est conjungi superiori, quàm supplere defectum inferioris; ideò & potior est charitas, quâ unimur Deo, quàm misericordia, quâ defectus proximorum supplemus, adeò ut non sit misericordia in habente maxima, nisi qui habet sit etiam

maximus, & optimus, qui non habet uniri meliori. Vnde per misericordiam assimilamur quidem Deo per similitudinem operationis: at cùm per charitatem assimilemur ei velut optimo, tanquam per affectum uniti, ideò major adhuc est charitas.

IN QVÆSTIONEM XXXI.
De beneficentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum beneficentia sit actus charitatis.* ℞. *Affirmativè*; si tamen accipiatur bonum, quod facit, non quidem sub speciali aliqua ratione, sed sub communi ratione boni. *Primum est*, quia cùm in actu dilectionis includatur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico; & voluntas sit effectiva eorum, quæ vult, dummodo facultas adsit; ideò fit, quod sit beneficentia secundùm communem rationem amicitiæ, seu charitatis actus, non ita quod nostrum sit Deo benefacere, sed ut ejus sit ex sua dilectione nobis benefacere; ita tamen, quod quia in datione duo sunt actus, scilicet interior, & exterior; ex parte quidem exteriori pertineat ad charitatem in generali; sed tamen liberalitas moderetur interiorem. *Secundum est*, quia si bonum, quod quis facit alteri, accipiatur sub aliqua speciali ratione boni; sic beneficentia rationem accipit specialem, & pertinet ad specialem virtutem; adeò ut dare, quia debes, sit actus justitiæ; & misericordiæ, si quia misereris; sicut & actus charitatis, & amicitiæ, si quia amicus, & hæc est beneficentia.

ART. 2. *Vtrum sit omnibus benefaciendum.* ℞. *Affirmativè*, & quidem vel actu, vel in præparatione animi; sed tamen pro loco, &

tempore. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm beneficentia amorem consequatur ex ea parte, quâ movet superiores ad provisionem inferiorum; & in hominibus mutabiles sint gradus (ad differentiam Angelorum,) utpote qui multiplices pati possunt defectus, adeò ut qui est superior secundùm aliquid, sit, vel esse possit inferior secundùm aliud; ideò beneficentia, sicut & charitas potest esse ad omnes, non quidem taliter, quod debeat homo omnibus actu benefacere, vel sine servatis debitis circunstantiis loci & temporis, secundùm quas limitari debent actus virtutum; sed ita quod sit hoc animo, si facultas adesset, sicut & adest in orando, omnibus pro loco & tempore benefacere, & quidem etiam excommunicatis, & inimicis reipublicæ, cùm immineret necessitas, ut non deficeret natura, nisi ex justitia paterentur.

Eccl. 12. Vnde illud: Da bono, & non recipias peccatorem; non aliud insinuat, nisi quod peccatori subveniendum non sit quantum ad fomentum culpæ, non autem quantum ad sustentationem naturæ.

ART. 3. *Vtrum sit magis benefaciendum his, qui sunt nobis magis conjuncti.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit hoc variari secundùm diversitatem negotiorum, & temporum; sed ita quod simpliciter loquendo sit unicuique magis benefaciendum secundùm rem, secundùm quam est magis conjunctus. *Primum est*, quia cùm gratia, & virtus imitentur naturæ ordinem, qui similiter est à Deo; & ordo naturæ sit, ut agens priùs agat in propinqua, ut patet in igne, qui propinquiora magis calefacit; ideò & ex

hibitio beneficiorum, quæ est actus charitatis, debet simpliciter loquendo esse magis ad conjunctiores; juxta tamen varias propinquitates, tam consanguineorum, quàm concivium, vel commilitonum, &c. adeo ut in militia præferatur miles conjuncto secundùm carnem, utpote quia miles præbens commilitoni auxilium, totam juvet rempublicam, cujus est bonum magis amandum. Vnde illud; Cùm facis prandium, noli vocare amicos; non propterea prohibet simpliciter vocari amicos, aut consanguineos, sed solùm eâ vocare intentione, ut reinvitent. *Secundum est*, quia juxta locorum, & negotiorum diversitatem aliquando magis subveniri debet extraneo, quàm patri, si tantam non patiatur necessitatem; & licèt quisque teneatur magis ad benefaciendum filiis, in articulo tamen necessitatis magis liceret filios deserere, quàm parentes, quos nullo modo deserere licet propter obligationem beneficiorum acceptorum. Ita tamen, quod debitum quod debet numerari inter bona illius, cui debetur, ut cùm aliquis rem habet alterius ex furto, mutuo, aut deposito, debeat priùs restitui, quàm quod ex eo benefiat conjunctis, nisi in tanta essent necessitate, in qua liceret, si tamen ille non esset in simili necessitate. Luc. 14.

Vtrum beneficentia sit virtus specialis. ART. 4.
℟. *Negativè*, non quòd non sit specialis actus virtutis, sed ita quod non aliam nominet virtutem à charitate. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm eadem sit ratio formalis objecti charitatis, & beneficentiæ, utpote cùm utraque respiciat communem

rationem boni; ideo nominat quidem beneficentia diversum virtutis actum, ut probat diversitas præceptorum; non tamen diversum à charitate habitum, adeò ut beneficia, sicut & nocumenta omnia, si considerentur sub communi ratione boni, & mali, reducantur vel ad amorem, vel ad odium; esto quod ubi considerantur secundùm speciales rationes, reducantur ad speciales virtutes, vel vitia: unde & in varias species multiplicatur beneficentia.

IN QVÆSTIONEM XXXII.

De eleemosyna.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum dare eleemosynam sit actus charitatis.* ℞. *Affirmativè*, non quidem elicitivè, & immediatè; sed ex consequenti, & mediante misericordia. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm actus exteriores ad illam referantur virtutem, ad quam spectat motivum ad agendum; & motivum dandi eleemosynam, quæ quidem est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum, sit misericordia, ut subveniatur necessitatem patienti; ideò cùm misericordia, ut dictum est, sit effectus charitatis, ita & eleemosyna, non quidem elicitivè, cùm sit elicita à misericordia; sed imperativè, & mediante misericordiâ, adeò ut ad liberalitatem non pertineat, nisi ut solùm removentem impedimentum; nec etiam formaliter sumpta, seu facta eo modo, quo debet, usquam sit sine charitate, esto quod sine ea esse possit materialiter: sicut & dici solet, quod potest quis sine justitia facere justa, quanvis non justè. Cum quo tamen stat, quod dare eleemosynas computari possit inter opera sa-

tisfactoria, prout scilicet miseratio in defectum patientis ordinatur ad satisfaciendum pro culpa; sicut & ut ordinatur ad placandum Deum, habet rationem sacrificii, & imperatur à latria; nec enim repugnat, ut actus, qui est proprius unius virtutis elicitivè, attribuatur imperativè alteri.

Vtrum convenienter eleemosynarum genera distinguantur. ℟. *Affirmativè*, ita quod & contra corporis defectus convenienter sint pascere esurientem, potare sitientem, nudum vestire, colligere hospitem, visitare infirmum, captivum redimere, mortuos sepelire; & contra defectus animæ convenienter enumerentur docere ignorantem, dubitanti consulère, tristem consolari, corrigere peccantem, offensam remittere, portare onerosos, & orare pro omnibus. *Primum est*, quia corporales defectus vel sunt in vita, vel post: si in vita, vel communes, vel particulares. Communes, vel interiores, ut fames, unde pascere; & sitis, unde potare: vel exteriores; & hoc vel respectu tegumenti, ad quod ponitur vestire nudum, vel respectu habitaculi, ad quod ponitur suscipere hospitem. Si autem particulares, aut ex intrinseca causa, ut infirmitas, ad quod est visitare, ad quod quidem reducitur & cæcum dirigere, & claudum sustentare, &c. aut ex causa extrinseca, ad quod redemptio captivorum; ac tandem si post vitam, sepultura. Quanvis enim Dominus non connumeraverit sepulturam, quia narravit tantùm opera, quæ sunt evidentioris necessitatis; pertinet tamen ad defunctum, quid- ART. 2.

de ejus agatur corpore, tum quantum ad hoc, quod vivit in memoriis hominum, cujus honor dehonestatur, si insepultus remaneat; tum etiam quantum ad affectum, quem adhuc vivens habebat de suo corpore. *Secundum est*, quia contra spirituales defectus subvenitur vel poscendo auxilium à Deo, & ad hoc ponitur orare; vel impendendo humanum auxilium, & hoc aut contra defectum intellectus speculativi, ad quod est docere ignorantem, non quidem à quacumque ignorantia, sed ab ea, quâ nescit quæ convenit eum scire, quæ scilicet ea est, quæ ad hominis pertinet defectum, & sic non quilibet debet docere quemlibet: aut contra defectum practici intellectus, ad quod consulere; aut contra defectum ex passione appetitus, ut est tristitia, ad quod ponitur consolari; aut ex parte inordinati actus, & hoc vel ex parte peccantis, ad quod ponitur correctio, non quidem quantum ad exequutionem actus, utpote pertinentem ad justitiam, sed quoad intentionem corrigentis, quæ spectat ad misericordiam; vel ex parte ejus, in quem peccat, ad quod ponitur remittere offendenti; vel demùm respectu eorum, quæ ex actu sequuntur, ad quod similiter portare onerosos, maximè cùm ex infirmitate peccatur.

ART. 3. *Vtrum eleemosynæ corporales sint potiores, quàm spirituales.* ℟. *Negativè*, non quod non præferatur in casu aliquo quædam corporalis eleemosyna alicui spirituali, sed ita quod simpliciter loquendo præemineant spirituales corporalibus. *Primum est*, tum quia donum spirituale præminet corpora-

ti: tum quia spiritus, cui subvenitur, nobilior est corpore: tum quia spirituales actus sunt corporalibus nobiliores. Vnde interdum quidem magis est grata eleemosyna corporalis, quàm spiritualis: sed quia meritum dantis attenditur secundùm id in quo debet rationabiliter quiescere voluntas accipientis, ideò non propterea minuitur meritum eleemosynæ spiritualis; sicut nec per recompensationem, quæ semper est in bonis spiritualibus, si non sit intenta, sicuti nec humana gloria minuit rationem virtutis. *Secundum est*, quia cùm magis sit pascendus qui fame moritur, quàm docendus; ideò secundùm particularem aliquem casum nihil obstat præferri eleemosynam corporalem: in quo etiam sensu verificatur, melius esse dare magis indigenti, cæteris tamen paribus, putà si minùs indigens non sit melior, nec melioribus indigeat.

Vtrum eleemosynæ corporales habeant effectum spiritualem. ℞. *Affirmativè*, non quidem consideratæ secundùm substantiam, sed ex parte vel causæ, vel effectus. *Primum est*, quia cùm ex parte causæ habeat eleemosyna dilectionem Dei & proximi, ideò & ex hac parte fructum habet spiritualem, juxta illud: Perde pecuniam propter fratrem, &c. Vnde & vidua apud Luc. licèt minùs dederit secundùm quantitatem, quia tamen plus dedit secundùm proportionem, ex quo in ipsa pensatur major dilectionis affectus, magis etiam dedisse dicitur. Sed insuper & ex parte effectus fructum similiter habet, utpote cùm hic, cui subvenitur, moveatur ad orandum pro

ART. 4. Eccl. 29.

Eccl. 19. benefactore, ut etiam scriptum est; & quidem quanvis det ea intentione, cùm non propterea intendat emere aliquid spirituale, sed tantùm per spiritualem charitatis affectum promereri spiritualem fructum. *Secundum est*, quia cùm effectus non sit potior causâ; ideo nec habet corporalis eleemosyna secundùm substantiam, nisi corporalem effectum, supplere scilicet corporales defectus proximi.

ART. 5. *Vtrum dare eleemosynam sit in præcepto.*

℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod sit materia præcepti, quanvis sub præcepto non cadens, nisi supponatur & superfluum ex parte dantis, & extrema necessitas ex parte recipientis. *Primum est*, quia cùm dilectio proximi sit materia præcepti, proindeque & ea omnia, sine quibus dilectio proximi non conservatur; ideò cùm ad proximi dilectionem spectet non solùm ut ei velimus bonum, sed etiam operemur subveniendo, seu nedum verbo, sed opere, & 1. Ioan. 3. veritate; est consequenter eleemosyna materia præcepti contenta sub præcepto de honorandis parentibus, sub quo scilicet continetur omnis subventio proximi. Vnde illud: Consilium meum de eleemosyna tibi Daniel. 4. placeat, &c. non nisi extra casum necessitatis intelligitur; & quidem quanvis temporalia bona videantur esse ejus tantùm, qui ea possidet; id enim solùm verificatur quantum ad proprietatem, non autem quãtum ad usum. *Secundum est*, quia cùm non cadat eleemosyna sub præcepto, nisi quatenus actus virtutis, & consequenter secundùm quod requirit recta ratio; ideò & in ea præcipienda considerari debet secun-

dùm rectam rationem unum ex parte dantis, scilicet ut id quod erogandum est, sit superfluum respectu sui, & illorum quorum incumbit cura, juxta illud: Quod superest, date eleemosynam; quisque enim prius sibi, & suis providere debet: alterum autem ex parte recipientis, scilicet quod habeat necessitatem, non quamlibet, sed talem, ut sine eleemosyna sustentari non possit: in quo quidem casu, & pro quo tempore mortaliter peccat qui non dat eleemosynam. Luc. 11.

Vtrum quis debeat dare eleemosynam de necessario. ℞. *Affirmativè*, non quidem ubi necessarium dicitur, sine quo aliquid esse non potest, sed sine quo non potest aliquid ita convenienter esse. *Primum est*; quia quanvis nullus inconvenienter vivere debeat, & ita dare eleemosynam taliter, quod homo non convenienter vivat secundùm statum suum, possit esse peccatum; quia tamen hujusmodi necessarii terminus non est in indivisibili constitutus, sed multis subtractis adhuc remanet unde quis vitam transigat secundùm proprium statum; ideò de hujusmodi dare eleemosynam bonum est, adeò ut cadat sub consilio, nec sit illicitum, præsertim in tribus his casibus. Primò quando quis statum mutat, putà per Religionis ingressum, cùm tunc omnia sua propter Christum largiens opus perfectionis faciat, se in alio statu ponendo. Secundò quando necessaria illa quæ tribuit, possunt de facili resarciri, ut non sequatur maximum inconveniens. Tertiò quando esset aliqua extrema necessitas privatæ alicujus personæ, aut aliqua necessitas magna Rei- Art. 6.

publicæ, utpote cùm tunc non prætermitteret decentiam sui status, nisi ut majori necessitati subveniret. *Secundum est*, quia cùm hoc sit sibi, & suis vitam subtrahere, quando de his fit eleemosyna, sine quibus qui dat, vel sui sustentari non possunt; ideò de tali necessario fieri non debet, nisi casu quo subtrahendo sibi, daret alicui personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur, eo quòd tunc non nisi commune bonum proprio præferretur, quod est laudabile.

ART. 7. *Vtrum possit fieri eleemosyna de injustè acquisitis.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ubi debetur alteri quod est illicitè acquisitum; sed ubi vel non debetur ei, à quo acquiritur; vel ubi solùm acquiritur illicitè, quia illicitum est ex quo acquiritur. *Primum est*, quia ubi non debetur ei, à quo illicitè acquiritur, sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens contra justitiam, seu legem agit, cùm hoc ipso nec fieri debeat restitutio ei, qui dedit; ideo debet in eleemosynas erogari: sicut & ubi solùm acquiritur illicitè, quia illicitum est ex quo acquiritur, ut in acquisitis per meretricium, utpote cùm sic illicitè acquisita, quanvis per turpe exercitium, non tamen sint injustè accepta, possintque retineri, & ita de his eleemosynæ fieri, esto quod de his fieri non debeat sacrificium, sive oblatio, propter sacrorum reverentiam. *Secundum est*, quia cùm eorum quæ alteri debentur, à quo per rapinam, vel usuram quis acquisivit, teneatur ad restitutionem, ideo non potest de his facere eleemosynam, & quidem quanvis consulatur amicos facere

de mammona iniquitatis; id enim intelligitur, non de rebus alienis, ſed propriis divitiis, quæ ſcilicet iniquitates dicuntur, quaſi inæqualitates, quòd non ſint omnibus æqualiter diſtributæ. Vnde cùm lucrari in ludo ab illis, qui alienare non poſſunt, vel à furioſis, vel ab eo, quem ad ludum aliquis traxit ut fraudulenter lucraretur, ſit illicitum ex jure divino, obligetque ad reſtitutionem, nec poteſt de hujuſmodi acquiſitis facere eleemoſynam, niſi fortè lucratus ſit ab eo qui eum traxit ad ludum, in quo caſu cùm qui amiſit non ſit dignus recipere, nec poſſit acquirens illud retinere, durante jure poſitivo univerſaliter prohibente talia lucra, debet proinde de illo eleemoſynam facere. Cum quibus tamen ſtat, quod quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, liceatque patienti accipere de alieno ad ſuam ſuſtentationem, ſi non eſt qui det; ideo & in hoc caſu liceat de alieno eleemoſynam facere, eſto quod quantum fieri poteſt, requiri debeat voluntas Domini. Luc. 16.

ART. 8. *Vtrum ille, qui eſt in aliena poteſtate conſtitutus poſſit eleemoſynam facere.* ℞. *Negativè*, non quòd non poſſit facere, ſi quid habeat quod poteſtati ſuperioris non ſubſit; ſed ita quod in quibus ſuperiori ſubjicitur, non aliter debeat diſpenſare, quàm ſecundùm quod ei committitur. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm hic ſit ordo naturalis, ut inferiora, quà talia ſunt, ſecundùm ſuperiora regulentur; ideò ſi quid habeat inferior, in quibus ſuperiori non ſubjicitur, poteſt quidem de his eleemoſynam facere, non tamen in aliis, in quibus

subjicitur, nisi secundùm quod ei à superiore committitur. Vnde monachus, cùm nihil proprii habeat, si non habeat dispensationem à Prælato, aut licentiam Abbatis expressam, vel probabiliter præsumptam, non potest eleemosynam facere de rebus monasterii, nisi in casu necessitatis: nec ideò est pejoris conditionis, quandoquidem melius est cum intentione sequendi Dominum simul omnia donasse, & sine solicitudine egere cum Christo: sed nec uxor, nec filiusfamilias, nisi in articulo necessitatis, aut in aliquo modico, de quo potest præsumi, quod viro, aut patri placeat, possunt eleemosynam facere ultra dispensationem commissam; si tamen uxor non alia habeat præter dotem, vel ex proprio lucro, vel alio licito modo; in quo casu tunc posset, sed tamen moderatè, ne vir depauperetur.

ART. 9. *Vtrum sit magis propinquioribus eleemosyna danda.* ℞. *Affirmativè*, ita quod in hoc etiam eleemosyna sit magis meritoria, quod propinquioribus magis provideamus; si tamen non sit sanctior, & communi bono magis utilior, qui magis indigentiam patiatur. *Primum est*, quia cùm in hoc servetur ordo charitatis, quod magis, simpliciter loquendo, propinquioribus provideamus; melius est enim, inquit Ambros. ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere; ideò quantum ad meritum, quod habet eleemosyna ex radice charitatis, in hoc etiam est magis meritoria vitæ æternæ, esto quod non semper magis meritoria sit, secundùm quod valet ex merito ejus cui donatur, qui scili-

In 1. de officiis.

eet orat pro eo, qui eleemosynam dedit: in quo quidem sensu loquitur Aug. dum ait: Qui sunt, qui æterna habebunt habitacula, nisi sancti Dei? Et qui sunt qui ab eis recipiendi sunt in tabernacula, nisi qui eorum indigentiæ serviunt? Vnde & ait idemmet alibi, quod qui sunt nobis magis conjuncti, quasi quadam sorte nobis obveniunt, ut eis magis providere debeamus, non quidem ut in peccato foveantur, juxta illud: Peccatorem ne suscipias; sed ut natura hominis in propinquo sustentetur. Cum quo tamen stat, quod quia misericordia non est propriè ad seipsum, nec etiam eleemosyna, nisi fortè ex persona alterius, putà cùm aliquis distributor ponitur eleemosynarum, in quo casu potest & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo aliis ministrat. *Secundum est*, quia cùm commune bonum sit particulari præferendum, ideò in hoc adhibenda est discretionis ratio, ut si sit multò sanctior, & ad commune bonum magis utilior, qui magis indigeat, ei potius subveniatur, maximè si non sit alius multùm conjunctus, de quo scilicet nobis non immineat specialis cura.

Lib. de verbis Domini.

In 1. de doctr. Christ.

Eccl. 12.

ART. 10.

Vtrum eleemosyna sit abundanter facienda. ℞. *Affirmativè*, & quidem ex parte dantis, dando scilicet secundùm proportionem propriæ facultatis; & ex parte recipientis, ipsius indigentiam sufficienter supplendo. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm laudaverit Dominus viduam, quæ dedit quod habuit, ideò & est laudabile ex parte dantis, quod det secundùm proportionem propriæ facultatis; servatis

Luc. 21.

tamen, quæ dicta sunt servanda in eleemosyna de necessariis. Cumque dare sic abundanter, ut detur ad superfluitatem, & superexcedendo necessitatem recipientis, non

In 1. de offic. sit laudabile, ut insinuat Ambros. imò & Apost. dum ait, Non ut aliis sit remissio, idest ut alii de nostris otiosè vivant; non enim detur ulli eleemosyna ut luxurietur, sed ut sustentetur; ideò ea laudabiliter servatur, & servanda abundantia ex parte recipientis, non usque ad superfluitatem, cùm tunc melius esset pluribus indigentibus elargiri; sed ut ejus suppleatur sufficienter indigentia.

IN QVÆSTIONEM XXXIII.

De correctione fraterna.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum fraterna correctio sit actus charitatis.* ℞. *Affirmativè*, si tamen dicatur fraterna correctio, non quæ peccato medetur, in quantum est in malum aliorum, sed quæ remedium adhibet, sicut malo cuidam ipsius peccantis. *Primum est*, quia cùm removere alicujus malum sit ejusdem rationis, ac illius procurare bonum; & bonum procurare pertineat ad charitatem, ideò & charitatis est peccato mederi, ut est malum peccantis, adeò ut cùm Glossa dicit fratrem esse arguendum ex zelo justitiæ, vel loquatur de altera correctione, vel accipiat justitiam, ut est universalis virtus; neque sit admonitio actus prudentiæ, nisi secundariò, quasi exequentis & dirigentis actum; sed charitatis principaliter, quasi imperantis, & quidem quanvis etiam cha-

Ad Gal. 6. ritatis sit ex Apost. supportare infirmos, utpote cui non opponitur correctio hæc fraterna, sed magis ex eo consequitur, utpote

utpote cùm ſupportet benevolentiam ſervando, ex qua conſequenter ſatagit emendare. *Secundum eſt*, quia cùm conſervare rectitudinem unius ad alterum ſit actus juſtitiæ, ideò & ad eam ſpectat correctio, quæ peccato medetur, ſecundùm quod alteri nocivum eſt, & in nocumentum communis boni.

Vtrum correctio fraterna ſit in præcepto. ℞. *Affirmativè*, non ita tamen quod quolibet loco vel tempore corrigendus ſit frater delinquens, ſed ſecundùm quod eſt ad finem emendationis neceſſaria correctio. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm correctio fraterna non niſi in præcepto affirmativo eſſe poſſit; ideò non quolibet modo fieri debet, ſed debitis ſervatis circunſtantiis, ſcilicet ubi debet, quando debet, & quomodo debet: & quia in circunſtantiis attendi præcipuè debet ratio finis, & finis correctionis fraternæ ſit fratris emendatio; ideò & cadit ſub præcepto (ſub ſpe tamen divini auxilii, cùm nemo poſſit corrigere quem Deus deſpexerit,) & quidem reducendo ad præceptum de honoratione parentum, ad quod omnia reducuntur, quæ pertinent ad impendendum aliquod beneficium proximo; ſed tantùm quantum eſt ad finem emendationis neceſſaria. Vnde & poteſt correctio omitti, vel meritoriè, quando ex charitate fit, ut ſi timeat quis, ne deterior efficiatur; vel cũ peccato mortali, ut cùm quis præſumit de aliquo delinquente probabiliter, quod poſſet eum à peccato retrahere, & tamen prætermittit; vel cum peccato veniali, ut cùm timor, vel cupiditas facit hominem tardiorem ad cor- ART. 2. Eccleſ.

rigendum fratris delictum, quibus tamen in animo suo præponit charitatem fraternam, quo quidem modo viri sancti negligunt quandoque corrigere. Cum quo tamen stat, quod quia correctio fraterna est beneficium, quod non debetur certæ personæ, sed universaliter omnibus proximis, ideo nec oporteat quærere eos quibus impendamus; sed sufficit ut eis impendamus qui occurrunt.

ART.3. *Vtrum correctio fraterna pertineat tantùm ad Prælatos.* ℞.*Negativè*, si tamen de correctione sit sermo, non quâ intenditur bonum commune puniendo, sed quæ monendo tendit specialiter ad delinquentē emendandum. *Primum est*, quia cùm hujusmodi monitiva & emendativa correctio sit actus charitatis; ideò & ad quemlibet spectat charitatem habentem; & quidem quanvis sit munus superioris, utpote cùm etiam qui habet sanum rationis judicium, quo possit alterum corrigere, quantum ad hoc sit superior habendus, quanvis simpliciter superior non sit, ut est Prælatus. Vnde dicit quidem Hieron. quod studeant Sacerdotes, sive Prælati hoc præceptum implere, quasi ad eos specialiter pertinens, quod etiam Aug. dixit; non tamen dixit, quod soli Sacerdotes, &c. *Secundum est*, quia illa altera correctio est actus justitiæ, & ideò ad solos spectat Prælatos, qui quidem non solùm debent admonere, sed etiam corrigere puniendo.

ART.4. *Vtrum quis teneatur corrigere Prælatum suum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem per coërcitionem pœnæ, sed in occulto, & reverenter. *Primum est*, quia cùm actus ex aliqua

potentia, vel habitu procedens se ad omnia extendat, quæ continentur sub objecto illius potentiæ, vel habitus; & correctio hujusmodi cum mansuetudine & reverentia contineatur sub objecto charitatis, ideò & ad unumquemque pertinet respectu cujuslibet personæ, ad quam charitatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur, juxta illud Aug. Non solùm vestri, sed etiam Prælati misereminí; sed cum modo debito reverentiæ, secundùm illud, Seniorem ne increpaveris, utpote cùm actus virtuosus debeat esse vestitus debitis circunstantiis. Vnde publicè quidem admonere excedit modum fraternæ correctionis, nisi quando immineret periculum fidei, in quo casu etiam Prælati publicè arguendi essent, sicut & Paulus qui erat Petro subditus, eum reprehendit: at in occulto reverenter admonere potest etiam is, qui non est par, & quidem etiam sine præsumptionis culpa; quandoquidem qui sic charitativè monet, non propter hoc se meliorem esse existimat, sed auxilium impertitur; imò nec præsumptuosum esset, si se solùm æstimaret meliorem quantum ad hoc, esto quod superbiæ sit se simpliciter meliorem Prælato æstimare. *Secundum est*, quia correctio per coërcitionem pœnæ est actus justitiæ, qui quidem non competit subdito respectu Prælati, sicut nec ei irreverenter objurgare, aut detrahere, ut etiam significatur per contactum montis, & Arcæ damnatum à Deo.

1.Timot. 5.

Exod.19. 2.Reg.6.

Vtrum peccator debeat corrigere delinquentem. ℞. *Negativè*, non quòd peccet peccator, si cum humilitate corripiat, aut ART.5.

omninò eximatur à præcepto correctionis; sed ita quod per accidens impediatur, quia peccator, quin dignè corrigere possit. *Primum est*, tum quia tunc habet locum, si nimirum majus peccatum commiserit, dictum illud: Vides festucam in oculo fratris, &c. tum propter scandalum, quod ex correctione sequitur, quasi tunc facta non ex charitate, sed ex ostentatione, si peccatum corripientis sit manifestum: tum denique propter superbiam corripientis, in quantum propria peccata parvipendit, & in corde suo seipsum præfert proximo. Vnde ait Aug. Si invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitemus. *Secundum est*, quia cùm peccatum non omninò tollat judicium rationis, ratione cujus correctio ad aliquem pertinet; ideò nec ex peccato omninò eximimur à peccato correctionis, nec de novo peccamus si cum humilitate corripiamus, esto quod per hoc vel in conscientia fratris, vel saltem nostra pro peccato præterito nos condemnabiles ostendamus.

ART. 6. *Vtrum quis debeat à correctione cessare propter timorem, ne ille fiat deterior.* ℞. *Affirmativè*, loquendo scilicet de correctione non quæ ordinatur ad bonum commune per coactionem, sed quæ ad emendationem ordinatur delinquentis per admonitionem. *Primum est*, quia cùm regulari debeant quæ sunt ad finem, secundùm quod exigit ratio finis, qui quidem in præsenti est bonum delinquentis; ideò ubi probabiliter existimatur, quod peccator admo-

nitionem non recipiet, sed ad pejora labatur, est à correctione desistendum, & quidem quanvis sit fraterna correctio sub præcepto, utpote cùm talis non sit, nisi ut est actus virtutis, sub qua ratione debet proportionari fini. Vnde nec pertinet tunc ad veritatem vitæ, quæ ex Hieron. nec propter scandalum est dimittenda: sed nec ex hoc prætermittitur bonum, ne eveniat malum, cùm in quantum impeditiva finis, jam non habeat rationem boni. *Secundum est*, quia per correctionem coactivam, licèt sit quis incorrigibilis, tamen providetur bono communi, dum servatur ordo justitiæ, & exemplo unius alii deterrentur; & ideò quæ sic ad bonum commune per coactionem ordinatur, non debet dimitti propter perturbationem ejus, qui corripitur; sicut & medicus, cui assimilatur correctio Prælatorum, quæ vim habet coactivam, coactione quadam uti solet in phrenetico.

Vtrum in correctione fraterna debeat ex necessitate præcepti admonitio secreta præcedere denuntiationem. ℞. *Affirmativè*, non quòd non sint peccata publica publicè arguenda, vel etiam occulta, quæ in aliorum nocumentum sunt, corporale, vel spirituale; sed ita quod ubi solùm attenditur, ut fratri peccanti subveniatur, debeat tunc secreta admonitio publicam denunciationem præcedere. *Primum est*, quia sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, quantum potest, sine alicujus membri abscissione, nec nisi ut vita totius conservetur, abscindit minùs necessarium membrum: sic & debet quilibet ita studere, ART. 7.

emendationi fratris per secretam admonitionem, ut fama ejus quantum fieri potest, conservetur, utpote tanquam peccanti utilis & quoad corporalia, & quoad spiritualia; quandoquidem timore infamiæ multi à peccato retrahuntur, & infamati irrefrenatè peccant, ut Hieron. & Aug. dicunt; esto quod in levibus, quæ famæ non derogant, possint fieri proclamationes, ut fieri solent in capitulis Religiosorum. Vnde nec Dominus peccatum Iudæ publicavit, sed obscuris verbis eum admonuit, sicut & creditur Ioseph priùs fratres suos secretò admonuisse; nec Petrus peccatum Ananiæ, & Sapphiræ publicavit nisi ut exequutor Dei, ad cujus divinum judicium se habent peccata occulta, sicut publica ad humanum; unde & interdum statim punit, quanvis plerumque peccatores etiam secreta admonitione arguat, interiùs inspirando: sed nec quando Prælatus præcipit, ut sibi dicatur, quod quis sciverit corrigendum, aliter intelligitur, quàm salvo ordine correctionis fraternæ, cùm contra præceptum domini non sit Prælato obediendum; adeò ut non possit aliquid de occultis præcipere, nisi prout per indicia quædam manifestantur, in quo casu potest etiam juramentum de dicenda veritate exigere. *Secundum est*, quia ubi peccata sunt publica, cùm tunc oporteat remedium adhibere, ne alii scandalizentur, dum vident peccata impunè committi; ideò & tunc publicè sunt arguenda, ut dicit Paul. sed insuper & ubi sic occulta sunt, ut tamen sint in nocumentum proximorum, vel corporale, ut si quis velit civitatem tra-

In Matt. 18.
Epist. 137.
1. Timot. 5.

dere hostibus; vel spirituale, ut si hæreticus privatim homines à fide averteret, quæ quidem sunt statim denuncianda, cùm talis non solùm in te peccat, sed etiam contra multitudinem, seu communitatem; nisi tamen quis firmiter existimaret, per simplicem admonitionem se posse hujusmodi mala impedire.

Vtrum testium inductio debeat præcedere denunciationem publicam. ℞. *Affirmativè,* ita quod quantumcunque sit peccatum occultum, debeant priùs induci, ubi non valet secreta admonitio; si tamen probabiliter æstimetur, posse illud ad emendationem fratris proficere. *Primum est,* quia cùm ab uno extremo convenienter transeatur per medium; & principium correctionis fraternæ debeat esse occultum, inter te & ipsum solum, ait Dominus; finis autem publicus, juxta illud, dic Ecclesiæ: ideo convenienter in medio ponitur inductió duorum, aut trium, utpote quod potest esse necessarium ad emendationem peccati fratris, esto quod homo non indigeat testibus ad emendationem peccati sui; & quidem nedum ad testificandum quod illud sit peccatum, aut ad convincendum de actu; sed etiam ad ostendendum, quod frater admonens fecit quod in se fuit. Vnde quod dicit Aug. in regula, Priùs Præposito debet ostendi, non ibi sumit Præpositum quasi Ecclesiam, sed ut est singularis quædam persona, quæ magis prodesse potest. *Secundum est,* quia ut jam dictum est, secundùm finem correctionis, à qua regulari debet correctio, totaliter à correctione cessandum est, ubi probabiliter ART. 8.

æstimatur, quod corrigendus reddatur exinde deterior.

IN QVÆSTIONEM XXXIV.

De odio.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum quis possit Deum odio habere. ℞. *Affirmativè*, non quidem prout apprehensum secundùm essentiam, sed ut apprehensum per effectus quosdam, sive ut peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor. *Primum est*, quia licèt non possit Deus odio haberi, ut est author quorumdam effectuum, qui nullo modo possunt esse contrarii voluntati humanæ, ut esse, vivere, & intelligere; bene tamen ut peccatorum prohibitor,& inflictor pœnarum, utpote cùm cohibitio peccatorum per legem divinam, & inflictio pœnæ per legem divinam voluntati repugnent per peccatum depravatæ. Vnde convertit quidem Deus omnia ad seipsum, ut est essendi principium; sed hoc non impedit, quin possint alia ab ipso avertere sub alia ratione. *Secundum est*, quia cùm ipsa Dei essentia sit ipsa bonitas, de cujus ratione est, ut ametur, sicut & ipsa veritas; ideò nec potest Deus per essentiã apprehensus odio haberi.

ART. 2. *Vtrum odium Dei sit maximum peccatorum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod unde habet aversio à Deo esse culpabilis, maximè inveniatur in odio Dei, & quidem etiam magis, quàm in infidelitate. *Primum est*, quia cùm id, quod est per se, sit semper potius eo, quod est per aliud; & aversio à Deo, ut voluntaria, in qua consistit defectus culpabilis peccati, sit secundùm se in odio Dei, quandoquidem voluntas sicut per se inhæret ei quod amat, sic per se re-

fugit id quod odit; in aliis verò peccatis non nisi quasi participativè, & per aliud, in quantum scilicet in aliquo, quod per se quærunt, ut est inordinata delectatio, est annexa aversio à Deo; ideò & maximè invenitur in odio Dei, unde habet aversio à Deo, seu defectus peccati esse culpabilis. Vnde & est odium Dei maximè peccatum in Spiritum sanctum, secundùm quod hoc nominat speciale peccatum, esto quod inter ea non computetur, quia invenitur in omnibus; ita tamen quod quicumque odit pœnas, non propterea dicatur Deum odisse pœnarum authorem, sed solùm qui in odio habet ipsam Dei justitiam, utpote cùm multi odiant pœnas, qui tamen eas patienter ferunt ex reverentia divinæ justitiæ. Vnde & ait Aug. quod mala pœnalia Deus tolerari jubet, non amari. *Secundum est*, quia cùm culpabilis sit infidelitas, quia voluntaria, quod quidem provenit ex hoc, quod odit aliquis veritatem Dei quæ proponitur, & circa quam est fides; ideo & est ratio culpæ in infidelitate causata ex odio Dei, quod propterea est gravius, sicut & potior est causa, quàm effectus. In 10. Confess.

Vtrum omne odium proximi sit peccatum? ART. 3.
℞. *Affirmativè*, non quòd non possit sine culpa odio haberi quantum ad aliquid, vel aliqua; sed ita quod simpliciter accipiendo odium fratris, sit semper cum peccato. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm non dicatur, simpliciter loquendo, odium fratris, nisi quando ipsum odimus secundùm naturam & gratiam, quæ à Deo habet, utpote cùm hoc ipsum quod in fratre odimus culpam, & defectum boni, seu quod à

seipso habet, vel à diabolo, potiùs pertineat ad fratris amorem; ideò possumus quidem aliqua odire in proximo, putà in parentibus, quod nobis impedimentum præstent accedendi ad perfectionem, in detractoribus culpam, & in inimicis, quod nobis inimici sint, & contrarii, utpote quod ad eorum culpam pertinet, non ad Deum; non tamen dici possumus simpliciter odire fratrem sine peccato.

ART. 4. *Vtrum odium proximi sit gravissimum peccatorum, quæ in proximum committuntur.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ex parte nocumenti illati ei contra quem peccatur; sed ex parte deordinationis ejus, qui peccat. *Primum est*, quia cùm per odium deordinetur voluntas hominis, quæ est potissimum in homine, & ex qua est peccati radix; & si quid culpæ est in exterioribus peccatis, quæ contra proximum committuntur, totum sit ex interiori odio; ideò & est odium proximi ex parte deordinationis culpabilis gravissimum in hoc genere peccatorum. *Secundum est*, quia cùm plus aliquis noceat proximo per homicidium, per furtum, per adulterium, &c. quàm per interius odium; ideò & quantum ad nocumentum pejora sunt exteriora, quæ in proximum committuntur.

ART. 5. *Vtrum odium sit vitium capitale.* ℞. *Negativè*, ita scilicet, quod non habeat odium rationem primi in destructione virtutis, quæ fit per vitia, sed magis rationem ultimi. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm sint vitia contra naturam hominis, ut est rationalis, & taliter quod paulatim destruant naturam, proindeque recedant pri-

mò ab eo, quod eſt minus ſecundùm naturam; & poſtea ab eo, quod eſt maximè ſecundùm naturam; ideò cùm odium ab eo recedat, quod eſt maximum, utpote quod opponitur dilectioni Dei, & proximi, quæ maximè eſt ſecundùm naturam, nec habet per conſequens rationem primi in deſtructione virtutis, quæ fit per vitia, ſicut habet vitium capitale, ex quo ſcilicet frequenter alia oriuntur vitia; ſed magis habet rationem ultimi, & quidem quamvis ſit charitas prima & principaliſſima virtutum, utpote quod ideò eſt, quia primum & principale in virtutibus oportet ut ſit id, quod eſt primum, & principale in ordine naturali, quâ ratione non poteſt odium eſſe primum in vitiis. Vnde poteſt quidem odium mali, quod contrariatur naturali bono, ſeu veri mali, eſſe primum inter paſſiones animæ, ſicut & amor naturalis boni; minimè tamen odium boni vitioſum, ſeu mali apparentis, quod æſtimatur bonum propter corruptionem naturæ, utpote quod cùm atteſtetur corruptioni naturæ jam factæ, habet inde rationem ultimi.

Vtrum odium oriatur ex invidia. ℟. *Affirmativè*, non quòd non cauſetur ex ira diſpoſitivè, & quoad augmentum; ſed ita quod formaliter, & ſecundùm rationem objecti cauſetur ex invidia. *Primum eſt*, quia cùm omne animal naturaliter fugiat triſtitiam, ſicut & diligit naturaliter delectationem; & ita ſicut ex delectatione naſcitur amor, ſic ex triſtitia naſcatur odium, in quantum ſcilicet non niſi ſub ratione mali, quod eſt objectum odii, appre- ART. 6.

henduntur ea, quæ nos contristant; ideò cùm invidia sit de bono alterius invidia, ab ea directiùs, & secundùm rationem objecti oritur odium, sed tamen proximi priùs quàm Dei, quandoquidem non potest Deus secundùm se odio haberi, sicuti diligi, sed tantùm in suis effectibus, & consequenter mediante eorundem odio. Cum quo tamen stat, quod adhuc fieri possit, quod tristitia causetur ex odio, ut odium ex tristitia, utpote cùm in motibus appetitivæ virtutis, quia reflectitur supra suos actus, detur circulatio quædam.

IN QVÆSTIONEM XXXV.

De acedia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum acedia sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, & quidem tum secundùm se, tum etiam secundùm effectum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm tristitia semper sit mala secundùm se, quando est de eo, quod est apparens malum, & verè bonum, ut est amare Deum; sitque secundùm effectum mala, si ita hominem aggravet, ut totaliter à bono opere retrahat; ideo cùm acedia sit hujusmodi, utpote quæ est de spirituali bono, quod semper est verè bonum, animumque deprimit, ut nihil ei agere libeat, ut definit Damasc. est consequenter (Lib. 2. cap. 14.) acedia ita dupliciter mala, & quidem quanvis passiones ex se non sint peccata, quandoquidem sicut laudantur, si applicantur bono, quo modo tristitia de malo moderata est laudabilis; sic & vituperantur si applicentur malo, & ita vituperabilis est tristitia, sive sit de bono, sive immoderata de malo. Vnde quod quis bona à Deo accepta contemnat, ex quo oritur acedia, id

ad humilitatem non pertinet, sed potiùs ad ingratitudinem; quandoquidem de his tristamur, quæ quasi mala & vilia reputamus: nec quod certis horis accidere soleat acedia, ut notat Cassian. tollit ab ea rationem peccati, cùm possit contingere, quod secundùm aliquas transmutationes corporales certis temporibus provenientes, nos aliqua peccata magis impugnent, & sic contingit in acedia, quæ propterea semper est fugienda, sicut & peccatum; quanvis non ita quod ejus vincenda sit impugnatio fugiendo, sed magis resistendo; utpote cujus continua cogitatio potiùs tollit incentivum peccati, ad differentiam luxuriæ, & aliorum, quorum cogitatio continua cùm augeat peccati incentivum; ideò & eorum impugnatio vincenda potiùs est fugiendo.

Lib. 10. de de institutis monast.

ART. 2.

Vtrum acedia sit speciale vitium. ℞. *Affirmativè*, non quòd omnis tristitia de spirituali bono quomodocumque sumpto sit speciale vitium, sed ita quod tristari de bono, de quo charitas gaudet, pertineat ad speciale vitium, quod acedia vocatur. *Primum est*, quia cùm ad charitatem pertineat specialiter illud gaudium spirituale, quo quis gaudet de bono divino; ideò & tristari de bono divino, de quo charitas gaudet, pertinet ad speciale vitium, quod quidem acedia vocatur, quæ tali opponitur gaudio, ad differentiam pigritiæ, quæ potiùs solicitudini opponitur. *Secundum est*, quia nec tristitia de bono spirituali in communi, quod est in actu singularum virtutum, pertinet ad speciale vitium, sed ad omnia vitia; quandoquidem quodlibet-

vitium refugit ſpirituale bonum virtutis oppoſitæ: ſed nec eſt vitium ſpeciale, ut eſt de ſpitituali bono, prout laborioſo, aut moleſto corpori, vel delectationis ejus impeditivo; quia ſic non diſtingueretur acedia à vitiis carnalibus, quibus aliquis quietem, & delectationem corporis quærit.

Art. 3. *Vtrum acedia ſit peccatum mortale.* ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet quod ſecundùm genus ſuum mortale ſit, quanvis non ita, quod omnis acediæ motus ſit mortalis. *Primum eſt*, quia peccatum illud ex ſuo genere mortale eſt, quod charitati contrariatur, quæ vitam præbet, qualis quidem eſt acedia, utpote quæ triſtitia eſt de bono ſpirituali, ut eſt divinum, quæque propterea contrariatur præcepto de ſanctificatione Sabbathi, in quo, ut eſt morale, præcipitur quies mentis in Deum. Vnde nec eſt peccatum acediæ, cùm quis triſtatur, quòd aliquis eum cogat implere opera virtutis, quæ facere non tenetur; ſed ſolùm quando contriſtatur in his, quæ ei imminent facienda propter Deum. *Secundum eſt*, quia cùm peccatum humanum, quanvis mortale ex genere, non ſit tamen mortale, niſi ſuum habeat complementum, ſcilicet rationis conſenſum; ideò erit quidem acedia peccatum mortale, ſi ſit cum conſenſu rationis, carne contra ſpiritum omninò prævalente; non tamen ſi ſit in ſola ſenſualitate, propter repugnantiam carnis ad ſpiritum, ut quandoque contingit in viris ſanctis; in quibus propterea veniales tantùm ſunt tales motus.

Art. 4. *Vtrum acedia debeat poni vitium capi-*

tale. ℟. Affirmativè, ita quod promptum ſit, ut ex eo alia oriantur vitia ſecundùm rationem cauſæ finalis, & quidem quæ aſſignat Gregor. malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita. Primum eſt, quia cùm homines multa ob triſtitiam operentur, vel ut eam evitent, vel ejus pondere in aliqua agenda prorumpentes; ideo & talis eſt acedia, quod ex ea, ut ex vitio capitali alia oriantur vitia ſecundùm rationem cauſæ finalis; triſtitia namque, quanvis impediat ab operibus, quæ triſtitiam cauſant, ad illa tamen inducit agenda, quæ ſunt triſtitiæ conſona, vel per quæ triſtitia vitatur. Secundum eſt, quia cùm homo per acediã recedat à contriſtantibus, & tranſeat ad ea quæ delectant, proindeque primò fugiat contriſtantia, deinde impugnet quæ triſtitiam ingerunt; & rurſus ſpiritualia bona, de quibus triſtatur, ſint vel finis, vel ea, quæ ſunt ad finem; ideò meritò ponitur inter acediæ filias tum deſperatio, quâ fit fuga finis; tum puſillanimitas, quâ fugiuntur bona, quæ ſunt ad finem, quantum ad ardua, quæ conſiliis ſubſunt; tum quantum ad ea, quæ pertinent ad communem juſtitiam, torpor circa præcepta, ad quam etiam reducuntur otioſitas & ſomnolentia, quas ponit ibidem. Cumque impugnatio contriſtantium aut ſit circa homines inducentes ad ſpiritualia, & eſt rancor, cujus amaritudo eſt effectus; aut circa ſpiritualia bona, & eſt malitia, quæ propterea non accipitur hîc, ut genus vitiorum, ſicut nec rancor pro odio; & præter hæc omnia etiam ponenda ſit eva-

Lib. 31. moral. cap. 31.

Lib. de ſummo bono.

gatio mentis circa illicita, prout scilicet homo se per acediam transfert à spiritualibus ad delectabilia exteriora, ad quam etiam reducuntur importunitas, inquietudo corporis, instabilitas, verbositas, & curiositas; ideò convenienter ponuntur acediæ filiæ, quæ à Greg. assignantur.

IN QVÆSTIONEM XXXVI.

De invidia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum invidia sit tristitia. ℞. *Affirmativè*, non quòd omnis tristitia de bono alieno invidia sit, sed ita quod non sit invidia nisi tristetur invidus de alieno bono, ut apprehenso sub ratione diminutivi gloriæ, ut malo proprio. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm tristitiæ objectum sit malum proprium, & de bono alieno tanquam de malo proprio possit quis tristari, sicut de exaltatione inimici, in quantum ex hoc imminet nocumentum, vel in quantum est diminutivum propriæ gloriæ, aut excellentiæ; ideò cùm tristitia priori modo sumpta non sit invidia, quam tamen ponit Damasc. tristitiæ speciem, sed magis timoris effectus, est consequenter invidia tristitia de alieno bono, sed prout apprehenso sub ratione diminutivi excellentiæ, ut malo proprio. Vnde & de similitudine, quanvis delectationem causet, prout concordat voluntati, potest esse tristitia, prout scilicet homo invidet his, qui sunt propinqui, quibus, ad differentiam aliorum multùm distantium, se nititur æquare, vel præferre: imò & memoria præteritorum bonorum, licèt in quantum fuere habita, delectet; in quantum tamen amissa sunt, tristitiam causat, sicut & in quantum ab

In 2. Rhetor. cap. 3. lib. 2.

aliis habentur, invidiam. Vnde senes invident junioribus, ex Phil. sed alia de causa ab amatoribus honoris, qui ideò sunt magis invidi, quia frustrari vident conatus suos propter excessum gloriæ alterius; sicut & pusillanimes, quatenus omnia reputant magna, & in omnibus se superari existimant. In 2. Rhetor. cap. 10.

Vtrum invidia sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, non quòd omnis tristitia alienorum bonorum peccatum sit, sed ita quod prout invidiam propriè nominat, sit semper mala. *Primum est*, quia tristitia illa propriè est invidia, quâ scilicet quis tristatur in quantum excedit proximus ipsum in bonis, quod quidem semper est pravum, cùm doleat de eo, putà de bono proximi, de quo est gaudendum; & quidem quanvis tristitia illa sit quædam pœna, utpote cùm nihil prohibeat, quod pravum aliquod peccatum ratione alicujus adjuncti sit pœnale. *Secundum est*, quia nec tristitia de bono alicujus, prout ex eo timetur nocumentum, vel sibi ipsi, vel aliis, est semper peccatum, ut dictum est, & ex Greg. patet; sed nec tristitia, quæ est de bono alterius, non quòd ipse illud habeat, sed quia nobis deest, quæ quidem vocatur ab Arist. zelus, vel æmulatio; sicut & nemesis, quando tristatur quis de bono alterius, in quantum qui illud habet est eo indignus: hujusmodi namque zelus si sit circa bona honesta, est potiùs laudabilis, ut patet ex Paulo, unde & dari potest bonus zelus, non bona invidia: cum quo tamen stat, quod etiam tristitia nemesis, licèt alia ab invidia, prohibeatur secundùm fidem, utpote ART. 2. Lib. 22. mor. c. 11. 1. Chor. 14.

ex qua credituri sumus, quod bona illa temporanea etiam indignis ex justa Dei ordinatione proveniunt, vel ad eorum correctionem, vel ad eorundem damnationem.

ART. 3. *Vtrum invidia sit peccatum mortale?* ℞. *Affirmativè*, non quod non inveniantur intra genus invidiæ motus aliqui veniales, sed ita quod ex suo genere, seu ratione objecti sit mortalis. *Primum est*, quia ex ratione objecti, unde sumitur genus peccati, contrariatur invidia charitati, à qua habetur vita; quandoquidem gaudet hæc de bono proximi, illa autem de eodem tristatur. Vnde falsum est, contrariari solùm nemesi, quæ est passio, cùm etiam charitati, imò & misericordiæ directè opponatur, utpote cùm misereatur misericors de malo proximi, & invidus de illius tristetur bono. *Secundum est*, quia etiam in viris perfectis inveniuntur aliqui primi motus invidiæ, qui cùm sint in sensualitate tantùm, sive consensu rationis, sunt tantùm veniales; imò & aliquando omninò sine peccato, testante Augustino se aliquando vidisse zelantem puerum, qui nondum loquebatur, & tamen intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum.

ART. 4. *Vtrum invidia sit vitium capitale.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ex invidia æquè ac ex acedia alia de facili oriantur vitia; & quidem à D. Gregor. convenienter assignata. *Primum est*, quia cùm invidia sit tristitia de bono proximi, sicut acedia de bono spirituali divino; ideò cùm sit acedia ex eo vitium capitale, quatenus ex eo movet ad quædam alia facienda; sic similiter & invidia, quæ quidem etiam annumeratur

Lib. 31. Moral. cap. 31.

inter graviſſima peccata, ut invidia fraternæ gratiæ, quæ eſt peccatum in Spiritum ſanctum. Cum quo tamen ſtat, quod adhuc oriri poſſit ex inani gloria, utpote cùm ſufficiat ad vitium capitale, ut habeat aliquam principalem rationem producendi ex ſe multa genera peccatorum. *Secundum eſt*, quia cùm in conatu invidiæ ſit aliquid tanquam principium, & aliquid tanquam medium, & aliquid tanquam terminus: principium quidem, ut minuat gloriam alterius, vel in occulto, & ſic ſuſurratio; vel manifeſtè, & ſic detractio: medium, quatenus vel poteſt diminuere, & ſic exultatio in adverſis; aut non poteſt, & ſic afflictio in proſperis, quæ propterea duo ſunt non invidia, quæ potiùs eſt triſtitia de bonis proximi, ut habent gloriam quandam, ſed filiæ invidiæ: terminus denique, qui eſt in ipſo odio; ideò convenienter aſſignantur hæc quinque pro filiabus invidiæ.

IN QVÆSTIONEM XXXVII.

De peccatis quæ opponuntur paci: & primò de diſcordia.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum diſcordia ſit peccatum.* ℟. *Affirmativè*; ſi tamen ſit per ſe diſcordia, non autem ſolùm per accidens. *Primum eſt*, quia diſcordia eſt per ſe dicta, quâ ſcilicet quis ſcienter, & ex intentione diſſentit à bono divino, & bono proximi, in quo debet conſentire; quæ quidem cùm ſit contraria charitati, cujus eſt corda in unum unire, ideò & eſt ex ſuo genere peccatum mortale, licèt non niſi venialia ſint primi motus. Voluntas namque proximi licèt ex ſe non ſit regula voluntatis noſtræ, bene tamen in quantum adhæret voluntati

divinæ; unde sic ei dissentire est peccatum. Ita tamen quod discordiam causare, per quam mala concordia tollitur in mala voluntate, sit potiùs laudabile, quomodo
Actor. 23. Paulus induxit ad dissensionem, & sic etiam
Matth. 10. intelligitur illud, Non veni pacem mittere, sed gladium. *Secundum est*, quia dicitur discordia per accidens, seu præter intentionem circa bonum divinum, & bonum proximi, cùm quis existimat illud esse bonum, alius verò contrà: quod quidem peccatum non est, nec repugnans charitati, nisi sit cum errore, & pertinacia circa ea quæ sunt de necessitate fidei. Vnde & inter Paulum & Barnabam talis fuit discordia; quandoquidem uterque bonum intendebat, nec erat de his, quæ sunt de necessitate salutis; præterquàm quod id factum fuit ex divina providentia, propter utilitatem inde consequentem.

Art. 2. *Vtrum discordia sit filia inanis gloriæ.*

℞. *Affirmativè*, non quòd non oriatur ab invidia ex parte termini, à quo recedit; sed ita quod ex parte termini ad quem attendit principaliter, sit ab inani gloria. *Primum est*, quia cùm importet discordia quandam disgregationem voluntatis, in quantum quisque quæ sua sunt, præfert his quæ sunt aliorum; & hoc quod est sua præferre, quod principaliter intendit discordans, cùm inordinatè fit, pertineat ad superbiam, & inanem gloriam; ideò & ex parte ejus quod intendit est filia inanis gloriæ, & quidem quanvis rixa causetur ex ira; nec enim est idem cum discordia, utpote cùm consistat in exteriori opere, discordia autem in disjunctione mo-

tuum voluntatis, quam facit inanis gloria. Vnde nec est discordia capitale vitium, quanvis ex ea res maximæ dilabantur, utpote quod ad proprium effectum discordiæ pertinet, quæ est divisio voluntatum; non autem ad originem diversorum vitiorum à discordia, per quod habeat rationem vitii capitalis. *Secundum est*, quia quod in discordia consideratur ut terminus à quo, est recessus à voluntate alterius, quod quidem causatur ab invidia, juxta illud Aug. Livor separat, charitas jungit. Tract. 32. in Ioan.

IN QVÆSTIONEM XXXVIII.

De contentione.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum contentio sit peccatum mortale. ℞. *Affirmativè*, si tamen accipiatur contentio, non pro impugnatione falsitatis cum modo debito acrimoniæ, sed pro veritatis impugnatione cum confidentia clamoris, ut definit Ambrosius. *Primum est*, quia contentio, quæ contrarietatem importat in loquutione, & quidem vel quantum ad intentionem, vel quantum ad modum, cùm contrarietur præcepto Apostoli qui eam prohibet, & inter opera carnis numerat, quando scilicet sumitur ut importat impugnationem veritatis modo inordinato, ideò & est tunc peccatum mortale, esto quod non semper mortalis sit, quando solùm sumitur pro acrimonia loquutionis, vel pro disputatione ad inquirendam veritatem, qualis fuit contentio Iob cum Deo. Vnde nec mortalis fuit contentio inter discipulos Domini, quippe quæ non erat cum intentione impugnandi veritatem, sicut nec talis est contentio Catholicorum contra hæreticos, licèt esset

inordinata, quatenus de eo esset, de quo non debeat, scilicet de primatu honoris. *Secundum est*, quia licèt contentio, ut est impugnatio falsitatis, possit esse venialis, si fiat modo indebito, sicut & ut est oratio ad confirmandum & confutandum accommodata, si excedat convenientiam personarum, & negotiorum; imò & possit esse mortalis, si tanta fiat inordinatio, ut generet scandalum: est tamen laudabilis, si fiat modo debito, poniturque ut est oratio color Rhetoricus, si conveniat personis, & negotiis. Ita tamen, quod non propterea gauderet Apostolus de contentione prædicantium, sed de fructu, qui ex hoc proveniebat, ut ex malis occasionaliter sequuntur bona.

Tullius in 1. Rhetor.

ART. 2. *Vtrum contentio sit filia inanis gloriæ.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non habeat, sicut & discordia, affinitatem aliquam cùm invidia; sed ita quod quantum ad id, in quo principaliter sistit, oriatur non minùs quàm discordia ab inani gloria. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm fiant, & dicantur contendentes, non quidem ex clamore, qui non est principale in contentione, unde nec oportet, ut si clamor oriatur ex ira, quod etiam contentio; sed ex hoc, quod unusquisque id quod sibi videtur, verbo defendit; sicut & aliqui sunt discordantes ex hoc quod stant corde in propriis; ideò sicut discordia est filia inanis gloriæ, quantum ad principale in quo sistit, licèt affinitatem habeat cum invidia, quantum ad recessum ejus à quo quis discordat, ita & contentio; ita tamen, quod nihil obstet, quod contentio sæpe oriatur ex defectu

ſcientiæ, ex quo ortum habet inanis gloria, utpote cùm nihil prohibeat, ut quæ ex ſuperbia, vel inani gloria per ſe oriuntur, cauſentur ex contrariis eorum, ex quibus occaſionaliter ſuperbia oritur; ut cùm quis de humilitate ſuperbit.

IN QVÆSTIONEM XXXIX.

De ſchiſmate.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ſchiſma ſit peccatum ſpeciale. ℟. *Affirmativè*, ita ſcilicet, quod id quod eſt per ſe in ſchiſmate, ſeu ex intentione, ſit aliud quid ab eo, quod eſt in aliis peccatis communiter intentum; imò & aliud ab eo, quod principaliter intenditur in hæreſi. *Primum eſt*, quia cùm dicantur ſchiſmatici, qui propria ſponte ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici, & membris Eccleſiæ ei ſubjectis recuſant communicare, utpote cùm dicatur ſchiſma ab unitatis ſciſſura, quam facit charitas, quæ non ſolùm alteram perſonam alteri unit, ſed etiam totam Eccleſiam in unitate ſpiritus; quæ quidem Eccleſiæ unitas attenditur & in connexione membrorum ad invicem, & in ordine omnium ad unum caput, quod eſt Chriſtus, cujus vicem gerit ſummus Pontifex; ideò & habet ſchiſma per ſe, & directè opponi unitati Eccleſiæ, quod non habent alia peccata, cùm nec diviſio hominis à Deo per peccatum ſit per ſe intenta à peccante; nec omnis qui præceptis Eccleſiæ non obedit, id faciat cum pertinacia, recuſans cum rebellione ipſius ſubire judicium, in quo ſolùm caſu ſchiſmaticus eſt qui inobedit. *Secundum eſt*, quia licèt nullum ſit ſchiſma, quod ex fine operantis non ſibi aliquam confingat hæreſim,

ut ſic ſchiſmaticus rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur; nihilominus per ſe loquendo, & ex fine ipſius peccati, in hoc eſt hæreſis, quod perverſum dogma habet in fide, ſchiſma autem quod ab Eccleſiæ communione & unitate ſeparat: unde & aliud quid dicit ab hæreſi, adeò ut omnis quidem hæreticus ſit etiam ſchiſmaticus, non tamen omnis ſchiſmaticus eſt hæreticus.

ART. 2. *Vtrum ſchiſma ſit gravius peccatum infidelitate.* ℞. *Negativè*, non quòd non poſſit quidam ſchiſmaticus graviùs peccare, quàm quidam infidelis; ſed ita quod peccatum infidelitatis ex ſuo genere, ſive ex objecto ſit gravius ſchiſmate. *Primum eſt*, quia cùm peccatum, quod majori bono contrariatur, ſit ex ſuo genere gravius, ſive ex objecto; & infidelitatis contrarietas ſit circa ipſum Deum, ut eſt in ſe veritas prima; ſchiſma verò circa Eccleſiaſticam unitatem, quæ eſt bonum participatum, & minùs quàm ipſe Deus, adeò ut ſchiſma, ſicut & alia peccata, quæ fiunt in proximum, non opponantur charitati, niſi quantum ad ſecundarium bonum; ideò & eſt ſchiſma minùs grave ex parte objecti, & ſimpliciter loquendo, quàm infidelitas; eſto quod inter peccata, quæ fiunt in proximum, ſchiſma, utpote oppoſitum bono ſpirituali multitudinis, ſit etiam maximum. Vnde fuit quidem peccatum ſchiſmatis quandoque graviùs punitum in po-
Num. 16. pulo Hebræo, ſed quia erat ad ſchiſmata pronus, non quòd eſſet majus peccatum. Quia enim pœnæ ſunt medicinæ, ideò ubi eſt major ad peccandum pronitas, debet ibi adhiberi ſeverior pœna. *Secundum eſt*, quia

quia vel propter majorem contemptum, vel propter majus periculum, quod inducit, &c. poteſt contingere quod aliquis ſchiſmaticus graviùs peccet, quàm quidam infidelis.

Vtrum ſchiſmatici habeant aliquam poteſtatem. ℞. Habere quidem ſacramentalem poteſtatem, quantum ad eſſentiam, non tamen juriſdictionalem, vel etiam ſacramentalem, quoad uſum legitimum. *Primum eſt*, quia cùm poteſtas dicatur ſacramentalis, quæ per conſecrationem confertur, & Eccleſiæ conſecrationes id habeant, quod ſint immobiles, manente re, quæ conſecratur, quod etiam patet in Altari ſemel conſecrato, quandiu manet; ideò & quandiu vivit homo, ſive labatur in ſchiſma, ſive in hæreſim, tandiu poteſtatem habet ſacramentalem quoad eſſentiam, & valorem, adeò ut ſi ſchiſmatici ſua utantur poteſtate, effectum validè producant in ſacramentalibus, ubi non requiritur juriſdictio, utpote in quibus non operatur homo, niſi ſicut inſtrumentum Dei. *Secundum eſt*, quia poteſtas juriſdictionalis, cùm ex ſimplici hominis injunctione conferatur, non adhæret immobiliter, ſicut altera; unde nec manet in ſchiſmaticis, & hæreticis, qui propterea nec excommunicare poſſunt, nec abſolvere, nec indulgentias facere; proindeque nec etiam licitè uti ſacramentali poteſtate, ut inſinuat Cyprianus, utpote cùm poteſtas inferior non debeat exire in actum, niſi ſecundùm quod à ſuperiori poteſtate movetur, ut etiam patet in rebus naturalibus. Art. 3.

Vtrum ſit conveniens pœna ſchiſmaticorum Art. 4.

ut excommunicentur. ℟. *Affirmativè*, ita scilicet, quod ea ex parte, quâ se à communione separant, conveniat quidem excommunicari, non tamen semper sufficiat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm per quæ
Sap. 11. peccat quis, per ea debeat puniri; & schismatici peccent, tum quia separant se à communione membrorum Ecclesiæ, tum etiam quia subdi recusant capiti Ecclesiæ; ideò convenienter quidem excommunicantur, non ut magis segregentur, sed ut de sua separatione confusi, quandoque ad pœnitentiam reducantur: unde nec licet à schismaticis recipere Baptismum, nisi in articulo necessitatis, quatenus melius est ex hac vita cum signo Christi exire, à quocumque detur; non tamen semper ex hoc puniuntur sufficienter, sed & quandoque potestate temporali sunt coërcendi, sicut & ipsi recusant se potestati subdere; & hoc maximè, quia pœnæ præsentis vitæ sunt medicinales; sicque quando una non sufficit, superaddi debet & altera.

IN QVÆSTIONEM XL.

De bello.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum bellare sit semper peccatum. ℟. *Negativè*, ita tamen quod ut justum sit, tria requirantur, authoritas scilicet Principis, tum causa legitima, sed insuper intentio bellantium recta. *Primum est*, quia cùm privatæ personæ debeant jus suum in judicio superioris prosequi, & aliunde commissa sit Principi cura reipublicæ, quam quidem etiam materiali gladio tueri debet contra interiores perturbationes, juxta illud Apost. Non sine causa
Rom. 13. gladium portat; necnon & ab exterioribus

hostibus, juxta illud Psalmi, Eripite pauperem, & de manu fortiorum liberate; ideo ut bella, quæ quidem, inquit Aug. christiana disciplina non omninò culpat, justa sint, adesse debet primò authoritas Principis, cujus mandato bellum geratur. Quod etiam confirmatur ex illo, Omnis qui acceperit gladium gladio peribit; utpote quod de illis intelligitur, qui nulla superiore, aut legitima potestate jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armantur, quique semper gladio pereunt, quatenus pro peccato gladii æternaliter puniuntur, nisi eos pœniteat. Vnde nec sunt universaliter prohibita exercitia hominum ad res bellicas spectantia, sed tantùm inordinata, & periculosa, ex quibus sequuntur occisiones, &c. *Secundum est*, quia etiam requiritur, ut justa sint bella, ut scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur, in quo est causa legitima. Iusta namque bella, inquit Aug. definiri solent, quæ injurias ulciscuntur, vel vindicando quod improbè factum est, vel reddendo quod per injuriam ablatum est; cui per consequens non contrariatur illud Christi, Non resistite malo; vel illud, Non vos defendentes, &c. utpote quæ in præparatione animi servanda sunt, non autem quando aliter agendum est propter commune bonum, vel etiam illorum cum quibus pugnatur. *Tertium est*, quia cùm paci non contrarietur justum bellum, quandoquidem qui bella gerunt, pacem intendunt; bellum enim geritur, ut pax acquiratur: ideò & ulteriùs requiritur intentio bellan-

Psal. 81.
Matt. 26.
Lib. 83. q.
Matth. 5.
Rom. 12.

tium recta, scilicet ut bonum promoveatur,
Lib. de verb. Domini. & malum vitetur, ut scribit Aug. non autem propter nocendi, & ulciscendi cupiditatem, in quo casu etiamsi alia duo adessent, Lib. 22. contra Faustum. esset tamen bellum illicitum, ex eodem Augustino.

Art. 2. *Vtrum Clericis, & Episcopis sit licitum bellare?* ℟. *Negativè*, non quòd nō pertineat ad clericos disponere, & alios inducere ad bellandum; sed ita quod bella gerere ad sanguinis effusionem omninò non congruat personæ, seu officio clericorum. *Primum est*, tum quia habent exercitia illa bellica maximam inquietudinem, unde multùm impediunt animum à contemplatione divinorum, à Dei laude, & oratione pro populo: tum etiam, quia omnes clericorum Ordines ad altaris ministerium ordinantur, in quo quidem sub Sacramento repræsentatur passio Christi: unde proinde fit, eis non licere sanguinem fundere, sed magis paratos esse ad sui sanguinis effusionem pro Christo. Qua etiam de causa fuit institutum, ut effundentes sanguinem, quanvis sine culpa, sint tamen irregulares ad Altaris officia. Vnde possunt quidem Prælati, & clerici authoritate superioris interesse bellis, non tamen ut pugnent; & si qui faciunt, abusus est, quandoquidem sunt ad opera deputati magis meritoria, quàm sit quandoque meritorium bellum; sed ut justè pugnantibus spiritualiter subveniant: unde & olim Sacerdotes sacris buccinis in bello clangebant. Nec enim Prælati clerici aliter debent resistere, sive interficientibus gregem, sive etiam raptoribus, & tyrannis materialibus armis, sed

ſpiritualibus, ut ait Paulus. *Secundum eſt*, quia cùm bella juſta referantur tanquam ad finem in bonum ſpirituale, cui clerici deputantur, ideo & ad ipſos pertinere poteſt alios ad ita bellandum diſponere, quandoquidem omnis potentia, ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, debeat de his diſponere, quæ ſunt ad finem. 2. Chor. 10.

Vtrum ſit licitum in bellis uti inſidiis. Art. 3. ℞. *Affirmativè*, non quòd liceat hoſtibus falſa dicere, aut non ſervare promiſſa; ſed ita quod occultare liceat quæ parantur ad impugnandum. *Primum eſt*, quia ſicut in doctrina ſacra multa ſunt occultanda infidelibus, ne detur ſanctum canibus: ita & multò magis ea ſunt occultanda, quæ parantur ad impugnandos hoſtes; quod quidem pertinet ad rationem inſidiarum. Vnde & inter cætera militaria documenta hoc ponitur, de occultandis inſidiis: & mandavit Dominus Ioſue, ut inſidias mitteret habitatoribus civitatis. Ioſue 9. Neque enim hujuſmodi inſidiæ propriè vocantur fraudes, ſive mendacia in factis, cùm hoc ſit ſolùm eis propoſitum, aut intellectum noſtrum non aperire; ſed nec juſtitiæ repugnant, aut ordinatæ voluntati, cùm potiùs eſſet inordinata voluntas, ſi vellet aliquis nihil ſibi ab inimicis occultari. *Secundum eſt*, quia ut dicit Ambroſius, ſunt quædam bellorum jura, & fœdera, etiam inter ipſos hoſtes ſervanda, quæ quidem in hoc principaliter eſſe debent, quod eis non dicatur falſum, & ſervetur promiſſum. Lib. 1. de offic. cap. 29.

Vtrum liceat diebus feſtis bellare. ℞. *Affirmativè*, ita quod pro tuitione reipublicæ fidelium id liceat, ſi tamen expoſcat ne- Art. 4.

cessitas. *Primum est*, quia cùm observatio festorum non impediat ea, quæ ordinantur ad hominis salutem, etiam corporalem, & ideo Christus sanavit in Sabbatho; multò minùs impediet ea, quæ pertinent ad salutem reipublicæ, qualia sunt præfata bella, quæ scilicet ad pacem, & bonum commune ordinantur. Imò hoc esset Deum tentare, si quis necessitate existente non bellaret; unde & Iudæi id laudabiliter fecerunt.

Lib. 1. Machab. cap. 2. *Secundum est*, quià cùm festa sint ordinata ad vacandum divinis, ut Scriptura docet, Exod. 20. ideò cessante necessitate bellare non licet. Cap. 58. Vnde & ab Isaia reprehenduntur qui in diebus festivis repetunt debita.

IN QVÆSTIONEM XLI.

De rixa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum rixa sit semper peccatum. *℞. Affirmativè*, & quidem mortale in eo, qui invadit injustè; non tamen semper mortale in eo, qui se defendit, imò nec semper veniale. *Primum est*, quia cùm rixa sit quoddam privatum bellum inter personas privatas, non ex publica authoritate, sed ex inordinata voluntate, importans contradictionem in factis, quando ex ira Ad Gal. 5. invicem se percutiunt, ut ait Glossa; & inferre hoc modo nocumentum proximo sit peccatum mortale ex parte invadentis, ideò & rixa, ad quam quidem tria requiruntur: primum ut aliquis sit paratus ad impugnandum, & promptus ad contradicendum: secundùm ut contentione delectetur: tertium ut alios ad contentionem provocet; est in invadente mortalis, ponitur que Ad Gal. 5. ab Apost. inter opera carnis. Vnde quod dicitur, servos Isaac rixatos fuisse pro-

puteo, non ſic intelligendum eſt, quod ipſi ſervi rixati ſint, ſed potiùs quod incolæ terræ rixati fuerint contra eos; proindeque hi dūtaxat peccaverunt, non ſervi, quibus præerat Patriarcha ſanctus. *Secundum eſt*, quia poteſt quis ſe defendere, vel ſolo animo repellendi injuriam illatam, & moderatè, ea ſolùm faciendo, ſine quibus non ſe defenderet, in quo caſu non adeſt peccatum; vel non multùm excedendo moderatam defenſionem, ſed tamen cum aliquo levi motu odii, aut vindictæ, in quo caſu veniale eſt; vel obfirmato animo in impugnantem inſurgendo ad occidendum, aut graviter lædendum, & tunc eſt mortale.

Vtrum rixa ſit filia iræ. ℞. *Affirmativè*, ita quod rixosè aliquem lædere ſit proprius effectus iræ, quanvis non ita, quin quandoque oriatur ex odio, vel etiam occaſionaliter ex ſuperbia, imò & radicaliter ex concupiſcentia. *Primum eſt*, quia cùm rixa propriè ſit cùm aliquis intendit aliquem lædere, eo ſciente, & repugnante; & hoc propriè pertineat ad iram, quæ eſt appetitus vindictæ, ideo & eſt proprius effectus iræ, adeò ut jactatio & dilatatio ſui tantùm occaſionaliter concitent rixas, prout ſcilicet iram concitant: & quidem licèt ex rixa ſequatur odium, & diſcordia in cordibus rixantium; cùm enim poſſit peccatum quodlibet imperare actum alterius, ordinando illum in finem ſuum, ideò nec propterea ſequitur, quod rixa propriè & directè oriatur ex inani gloria, unde diſcordia; vel ex invidia, unde odium; ſicut nec ex ſtultitia, eſto quod cum ea ART. 2.

habeat similitudinem, in quantum prout ex ira judicium impedit rationis. *Secundum est*, quia cùm omnes passiones irascibilis ex passionibus concupiscibilis oriantur, ideò licèt rixa oriatur proximè ex ira, imò & quandoque ex odio, juxta illud: Odium suscitat rixas, quanvis non propriè, cùm sit præter intentionem odientis lædere manifestè, est tamen adhuc radicaliter ex concupiscentia.

Prov. 10.

IN QVÆSTIONEM XLII.

De seditione.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum seditio sit speciale peccatum ab aliis distinctum.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non contineatur sub discordia, sicut & schisma, & conveniat cum bello, & rixa quantum ad aliquid; sed ita quod speciale habeat bonum, cui opponatur, modúque specialem discordandi. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm dicat seditio, sicut & schisma discordiam partium multitudinis, ideo & continetur sub discordia, sicut & cum bello, & rixa convenit quantum ad hoc, quod importat contradictionem quandam; sed quia bellum & rixa important impugnationem in actu, at seditio etiam præparationem ad impugnandum; estque seditio inter partes unius multitudinis inter se dissentientes, unde & opponitur specialiter unitati, & paci multitudinis; cùm tamen bellum sit multitudinis ad multitudinem, & rixa unius ad alterum, vel paucorum ad paucos; ideò & ab illis specialiter distinguitur sicut & à schismate, utpote quod opponitur unitati, non corporali, ut seditio, sed spirituali. Vnde & est speciale peccatum, cùm

ſic habeat ſpeciale objectum, cui opponitur, unitatem ſcilicet corporalem multitudinis.

Vtrum ſeditio ſit ſemper peccatum mortale. ℟. *Affirmativè*, & quidem tanto gravius, quanto commune bonum eſt majus bono privato, quanvis non afficiens æqualiter omnes ſeditioſos. *Primum eſt*, quia cùm unitas, cui opponitur ſeditio, ſit unitas juris, & communis utilitatis, ex Aug. & ſic opponatur juſtitiæ, & communi bono; nec ſit ſeditio diſcordia à quocumque bono, ſed ab eo, quod eſt manifeſtè bonum, ſcilicet à communi utilitate; ideò & eſt ſemper ex ſuo genere peccatum mortale, & tanto gravius quanto commune bonum eſt majus privato; & quidem quanvis importet pugnam, utpote cùm non importet eam, quæ fit propter communem utilitatem, ſed contra. Cum quo tamen ſtat, quod perturbatio regiminis tyranni non ſit peccatum, ſicut nec habet rationem ſeditionis, quandoquidem non ordinatur tale regimen ad bonum commune, niſi fortè quando ſic inordinatè perturbaretur, ut multitudo majus pateretur detrimentum ex perturbatione ſequenti, quàm ex tyranni regimine, in quo caſu eſſet peccatum. *Secundum eſt*, quia primò quidem, & principaliter pertinet peccatum ſeditionis ad eos, qui ſeditionem procurant, qui etiam graviſſimè peccant; nec niſi ſecundariò ad eos, qui ſequuntur perturbantes bonum commune. ART. 2.

IN QVÆSTIONEM XLIII.

De vitiis, quæ beneficientiæ opponuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum scandalum convenienter definiatur, quod est dictum, vel factum minùs rectum, præbens occasionem ruinæ. ℞. *Affirmativè*, ita quod id quod alteri proponitur ut obex disponens ad spiritualem ruinam, sit dictum, vel factum minùs rectum; sed per defectum rectitudinis, non per hoc quod in rectitudine superatur. *Primum est*, quia sicuti obex, qui ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam, dicitur scandalum; ita & in processu viæ spiritualis dicitur Græcè scandalum, & Latinè ruina, & impactio pedis, ubi contingit disponi aliquem ad ruinam per dictum, vel factum alterius, quod quidem non est nisi minùs rectum, cùm trahat ad peccandum alterius exemplo; & quidem dictum, vel factum, non concupitum, cùm concupiscentia mali, quia latet in corde, non ponat alteri obicem. Vnde nihil prohibet, ut quod est per accidens, sicut est in præsenti occasio, ponatur in definitionibus, cùm quod est uni per accidens, possit alteri convenire per se. Cum quo tamen stat, quod præter scandalum activum, in quo propriè, & per se datur occasio ruinæ, dum scilicet aliquis dicto, vel facto intendit inducere alium ad peccandum, ut si publicè peccet, sit aliud passivum sine activo, ut cùm præter intentionem operantis & conditionem operis inducitur aliquis malè dispositus ad peccandum: in quo casu non datur occasio ruinæ, sed alius potiùs eam sumit. *Secundum est*, quia cùm dictum illud, vel factum

ſcandali præbeat occaſionem ruinæ, ideò non quia non eſt rectiſſimum, dicitur minùs rectum, ſed quia deficit in rectitudine, ut ſcilicet comprehendantur tam illa quæ ſunt ſecundùm ſe peccata, quàm illa quæ habent ſpeciem mali, ut ſimilitudo venerationis idoli, quæ ſcilicet eſſe poſſunt occaſio ruinæ, in cujus quidem impactione ſita eſt ratio ſcandali, ad differentiam infirmitatis, quæ potiùs nominat promptitudinem ad ſcandalum; necnon & offenſionis, quæ ſolùm nominat indignationem contra peccantem.

Vtrum ſcandalum ſit peccatum. ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet, quod paſſivum ſcandalum in eo qui ſcandalizatur, ſit ſemper peccatum, & activum in eo qui ſcandalizat; quanvis non ita, quin poſſit eſſe paſſivum ſine peccato ex parte ejus qui ſcandalizat, ſicut & activum ex parte ejus qui ſcandalizatur. *Primum eſt*, quia qui per paſſivum ſcandalizatur, ſemper aliqualiter ruit ſpirituali ruina, quæ eſt peccatum; ſemperque ſaltem retardatur aliqualiter à proceſſu in via Dei, qui ſpiritualiter impingit: ſicque ſaltem venialiter ſemper peccat qui paſſivè ſcandalizatur, ſed etiam qui activè ſcandalizat, cùm tunc ipſa actio vel ſit peccatum, vel habeat ſpeciem peccati, proindeque dimittenda ſit propter proximi charitatem. Vnde illud Chriſti, Scandalum es mihi, non niſi largè intelligitur pro quocumque impedimento, quatenus Petrus affectu quodam pietatis cupiebat impedire paſſionem Chriſti; neque illud, Neceſſe eſt ut eveniant ſcandala, intelligitur de neceſſitate abſoluta, ſed ſolùm

ART. 2.
Matt. 16.
Matt. 18.

conditionali, ut scilicet subsunt præscientiæ Dei; vel etiam necessitate finis, quatenus utilia sunt, ut qui probati sunt, manifesti fiant: vel certè secundùm conditioné hominum, qui utplurimùm sibi à peccatis non cavent, & conversationem malam non mutant. *Secundum est*, quia fieri potest, ut quis scandalizetur ex his, quæ alius benefacit, ut si invideat aliorum bonis: necnon & quod inducat quis alium ad peccandum verbo, vel facto, & alius non consentiat.

ART 3. *Vtrum scandalum sit speciale peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem passivum scandalum, sed activum per se sumptum. *Primum est*, quia cùm finis det speciem in moralibus, & dicatur activum scandalum per se sumptum, quando quis alium intendit trahere ad peccandum ex intentione specialis finis, putà particularis alicujus proximi nocumenti; ideo & est tunc speciale peccatum, sicut & oppositum speciali virtuti, putà correctioni fraternæ, seu charitati. Vnde licèt materialiter possit omne peccatum se habere ad scandalum activum, adhuc tamen potest scandalum specialem habere rationem peccati, non quidem ex eo præcisè, quod publicè peccatur, quod est solùm aggravans circunstantia, sed ex intentione finis. Imò & potest scandalum activum inveniri separatum ab aliis, ut cùm quis scandalizat facto, quod non est peccatum, sed habet solùm speciem mali. *Secundum est*, quia non habet passivum scandalum specialem deformitatem speciali virtuti oppositam, unde nec est speciale peccatum; sicut nec scandalum activum

sumptum per accidens, utpote quod ita sumitur quando quis aliquo verbo suo aut facto non intendit aliis dare occasionem peccati, sed solùm explere voluntatem suam.

Vtrum scandalum sit peccatum mortale. ℞. *Negativè*, non quòd non possit sive activum, sive passivum scandalum esse mortale; sed ita quod unum, & alterum sit etiam quandoque veniale. *Ratio utriusque partis est*, quia & potest quis ex inordinato dicto, vel facto alterius passivè commoveri, tum motu venialis peccati, tum etiam usque ad mortale; & potest alium inducere tum ad peccandum mortaliter, vel etiam ad venialiter per mortale; tum etiam ad venialiter peccandum per actum venialis peccati, proindeque & potest activum scandalum per se sumptum esse & veniale, & mortale; necnon & activum per accidens, ut dum facit quis actum aliqua levi indiscretione, qui vel sit peccatum veniale, vel saltem aliquam habeat speciem mali, in quo quidem casu est veniale; sicut & est mortale, cùm quis committit actum peccati mortalis, vel contemnit salutem proximi. Art. 4.

Vtrum scandalum passivum possit etiam in perfectos cadere. ℞. *Negativè*, non quòd non possit esse in perfectis quædam ad scãdalum appropinquatio, sed ita quod secundùm propriam rationem scandali, ex aliorum dictis, vel factis non scandalizentur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm scandalum passivum importet commotionem quandam animi à bono; & perfecti, cùm Deo adhæreant per amorem, non sic com- Art. 5.

moveantur, utpote qui rei adhærent immobili; ideò potest quidem esse in eis propter infirmitatem carnis, quâ in aliqua venialia incidunt, appropinquatio quædam ad scandalum, juxta illud, Mei penè moti sunt pedes; non tamen vera ratio scandali, ut scilicet à rectitudine sua recedant, juxta illud, Pax multa diligentibus legem tuam, &c. esto quod in exterioribus actibus possint & viri perfecti impediri. Vnde quod Dominus dixit Petro, Scandalum mihi es, non nisi largè, & pro quolibet impedimento intelligitur.

Psal. 72. Psal. 118.

ART. 6. *Vtrum scandalum activum possit inveniri in viris perfectis.* ℞. *Negativè*, non quòd non aliqua committant peccata, etiam in exterioribus; sed ita quod talia sint, ut non sint nata alios inducere in ruinam. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm scandalum activum non sit ubi nihil inordinatè fit, vel dicitur; & perfecti ex Apostolo omnia ordinent secundùm regulam rationis, & præcipuè caveant ne aliis offensionem parent, adeò ut quod deest in eorum dictis, vel factis ab hac moderatione, ex humana proveniat infirmitate, secundùm quam à perfectione deficiunt, quanvis non ita ut multùm à ratione recedant; ideò possunt quidem perfecti aliquando peccata committere, non ita tamen, ut possint alii rationabiliter inde occasionem sumere peccandi. Vnde nec semper provenit passivum scandalum ex scandalo activo alterius, sed ejusdem aliquando, qui scandalizatur, qui scilicet malè dispositus seipsum occasione alterius scandalizat, ut Pharisæi. Neque factum Petri, de quo ad Galat. 2. fuit

1. Chor. 14. Matt. 15.

tam grave peccatum, ut meritò poſſent alii ſcandalizari. Vnde patiebantur quidem gentiles paſſivum ſcandalum, non tamen erat in Petro ſcandalum activum.

Vtrum bona ſpiritualia ſint propter ſcandalum dimittenda. ℞. *Negativè*, non quòd non ſint in puſillorum ſcandalis differenda & occultanda, ſi non ſint neceſſaria ad ſalutem; ſed ita quod nec ubi ſunt de neceſſitate, ſint ſimpliciter prætermittenda, nec etiam ubi de conſilio, præſertim in Phariſæorum ſcandalis. *Primum eſt*, quia cùm in caſu neceſſitatis talia dimittere ſit peccatum mortale, quod quidem ſecundùm ordinem charitatis nunquam homo debet committere, ut impediat peccatum alterius, ideò ubi ſaluti ſunt neceſſaria, non ſunt propter paſſivum ſcandalum dimittenda ſimpliciter; imò nec ubi ſunt de conſilio, præſertim in Phariſæorum ſcandalis, utpote ex eorundem malitia naſcentibus; & quidem quanvis dicat Hieron. quod dimittendum ſit ob ſcandalum omne quod prætermitti poteſt, ſalva triplici veritate, vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ, quandoquidem hìc etiam comprehenduntur conſilia, quibus ſcilicet perfectiùs pervenitur ad ſalutem, juxta illud: Æmulamini chariſmata meliora. Vnde quando dimittitur correctio fraterna propter ſcandalum, non ideò dimittitur ſpirituale bonum, cùm non habeat rationem boni, prout ex ea ſequitur ſcandalum: neque propter ullum ſcandalum debet homo prætermiſſa veritate falſitatem docere, eſto quod actus docendi, quia ponitur inter ſpirituales eleemoſynas, debeat exerceri ſecundùm congruen-

ART. 7.

1. Chor. 12.

tiam temporum, & personarum; sed nec fieri potest quod ad vitandum scandalū sit committendum veniale, quandoquidem si esset committendum, non amplius esset peccatum, cùm peccatum non possit esse eligibile. Cum quo tamen stat, quod quando ob excommunicationem aliquorum imminet periculum schismatis, tunc sit à punitione cessandum, ut docet Aug. utpote cùm tunc excommunicationem ferre non pertineat ad veritatem justitiæ, quia pœnæ debent esse in medicinam. *Secundum est*, quia cùm pusillorum scandalum procedat ex infirmitate, vel ignorantia, ideò & tunc spiritualia bona sunt occultanda, vel etiam differenda, quousque reddita ratione scandalum cesset, quod tamen si duret post rationem redditam, cùm tunc videatur esse ex malitia, idem etiam videtur dicendum, quod suprà de scandalis Pharisæorum.

Lib. 1. contra Epist. Parmeniani, cap. 2.

ART. 8. *Vtrum propter scandalum sint temporalia dimittenda.* ℞. *Negativè*, ita quod nec ubi nobis commissa sunt, nec ubi sunt nostra, dimitti debeant propter quodcumque scādalum, esto quod propter pusillorum scandalum sint aliquando dimittenda. *Primum est*, quia cùm conservatio bonorum quæ committuntur sive Prælatis Ecclesiæ, sive Rectoribus Reipublicæ, illis immineat ex necessitate, & daretur malis rapiendi occasio, necnon noceret rapientibus, qui in peccato remanerent, si bona nostra dimitterentur propter scandalum ex malitia ortum; ideò licèt magis debeamus diligere salutem proximi, quàm temporalia, non tamen propter quodcumque scandalum sunt ista bona dimittenda, utpote quod vergeret in detrimentum vitæ, veritatis,

& justitiæ. Vnde nec intendit Apostolus, quod propter scandalum cibus simpliciter prætermittendus sit, cùm sit de necessitate salutis, sed talis cibus, ut patet ex illo: Non manducabo carnes. Neque illud Matt. 5. Qui vult tecum in judicio contendere, dimitte ei & pallium, aliter intelligitur ex Aug. quàm secundùm præparationem animi, quando scilicet expedit: sicut & quod dicit Paulus de judiciis. *Secundum est*, quia si scandalum sit propter ignorantiam, vel infirmitatem, ut in pusillis, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter sedandum scandalum, ut Aug docet; quod quidem patet ex facto Apostoli, cujus scandalum quod vitabat, cùm procederet ex ignorantia Gentilium, qui id non consueverant; ideò & abstinuit ad tempus, ut priùs instruerentur. Qua etiam ratione abstinet Ecclesia à decimis exigendis, ubi non est consuetum.

1. Cor. 8.

1. Cor. 9.

1. Cor. 9.

IN QVÆSTIONEM XLIV.

De præceptis charitatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum de charitate debeat dari aliquod præceptum. *℟. Affirmativè*, ita quod maximum præceptum esse debeat de charitate, non tamen inter Decalogi præcepta connumerandum: *Primum est*, quia cùm id, quod habet in unoquoque rationem finis, debeat maximè præcipi, cùm sit maximè debitum, supra quod cadit ratio præcepti; & finis spiritualis vitæ sit, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem; ideò & de charitate debet maximè extare præceptum, & hoc præcipuè, quia omnes virtutes, de quarum quidem actibus dantur præcepta, ad charitatem ordinantur, utpote

cùm vel sint ad purificandum cor, ut quæ sunt circa passiones, quia cor impiorum per passiones trahitur ad terrena; vel ad habendam bonam conscientiam, ut quæ sunt circa operationes, quia mala conscientia horret divinam justitiam; vel ad habendam rectam fidem, ut quæ pertinent ad cultum divinum: quia fides ficta trahit affectum ad id, quod de Deo fingitur. Quæ quidem tria ordinantur, & requiruntur ad Deum diligendum. Vnde licèt charitas modum imponat actibus virtutum omnium; non tamen cadit sub illarum præceptis, sed ex speciali ratione finis cadit sub præceptis specialibus: ita tamen, quod obligatio præcepti non opponatur libertati, quam habet qui diligit, cùm non nisi ex propria voluntate impleatur præceptum dilectionis. *Secundum est*, quia cùm ordinentur præcepta Decalogi ad præcepta dilectionis Dei, & proximi, velut ad finem; ideò nec fuerunt ista inter præcepta Decalogi enumeranda, sed potiùs includuntur in omnibus.

ART. 2. *Vtrum de charitate fuerint danda duo præcepta.* ℞. *Affirmativè*, non quòd illud necesse fuerit per se loquendo, sive ad omnes; sed propter minùs capaces. *Ratio utriusque partis est*, quia quanvis in dilectione Dei, quæ est finis, contineatur dilectio proximi, sicut conclusiones in principiis; tamen quia non omnes, qui cognoscunt principia, cognoscunt ea quæ in principiis continentur, ideò debuit dari etiam præceptum de dilectione proximi, non quidem quoad omnes, sed propter minùs capaces, qui scilicet non considerant, unum horum præceptorum contineri sub

altero; & quidem quanvis charitas sit una virtus, utpote quæ duos habet actus, de quibus propterea dari possunt præcepta duo. Vnde diligitur quidem Deus in proximo, adeò ut à dilectione proximi non possimus recedere, nisi recedamus etiam à Dei dilectione; sed quia ibi diligitur sicut finis in eo quod est ad finem, per ordinem qui non ita explicitè omnibus patet, ideò & de isto aliud dari debet præceptum.

Vtrum sufficiant duo præcepta charitatis. ART.3.
℟. *Affirmativè*, ita scilicet, quod sufficiant quibus inducimur & ad Deum diligendum, & diligendum proximum; esto quod etiam ex charitate debeamus nos ipsos, & corpus proprium diligere. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm dilectio, & amor sit boni; bonum autem sit vel finis, vel id quod est ad finem: ideò convenienter de charitate duo sufficiunt præcepta, alterum de dilectione Dei, ut de fine; alterum de dilectione proximi propter Deum, ut de eo quod est ad finem. Et quidem quanvis debeamus & nos ipsos, & corpus proprium diligere, utpote quæ dilectio semper remanet, quantumcunque quis excidat à charitate. Cum quo tamen stat, quod propter tardiores sint etiam de aliis actibus, seu effectibus charitatis, ut de pace, de gaudio, de beneficentia præcepta explicitè tradita; necnon & contra vitia charitati opposita, ut contra odium, acediam, invidiam, &c. quanvis in præceptis affirmativis virtualiter includantur & negativa, quandoquidem plus est operari bonum, quàm vitare malum.

Vtrum convenienter mandetur, quod Deus ART.4. *...us*

diligatur ex toto corde. ℞. *Affirmativè*, ita quod in præcepto de Dei dilectione quædam fuerit designanda totalitas, sed quâ totum cor fertur habitualiter in Deum, non autem semper actualiter. *Primum est*, quia cùm actus diligendi Deum sit sub præcepto, ut est actus virtutis, qui quidem requirit non solùm debitam materiam, sed etiam omnes debitas circunstantias, quibus vestitur, ut sit proportionatus tali materiæ; ideo cùm Deus sit diligendus ut finis ultimus, ad quem scilicet omnia referuntur, fuit etiam quædam apponenda totalitas circa ejus præceptum; & quidem quanvis sub præcepto alicujus virtutis non cadat modus ille, quem habet actus à superiori virtute, utpote cùm adhuc cadat ille, qui pertinet ad propriam rationem virtutis; qualis quidem significatur modus cùm dicitur ex toto corde. *Secundum est*, quia cùm semper actualiter ferri in Deum spectet ad perfectionem patriæ, ideò non sic præcipitur ferri in Deum ex toto corde, immò nec cum ea perfectione, ut homo quantùm possibile est, se abstrahat etiam à licitis, quæ occupando animum impediunt actualem motum cordis in Deum, utpote ad quam ordinantur consilia; sed habitualiter, ut scilicet nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat: in quo quidem est perfectio & totalitas viæ, cui etiam non contrariatur peccatum veniale, utpote quod non tollit habitum charitatis, cùm non tendat in oppositum objectum; sed solùm impedit charitatis usum.

ART. 5. *Vtrum super hoc, Diliges Dominum Deum*

tuum ex toto corde tuo, convenienter addatur, & ex tota anima tua, & tota fortitudine tua. ℟. *Affirmativè*, ita ſcilicet, quod aliud intelligatur ibi per totum cor, & aliud per totam animam, aut totam fortitudinem. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm voluntas ibi ſignificetur per cor, quatenus ſicut cor eſt principium omnium corporalium motuum, ſic & voluntas motuum omnium ſpiritualium per intentionem finis; ſintque tria motuum principia, quæ moventur à voluntate, ſcilicet intellectus, qui ſignificatur per mentem; vis appetitiva inferior, quæ ſignificatur per animam; & vis exequutiva exterior, quæ ſignificatur per fortitudinem, ſeu virtutem & vires; ideò convenienter præcipitur ex toto corde, id eſt ut tota intentio feratur in Deum: tum ex tota mente, id eſt ut intellectus ſubdatur Deo: inſuper ex tota anima, ideſt ut reguletur appetitus ſecundùm Deum: ac denique ex tota fortitudine, virtute, vel viribus, id eſt, ut exterior actus obediat Deo; adeò ut aliud per horum quodlibet intelligatur, quanvis non ita quin poſſit unum omitti, ſicut & omittitur, Matth. 22. Ex tota fortitudine, utpote quod poteſt ex aliis intelligi.

ART. 6. *Vtrum hoc præceptum de Dei dilectione poſſit in via impleri.* ℟. impleri poſſe, non quidém plena & perfecta impletione, per attingentiam finis præcepti; ſed ea, quâ non receditur ab ordine ad finem præcepti. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia quod homo totaliter Deo uniatur, quod quidem finis eſt Dei præcipientis; hoc perfectè adimplebitur in patria, ubi ſcilicet erit Deus

omnia in omnibus, & non nisi imperfectè in via, prout non receditur ab ordine ad finem: unde nec nisi imperfectè impleri potest præceptum de Dei dilectione in via. Ita tamen quod hoc sufficiat, ut scilicet possit aliquo modo adimpleri, ad hoc quod præceptum non sit impossibile; nec peccet qui præceptum hoc perfectè non implet, cùm sufficiat, ut contra divinam dilectionem non agat: sicut nec culpatur miles qui legitimè pugnat, licèt non vincat. Cum quo tamen stat, quod adhuc præcipi possit ista perfectio, quanvis non habeatur in via; quandoquidem non rectè curritur, ait Aug. si quò currendum est, nesciatur; & non sciretur, nisi esset præceptum.

Lib. de perfect. just.

ART. 7. *Vtrum convenienter detur præceptum de dilectione proximi.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod tangatur in eo, & diligendi ratio, & modus conveniens dilectionis. *Ratio utriusque partis est*, quia tangitur ratio diligendi, cùm dicitur proximus, vel frater, utpote qui nobis est proximus, & secundùm naturalem Dei imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ: tum etiam tangitur dilectionis modus, cùm dicitur, *Vt teipsum*. Quod tamen non est intelligendum, ut proximum quis sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi; & hoc quidem tripliciter, primò ex parte finis, ut diligat eum propter Deum, sicuti seipsum ita diligit; in quo casu dicitur dilectio sancta: secundò ex regula dilectionis, ut ei non condescendat in aliquo malo; & sic dilectio dicitur justa: tertiò denique, ut cum non diligat propter propriam utilitatem, sed quòd ei velit bonum, sicut

ſibi ipſi vult, & ſic dicitur dilectio vera.

Vtrum ordo charitatis cadat ſub præcepto. ART. 3.

℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet quod & eodem præcepto, quo præcipitur charitatis actus, præcipiatur & modus; & ſit in Scriptura ſufficienter expreſſus. *Primum eſt*, quia cùm modus, qui pertinet ad rationem virtuoſi actus, cadat ſub præcepto de illo actu; & ordo charitatis pertineat ad rationem hujus virtutis, utpote qui accipitur ſecundùm proportionem dilectionis ad diligibile; ideò & cadere debet ſub præcepto, adeò ut qui minùs diligeret eum, quem plus deberet diligere, faceret ei injuriam. Vnde quanvis indiſtinctè dicatur, Diliges proximum; id tamen intelligitur, & inde intelligi datur, quod qui magis ſunt proximi, magis etiam ſint diligendi. *Secundum eſt*, quia ordo ille diligendorum ex charitate exprimitur in Scriptura, cùm dicitur, Diliges Deum ex toto corde, ubi ſcilicet præfertur Deus omnibus: tum ubi dicitur, Et proximum ſicut teipſum, in quo præfertur dilectio ſui ipſius dilectioni proximi: tum etiam quando dicitur, quod debemus pro fratribus animam ponere, in quo quidem intelligitur, quod plus debeamus diligere proximum, quàm corpus proprium; ac demùm cùm mandatur, quod maximè domeſticorum curam habeamus, in quo etiam datur intelligi, quod inter proximos, meliores & propinquiores præferre debeamus.

IN QVÆSTIONEM XLV.

De dono sapientiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum ſapientia debeat inter dona Spiritus ſancti computari.* ℞. *Affirmativè,* loquendo ſcilicet de ſapientia, non in aliquo ſolùm genere, ſed quæ ſimpliciter eſt ſapientia. *Primum eſt*, quia cùm ad ſapientem pertineat conſiderare cauſam altiſſimam, per quam certiſſimè judicat, & ordinat omnia, proindeque & dicatur ſapiens ſimpliciter, qui cognoſcit cauſam altiſſimam ſimpliciter, quæ Deus eſt, & poteſt omnia per regulas divinas ordinare, & judicare; ideò cùm hoc judicium conſequatur homo per Spiritum ſanctum, qui quidem omnia ſcrutatur profunda Dei, ut dicitur, eſt conſequenter ſapientia ſimpliciter dicta donum Spiritus ſancti, & quidem differens à fide, quatenus hæc aſſentit veritati divinæ ſecundùm ſeipſam; cùm tamen ad ſapientiæ donum pertineat judicare ſecundùm veritatem divinam. Vnde nec dicitur, timorem & pietatem eſſe ſapientiam, niſi quia iſta ſapientiam oſtendunt. Ex hoc enim cognoſcitur, hominem habere judicium rectum de divinis, quod Deum timet, & colit. *Secundum eſt*, quia dicitur ſapientia in certo quodam genere, quæ ſolùm cauſam cognoſcit altiſſimam illius generis, quæ quidem cùm alia ſit à Deo, eſt conſequenter hujuſmodi ſapientia alia à ſapientiæ dono, maximè cùm hoc infundatur, & virtus illa ſapientiæ ſit acquiſita. Cum quibus tamen ſtat, quod ſicuti in bonis dicitur homo ex cognitione ſummi boni verè ſapiens, ita & in malis ex cognitione illius, ad quod cætera reducuntur

1. Chor. 2.

Iob 28.

ducuntur, tanquam ad finem ultimum, dicatur ſapiens ad malè agendum; & quidem vel ſapientiâ terrenâ, ſi finis ſint bona exteriora; vel animali, ſi bona corporalia; vel diabolicâ, ſi ſit finis in aliqua vana excellentia.

Vtrum ſapientia ſit in intellectu ſicut in ſubjecto. ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet, quod cauſam quidem habeat in voluntate, ſed eſſentiam habeat in intellectu. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ad hanc ſapientiam, quæ eſt donum, pertineat habere rectum judicium de divinis, non quidem ex rationis inquiſitione, quia id convenit ſapientiæ, quæ virtus eſt intellectualis, ſed ſecundùm quandam connaturalitatem; ideò cùm hujuſmodi connaturalitas fiat per charitatem, cujus eſt voluntatem unire Deo, habet quidem ſapientia cauſam in voluntate; in quo etiam cauſali ſenſu dicit Aug. quod ſapientia eſt charitas Dei, eſt tamen, ſicut & judicium eſſentialiter in intellectu, qui quidem non niſi ſecundùm actum percipiendi perficitur ſufficienter à dono intellectus, non autem ſecundùm actum judicandi, ad quod pertinet ſapientiæ donum, quæ judicat ſecundùm rationes divinas; & donum ſcientiæ ſecundùm rationes humanas. Vnde cùm dicitur Eccleſ. 6. ſapientia doctrinæ ſecundùm nomen ejus, quaſi ſapida ſcientia, non accipitur ibi ſapientia niſi pro ejus fama, quæ ſcilicet ab omnibus commendatur. ART. 2. Lib. de grat. cap. 18.

Vtrum ſapientia ſit non ſolùm ſpeculativa, ſed etiam practica. ℞. *Affirmativè*, ita tamen, quod per prius ſit ſpeculativa, & poſteriùs practica. *Primum eſt*, quia cùm ART. 3.

superior ratio, quæ sapientiæ deputatur, intendat ex Aug. rationibus supernis, scilicet divinis, & conspiciendis, & consulendis; illud, ut divina in seipsis contemplatur, hoc verò secundùm quod per divinas regulas judicat de humanis actibus, & judicat eos, quatenus scilicet divina hæc, de quibus est sapientia, licèt sint necessaria, & æterna, sunt tamen regulæ contingentium; ideò nedum speculativa est sapientia, quæ est donum, sed etiam practica, adeò ut ex hoc ipso, quod est, in quantum donum, excellentior sapientiâ, quæ est virtus, habeat dirigere & in contemplatione, & in actione, utpote cùm tanto ad plura se extendat virtus, quanto est altior. *Secundum est*, quia cùm priùs sit considerare aliquid in seipso, quàm in comparatione ad aliud, ideò & sapientiæ est priùs contemplari divina, quæ est visio principii, & posteriùs dirigere humanos actus secundùm rationes divinas; & quidem taliter quod amaritudo actuum propter sapientiam dirigentem vertatur in dulcedinem, & labor in requiem.

Lib. 11. de Trinit. cap. 14.

ART. 4. *Vtrum sapientia possit esse sine gratia, & cum peccato mortali.* ℞. *Negativè*, loquendo scilicet de sapientia, non in rebus mundanis, vel etiam divinis per rationes humanas; sed quæ facit judicii rectitudinem ex quadam unione ad divina. *Primum est*, quia præsupponit hujusmodi sapientia charitatem, cùm habeat judicium rectum per regulas divinas de aliis ex quadam connaturalitate & unione ad divina, quæ fit per charitatem, ac proinde non potest esse, sicut nec charitas, cum peccato mortali,

quanvis ab ea differat. Vnde cognitio divinorum, quæ est cum peccato mortali, qualis fuit in Philosophis, est quæ per studium, & inquisitionem acquiritur; non autem sapientia, quæ est donum. *Secundum est*, quia de sapientia in rebus mundanis, sive etiam divinis per rationes humanas, non debent Sancti gloriari, juxta illud: Sapientia hominum non est mecum; cùm tamen de his gloriari soleant, quæ cum peccato haberi non possunt, juxta illud: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.

Prov. 30.

2. Chor. 1.

ART. 5.

Vtrum sapientia sit in omnibus habentibus gratiam. ℟. *Affirmativè*, non quidem secundùm omnem sapientiæ gradum, sed quantum rectè secundùm divinas regulas judicare necessarium est ad salutem. *Primum est*, quia cùm gratia multò minùs deficiat in necessariis, quàm natura; unctio enim docet de omnibus, ut dicitur; ideò nec sapientia quæ importat rectitudinem judicii circa divina conspicienda, & consulenda, saltem quantum est ad salutem necessarium, ulli deerit sine peccato mortali existenti; adeò ut ordinare alios homines, & de eis judicare, pertineat quidem ad solos Prælatos, sed dirigere proprios actus, & de eis judicare, ad unumquemque pertineat; ita tamen, quod pueri, sicut & amentes baptizati, non nisi habitum sapientiæ habeant, non autem actum. *Secundum est*, quia sapientiæ gradus, quo quis altiora quædam mysteria cognoscit, & aliis manifestare potest, necnon seipsum, & alios ordinare, non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, juxta

1. Ioan. 2.

1. Cor. 2. illud : Sapientiam loquimur inter perfectos ; sed potiùs pertinet ad gratias gratis 1. Chor. 12. datas , quas Spiritus sanctus dat prout vult.

Art. 6. *Vtrum sapientiæ dono respondeat septima beatitudo.* ℞. *Affirmativè* , & quidem tum quantum ad meritum, tum etiam quantum ad præmium. *Primum est* , quia cùm dicantur ibi beati pacifici , quantum ad meritum , quasi pacem facientes , vel in seipsis , vel in aliis , quod quidem fit ex con-Lib. 19. de civ. c. 13. stitutione debiti ordinis , ut ait Aug. esto quod charitatis sit habere pacem, ut inquit Psal. 118. David ; ideò cùm ordinare pertineat ad sapientiam , ipsi etiam congruè aptatur beatitudo illa quantum ad meritum ; adeò ut in ejus quidem directione primò occurrat remotio à malis, quæ sapientiæ contrariantur , unde & timor dicitur initium sapientiæ, in quantum facit à malis recedere ; sed ultimus & finalis effectus , cui respondet beatitudo , sit non quidem charitas , cùm potiùs sit sapientia infusa effectus charitatis , quatenus se nobis unit sapientia increata per charitatis donum, & ex hoc cognitionem infundit mysteriorum; sed quod omnia ad debitum ordinem redigantur, quod pertinet ad rationem pacis. *Secundum est* , quia quantum ad præmium , ad quod quidem pertinet hoc , filii Dei vocabuntur , cùm dicantur aliqui filii Dei, in quantum participant similitudinem filii Roman. 8. unigeniti , ut patet ex Paulo ; & hoc fiat participando sapientiam , quandoquidem Dei filius est sapientia genita ; nec dicatur Spiritus sanctus spiritus adoptionis , nisi in quantum per eum nobis datur similitu-

do filii naturalis ; ideò etiam quantum ad præmium reſpondet ſeptima beatitudo ſapientiæ dono.

IN QVÆSTIONEM XLVI.

De ſtultitia, quæ opponitur ſapientiæ.

VTrum ſtultitia opponatur ſapientiæ. ℞. *Affirmativè*, non quidem ut pura negatio, ſed ſicut contrarium. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſtultitia dicatur à ſtupore ex Iſidoro, adeò ut ſtultus ſit, qui propter ſtuporem non movetur ; differatque à fatuitate, quia illa importat hebetudinem cordis, & obtuſionem ſenſuum, fatuitas verò totalem privationem ſpiritualis ſenſus ; ideò cùm ſapiens è contra dicatur à ſapore, quatenus aptus eſt ad dignoſcentiam rerum, atque cauſarum, opponetur ſtultitia ſapientiæ ut contrarium, fatuitas autem ut pura negatio. Vnde idem eſt inſipientia, & ſtultitia, licèt illa dicatur eſſe circa divina, & hæc circa humana ; cùm ſtultus dicatur is, qui deficit in judicando circa cauſas altiſſimas. Neque cùm Apoſtolus ait, Vt ſapiens ſtultus fiat, de hac loquitur ſtultitia, ſed de ſtultitia quadam bona, per quam aliquis terrena contemnit, quæ quidem opponitur ſapientiæ malæ ſæculi, & eſt via ad ſapientiæ donum ; ſicut & ſapientia ſæculi eſt via ad ſtultitiam, quâ ſtulti ſumus apud Deum, ut ait Paulus. Cum quo tamen ſtat, quod non moveri injuriis, ſi contingat ex eo quod homines non ſapiant terrena, ſed ſola cœleſtia, non pertineat tunc ad ſtultitiam, ſed magis ad ſapientiam Dei ; benè tamen ſi contingat ex eo quod homo eſt circa omnia ſimpliciter ſtupidus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Lib 6. Etym. cap. 18.

ART. 2. *Vtrum stultitia sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non ea quidem, quâ ex naturali dispositione est quis in judicando stupidus, sed quâ ex nimia ad terrena immersione ineptus redditur ad divina percipienda. *Ratio utriusque partis est*, quia hujusmodi stultitia, quæ quidem opponitur præceptis, quæ dantur de contemplatione veritatis, habet ad differentiam alterius, quæ à natura provenit, quod voluntaria sit, quatenus licèt nemo velit stultitiam, vult tamen ea, ad quæ consequitur esse stultum; sicut luxuriosus, qui non vult peccatum, sed vult delectationem: ac proinde non illa, sed ista peccatum est.

ART. 3. *Vtrum stultitia sit filia luxuriæ.* ℞. *Affirmativè*, sed ea quæ provenit ex immersione mentis ad terrena, non ex corporali impedimento. *Primum est*, quia cùm sit luxuria circa maximas delectationes, quibus anima maximè absorbetur; ideo & stultitia hæc, quâ ex immersione ad terrena fit homo culpabiliter ineptus ad spiritualia judicanda, maximè oritur ex luxuria. Vnde

31. Moral. c. 31. Gregorius licèt inter filias luxuriæ non enumeret stultitiam, numerat tamen duas luxuriæ filias, scilicet odium Dei, & desperationem futuri sæculi, quæ quidem ad stultitiam pertinent: neque illud Apostoli, quod sapientia hujus mũdi sit stultitia apud Deum, intelligitur causaliter, sed essentialiter; sicque non est necesse, ut quæ pertinent ad sapientiam mundi, sint causa hujus stultitiæ. *Secundum est*, quia cùm ira suâ acuitate maximè immutet corporis

1. 2. q. 48. art. 2. & 3. naturam, ut dictum est; ideò & maximè, & potiùs quàm luxuria hanc causat stulti-

iam, quæ ex impedimento provenit cor-
porali.

N QVÆSTIONEM XLVII.
De prudentia secundùm se.

VTrum prudentia sit in vi cognoscitiva. ℞. *Affirmativè*, & quidem in vi cognoscitiva per rationem, non autem cognoscitiva per sensum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm prudens dicatur quasi porrò videns; perspicax enim est, & incertorum videt casus, ut ait Isid. & visio non sit virtutis appetitivæ, sed cognoscitivæ; ideò ad vim cognoscitivam pertinet prudentia, sed per rationem cognoscitivam, non per sensum, cùm ad prudentiam pertineat cognoscere futura ex præteritis, & præsentibus; & ea solùm cognoscat sensus, quæ præsto sunt. Cum quo tamen stat, quod adhuc dici possit, ut dicitur ab Aug. prudentia amor, non quidem essentialiter, sed in quantum movet amor ad actum prudentiæ: sicuti amor dicitur discernere, quia movet rationem ad discernendum; necnon possit electio attribui prudentiæ, sed consequenter, in quantum electionem per consilium dirigit, utpote quod electioni præsupponitur. Imò quia laus prudentiæ non consistit in sola consideratione, sed etiam in applicatione ad opus, quod est finis practicæ rationis, quod fit per voluntatem; ideò in arte quidem volens peccans eligibilior est, ut ait Arist. sed circa prudentiam, quemadmodum & circa virtutes morales, minùs.

ARTICVLVS PRIMVS.

Lib. 10. Etym. cap. 15.

In 6. Ethic.

Vtrum prudentia pertineat solùm ad rationem practicam. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit nomen prudentiæ sumi pro qua-

ART. 2.

libet cognitione humana, si largiùs sumatur; sed ita quod propriè sumpta consistat in ratione practica. *Primum est*, quia cùm prudentis sit, ut ait Philos. benè posse consiliari, proindeque in his versari, quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem aliquem; ideò cùm ratio eorum quæ sunt agenda propter finem, sit ratio practica, non potest prudentia propriè sumpta non consistere in ratione practica, adeò ut licèt inveniatur ars aliqua speculativa, non tamen talis inveniatur prudentia, eo quòd scilicet speculativa ratio procedat secundùm certas, & determinatas vias; cùm tamen prudentia, quæ est applicatio rationis ad ea, de quibus est consilium, non sic habeat determinatas, & omninò certas vias. Vnde illud, *Sapientia est in viro prudentia*, non aliud significat, quàm quod prudentia sit sapientia in rebus humanis; non autem quod sit sapientia simpliciter dicta, quæ quidem est speculativa, utpote cùm non sit circa causam simpliciter altissimam. *Secundum est*, quia dicit Ambrosius, prudentiam in veri investigatione versari, in quo quidem dicto accipitur prudentia latè pro qualibet cognitione humana.

ART. 3. *Vtrum prudentia sit cognoscitiva singularium.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod prudens & cognoscat universalia principia rationis, & insuper singularia cognoscat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad prudentiam pertineat non solùm consideratio rationis, sed etiam applicatio ad opus, quod est finis practicæ rationis; & nullus possit convenienter alteri aliquid applicare, nisi cognoscat utrumque, scilicet uni-

versale quod est applicandum, & singulare cui applicandum est, quia in singularibus sunt operationes; ideò licèt ratio primò, & principaliter sit universalium, quia tamen potest universales rationes ad particularia applicare, ut patet in syllogismis particulariter concludentibus, nihil obstat quin sit prudentia, quæ in ratione est cognoscitiva singularium; & quidem quanvis singularia sint infinita, utpote cùm per experientiam reducantur ad aliqua finita, quæ in pluribus accidunt, quorum quidem cognitio sufficit ad prudentiam humanam; imò & quanvis cognoscantur singularia per sensum, quandoquidem prudentia, quæ principaliter est in ratione, etiam per quandam applicationem pertingit ad sensum.

Vtrum prudentia sit virtus. ℞. *Affirmativè*, & quidem nedum inter intellectuales virtutes connumeranda, sed etiam inter morales. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virtus sit, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit; bonum autem possit accipi vel materialiter sub ratione veri, vel formaliter sub ratione boni, quâ ratione est objectum appetitivæ virtutis; ideò fit, illos habitus, qui faciunt rectam considerationem rationis, habito respectu ad rectitudinem appetitus, plus etiam habere de ratione virtutis, seu nedum intellectuales esse, sed & morales, cùm sic ad bonum ordinent sub ratione boni; proindeque cùm ad prudentiam pertineat applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto; consequenter fit quod prudentia sit nedum intellectualis, sed & moralis virtus, ad dif- ART. 4.

ſcientiam artis, cujus dicitur eſſe virtutem, quia non dicit ars rectitudinem appetitus; quo fit ut homo ad hoc ut rectè utatur arte, debeat habere virtutem. Vnde cùm dicit Aug. prudentiam eſſe ſcientiam, non niſi largè accipit ibi ſcientiam, ſeu pro quacumque recta ratione; neque cùm dicitur, *Prudentiæ tuæ pone modum*, ſic intelligitur, quaſi prudentia ſit moderanda, ſed quod ſecundùm eam ſit aliis modus imponendus.

Lib.1. de lib.arb. cap.13.

Prov.16.

ART.5. *Vtrum prudentia ſit virtus ſpecialis.* ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet, quod & à virtutibus intellectualibus diſtinguatur, & à moralibus, ſed aliâ, & aliâ ratione. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm habitus bonus, cui reſpondet ſpeciale objectum ſub ratione formali ab aliis diſtinctum, habeat unde ab aliis virtutibus ſpecialiter diſtinguatur; ideò cùm id habeat prudentia, ſed reſpectu intellectualium, quæ ſunt in ratione, quia ſcientia, ſapientia, & intellectus ſunt circa neceſſaria, at prudentia circa contingentia, & quidem agibilia, quæ in ipſo operante conſiſtunt, ad differentiam artis, quæ eſt circa factibilia, ſive exteriorem materiam; & reſpectu moralium, quia eſt in diverſa potentia, putà in intellectu, cùm è contra morales ſint in voluntate, eſt conſequenter prudentia ab aliis omnibus ſpecialiter diſtincta, ſed aliâ, & aliâ ratione; & quidem quanvis prudentia ſit eorum, quæ ſunt ad finem, utpote ex quo ſolùm colligitur, quod omnes adjuvet virtutes, ut Sol, qui influit in omnia corpora; non quòd non ſit ſpecialis virtus; imò & quanvis agibilia, quæ habet

pro objecto, sint etiam materia moralium virtutum, quandoquidem à moralibus attenduntur sub ratione boni, & à prudentia sub ratione veri. Vnde definitio illa virtutis, quæ ait esse habitum electivum secundùm prudentiam, &c. non est virtutis in communi, sed virtutis moralis; quæ ideò habet rationem virtutis, prout virtutem participat intellectualem, atque ita convenienter ponitur in tali definitione prudentia. Lib. 2. Ethic. cap. 6.

Vtrum prudentia præstituat finem virtutibus moralibus. ℞. *Negativè*, non quòd non disponat prudentia de his quæ sunt ad finem, sed ita quod ipsis virtutibus præstituat finem ratio naturalis, quæ dicitur synteresis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm finis virtutum moralium sit bonum humanum, quod est esse secundùm rationem, proindeque & oporteat, ut finis præexistat in ratione; ideò sicut in ratione speculativa sunt quædam naturaliter nota, quorum est intellectus; & quædam quæ per illa innotescunt, ut conclusiones, quarum est scientia: ita in ratione practica, cùm se habeat finis in operabilibus, sicut principium in speculabilibus, debent quædam præexistere ut naturaliter nota, & hujusmodi sunt fines virtutum moralium, quos propterea præstituit naturalis ratio, quæ dicitur synteresis; quædam verò ut conclusiones, cujusmodi sunt, quæ sunt ad finem, in quæ pervenimus ex ipsis finibus, quorum quidem est prudentia, quæ de illis disponit. Vnde non nisi ad finem naturaliter præstitutum tendunt morales virtutes: quod si ad hoc juvantur per pru- ART. 6.

dentiam, quæ proptea est illis nobilior, & eas movet; ita tamen, ut synteresis moveat prudentiam, ut intellectus principiorum scientiam.

ART.7. *Vtrum ad prudentiam pertineat invenire medium in virtutibus moralibus.* ℞. *Affirmativè*, non quòd faciat, quod conveniat virtutibus quærere medium, sed ita quod prudentiæ sit disponere, per quæ operando medium attingatur rationis. *Primum est*, quia cùm finis proprius virtutis moralis sit conformari rectæ rationi, utpote quia unicuique dictat naturalis ratio, ut secundùm rationem operetur; & qualiter, & per quæ homo in operando attingat medium rationis, pertineat ad rationem prudentiæ, quandoquidem id fit per rectam dispositionem eorum, quæ sunt ad finem; ideo licèt medium attingere sit finis virtutis moralis, est tamen prudentiæ medium præfato modo invenire. Vnde quanvis sit in natura inclinatio perveniendi ad medium, quia tamen natura semper eodem modo operatur, & medium non eodem modo invenitur in omnibus, nec etiam sufficit inclinatio naturæ, sed requiritur ratio prudentiæ. *Secundum est*, quia cùm esse in medio per se insit virtuti, ideò non facit prudentia, ut medium quærere sit virtutis, sed tantùm constituit medium passionibus, & operationibus.

ART.8. *Vtrum præcipere sit actus principalis prudentiæ.* ℞. *Affirmativè*; & quidem taliter, quod nedum probetur ratione, sed & signo manifestetur. *Primum est*, quia cùm prudentia sit recta ratio agibilium, proindeque & ille sit ex tribus prudentiæ actibus,

principalis, qui est præcipuus actus rationis agibilium; ideò cùm actus præcipiendi, qui consistit in applicatione consiliandorum, & judicandorum ad operandum sit hujusmodi, quia est propinquior fini rationis practicæ, quàm sit consiliari, qui est primus actus, & pertinet ad inventionem; & judicare de inventis, qui est secundus actus, & præcipere tertius; inde probatur, quod actus præceptivus, qui cùm importet non motionem simpliciter, quæ pertinet ad voluntatem, sed motionem cum quadam ordinatione; & ideò est actus rationis, quòd sit præcipuus prudentiæ actus. Vnde non ideò attribuit Aug. prudentiæ præcavere insidias, quasi sit actus principalis ipsius, sed quia iste actus non restat in patria. *Secundum est*, quia hujus insuper signum est, quod in arte putatur melior artifex, qui volens peccat, quasi habens rectum judicium; cùm tamen in prudentia vocetur è contra imprudentior, qui volens peccat, quasi deficiens in principali actu prudentiæ, qui est præcipere.

Vtrum solicitudo pertineat ad prudentiam. ART. 9.
℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod prudentis sit, ut sit solers citus in prosequendo ea, quæ sunt agenda; & quidem quanvis cum certitudine prosequatur. *Primum est*, quia cùm oporteat, ut ait Philos. operari quidem citò & velociter consiliata, cõsiliari autem tardè; & præcipuus prudentiæ actus sit circa agenda præcipere de præconsiliatis, & judicatis; ideò & esse debet prudens solicitus, quasi solers citus in prosequendo ea quæ sunt agenda, motu scilicet non simpliciter dictò, qui spectat-

In 6. Ethic. cap. 9.

ad vim appetitivam, ſed ſecundùm directionem, & præceptum rationis, in quo conſiſtit ratio ſolicitudinis. Vnde magnanimus, qui ſimul prudens eſt, non ideò dicitur eſſe piger, & otioſus, ex Philoſ. quaſi de nullo ſit ſolicitus, ſed quia non eſt ſuperfluè ſolicitus de multis, ſed confidit in his, de quibus confidendum eſt. *Secundum eſt*, quia cùm certitudo ſit in unaquaque materia ſecundùm proprium modum, & materia prudentiæ ſint ſingularia contingentia, circa quæ ſunt operationes humanæ, ideo non poteſt certitudo prudentiæ tanta eſſe, quod omnino ſolicitudo tollatur.

In 4. Ethic. cap. 3.

ART. 10. *Vtrum prudentia ſe extendat ad regimen multitudinis.* ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet quod & quærat nedum bonum proprium, ſed etiam commune; & quærendo bonum commune, ex conſequenti etiam quærat bonum proprium. *Primum eſt*, quia cùm quærere tantùm bonum proprium repugnet charitati, quam prudentia comitatur, quæ quidem non quærit quæ ſua ſunt, ut ait Paulus; necnon repugnet rationi rectæ, quæ judicat bonum commune eſſe melius, quàm bonum unius; ideò prudentiæ eſt non ſolùm quærere bonum unius, ſed etiam commune; imò etiam temperantia & fortitudo poſſunt ad bonum commune referri, propter quod dantur de earundem actibus præcepta legis; ſed tamen magis prudentia & juſtitia, quæ ſcilicet ad rationem ſpectant, ad quam directè pertinent communia. Ita tamen, quod ſicut omnis virtus moralis relata ad bonum cõmune, dicitur legalis juſtitia, ut inſinuat

1. Cor. 13.

D

Philos. ita prudentia relata ad bonum commune vocetur prudentia politica. *Secundum est*, tum quia bonum proprium esse non potest sine bono communi, vel familiæ, vel civitatis: tum quia cùm sit homo pars multitudinis, partium autem dispositio accipiatur secundùm habitudinem ad totum, ut ait Aug. ideò qui quærit bonum commune multitudinis, ex consequenti quærit & bonum proprium. In 5. Ethic. cap. 1. Lib. 3. Conf. cap. 8.

Vtrum prudentia, quæ est respectu boni proprii, sit eadem specie cum ea, quæ se extendit ad bonum commune. ℞. *Negativè*, ita quod alia sit formalis ratio in objecto prudentiæ simpliciter dictæ, & alia, & alia in objecto œconomicæ, & politicæ. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ratio formalis eorum quæ sunt ad finem, attendatur ex parte finis, unde & oportet ut secundùm relationem ad diversos fines diversificentur species habitus; ideò cùm bonum unius, & bonum familiæ, & bonum civitatis sint diversi fines, erunt per consequens diversæ speciei prudentiæ, alia scilicet prudentia simpliciter dicta, quæ est ad bonum proprium, alia œconomica, & alia politica; adeò ut dicens Aristoteles, quod politica, & prudentia sunt idem habitus, ibi solùm loquatur de prudentia secundùm quandam rationem communem, ut est recta ratio agibilium, quæ quidem dicitur politica secundùm ordinem ad bonum commune. Vnde quod alibi dicit, eandem esse virtutem viri boni, & Principis, hoc ideò dicit, quia ad virum bonum pertinet bene posse principari, & benè subjici; non autem quòd virtus Principis, & virtus sub- ART. II. Lib. 6. Ethic. cap. 8. Lib. 3. Polit. c. 3.

diti non differant specie; & quidem quamvis bonum unum ordinetur ibi ad alterum, utpote ex quo solùm sequitur, unum esse præstantius altero, non autem idem specie.

ART. 12. *Vtrum prudentia sit etiam in subditis, & non tantùm in Principibus.* ℞. *Affirmativè*; non quidem in quantum subditi sunt, sed in quantum participant arbitrium rationis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm quilibet homo secundùm arbitrium rationis participet aliquid de regimine, in quo consistit ratio prudentiæ; ideò non est quidem prudentia virtus subditi, in quantum subditus est, nec servi, ut servus; quia hac ratione non est eorum regere, & gubernare, sed gubernari & regi; bene tamen in quantum rationis arbitrium participant, sic enim servus consiliativus est, licèt non sit consiliativus prout sub potestate domini; & licèt non præcipiat aliis, tamen ut rationalis potest sibi ipsi præcipere, quod sufficit.

ART. 13. *Vtrum prudentia possit esse in peccatoribus.* ℞. *Negativè*, loquendo scilicet de prudentia simpliciter dicta, non autem dicta per similitudinem, vel imperfecta. *Primum est*, quia cùm prudentia simpliciter dicta sit ea, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè consiliatur, judicat, & præcipit; & hæc esse non possit in peccatoribus: tum quia non consistit in sola cognitione, sicut fides, quæ propterea esse potest cum peccato; sed importat ordinem ad rectum appetitum, & rectam æstimationem, nec potest consequenter esse sine virtutibus moralibus: tum quia non possunt peccatores esse perfectè consiliativi ad finem bonum

totius vitæ, quia consilium ad effectum non perducunt, esto quod esse possint consiliativi ad finem malum, vel ad particulare bonum; ideò nec potest in peccatoribus esse vera, & perfecta, seu simpliciter dicta prudentia. Vnde nec illud, Filii hujus seculi prudentiores sunt, &c. intelligitur de prudentia simpliciter dicta, sed de falsa, sive similitudinaria; & ideò subdit, In generatione suâ. *Secundum est*, quia prudentia dicitur falsa, seu per similitudinem, quâ quis disponit ad malum finem aliqua congruentia illi fini, quo modo potest dici prudens latro; quæ quidem est in peccatoribus, sed in illis tantùm, ad differentiam prudentiæ veræ, sed imperfectæ, quæ convenire potest bonis, & malis, utpote quæ talis dicitur, vel quia illud bonum non est communis finis totius humanæ vitæ, sed alicujus specialis negotii; unde prudens negotiator, vel nauta dicitur: vel quia non efficaciter præcipit. Luc. 16.

ART. 14.

Vtrum prudentia sit in omnibus habentibus gratiam. ℞. *Affirmativè*, si tamen sit sermo de prudentia gratuita, non de acquisita. *Primum est*, quia cùm virtutes sint necessariò connexæ, ita ut qui unam habet, habeat omnes, ut dictum est; & qui habet gratiam, habeat & charitatem, ideò & prudentiam habet simul cum aliis virtutibus gratuitis & infusis, adeo ut nullus habens gratiam careat industria sufficienti ad ea quæ sunt de necessitate salutis, quod sufficit ad habendam prudentiam; & quidem quanvis aliorum indigeat consilio, cùm saltem in hoc sibi prudenter consulere sciat, si gratiam habet, ut aliorum re- 1. 2. q. 65. art. 1.

quirat consilium, & discernat bona à malis. *Secundum est*, quia cùm prudentia acquisita indigeat ad exercitium actuum experimento & tempore, ideò nec potest esse in juvenibus, quanvis gratiam habentibus, nec secundum habitum, nec secundùm actum.

ART. 15. *Utrum prudentia insit nobis à natura.* ℞. *Negativè*, non quòd non possit unus ex naturali dispositione esse aptior ad discernendum quæ fini conveniunt, sed ita quod ex hoc quod est prudentia circa ea quæ sunt ad finem, esse non possit naturalis. *Primum est*, tum quia quantum ad universalem cognitionem prudentiæ licèt prima, & universaliora principia sint naturaliter nota; alia tamen principia minùs universalia, & posteriora, sive sint rationis speculativæ, sive practicæ, habentur tantùm vel per inventionem, vel per disciplinam: tum quia quantum ad particularem cognitionem eorum, circa quæ operatio consistit, licèt ubi operatio consistit circa finem, quia fines recti humanæ vitæ sunt determinati, possit esse circa eos naturalis inclinatio per aliquam naturalem virtutem, & rectum judicium, in quo quidem ordine ad fines intelligendus est Aristoteles, cùm dicit, naturalia esse ea, quæ ad prudentiam pertinent; quia tamen prudentia propriè eorum est, quæ sunt ad finem, & hæc respectu hominis, qui cognoscitivus est universalium, & consequenter ad infinita singularia se extendens, non sint determinata, sicut sunt determinata in brutis, quibus propterea sunt naturales prudentiæ; sed varientur pro diversitate

negotiorum, &c. ideò ex hoc quod est prudentia circa ea, quæ sunt ad finem, esse non potest naturalis. *Secundum est*, quia sicut circa conclusiones speculativarum scientiarum unus ex naturali dispositione potest aptior esse ad discernendum, sic & ad media discernenda in ordine ad finem. Vnde & in senibus magis est prudentia, propter scilicet naturalem dispositionem quietantem motum passionum sensibilium, quanvis non ea solùm de causa, sed insuper propter experientiam longi temporis.

Vtrum prudentia possit amitti per oblivionem. ℞. *Negativè*, non quòd non possit oblivio aliquod afferre prudentiæ impedimentum, sed ita quod non directè tollatur per oblivionem. *Primum est*, quia cùm oblivio respiciat cognitionem tantùm, & prudentia non consistat in cognitione solùm, sed etiam in appetitu, & in applicatione ad opera, quam quidem non corrumpit oblivio universalium; ideò licèt scientia, quia est in sola ratione, possit directè amitti oblivione, non tamen prudentia, sed magis corrumpitur per passiones, juxta illud Philosophi, quod delectabile, & triste subvertunt æstimationem prudentiæ. Et quidem quanvis virtus ex eisdem generetur, & corrumpatur, quandoquidem prudentiæ experimentum non ex sola acquiritur memoria, sed exercitio rectè præcipiendi. *Secundum est*, quia cùm procedat prudentia ad præcipiendum ex aliqua cognitione universalium, quæ per oblivionem tolli potest, ideò & potest ex hac parte per oblivionem impediri.

ART. 16.

In 6. Ethic. cap. 5.

IN QVÆSTIONEM XLVIII.

De partibus prudentiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum convenienter assignentur tres prudentiæ partes.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non plures enumerari possint, sed ita quod omnes enumeratæ vel sint integrales, vel subjectivæ, vel potentiales. *Ratio utriusque partis est*, quia vel dicuntur prudentiæ partes illæ, quas necesse est concurrere ad perfectum actum illius, & hæ sunt integrales, quæ quidem sunt numero octo, quinque ad eam pertinentes, ut est cognoscitiva, scilicet memoria, si cognitio sit præteritorum; si præsentium, intellectus; si acquiratur per disciplinam, docilitas; si per inventionem, custochia, vel solertia; si consideretur in usu, ut à quibusdam cognitis procedit ad alia cognoscenda, dicitur ratio: tres autem aliæ, prout est præceptiva, quatenus ratio illa ut rectè præcipiat, debet primò ordinare aliquid commodum ad finem, unde providentia; deinde attendere circunstantias, unde circunspectio; postea vitare impedimenta, unde cautio. Si autem dicantur prudentiæ partes, quia sunt species ejus, tunc partes dicuntur subjectivæ, quæ sunt numero tres; alia prudentia, quâ quis regit seipsum; alia quâ regit multitudinem, quæ quidem si sit circa speciale negotium, ut circa exercitum, dicitur prudentia militaris, &c. si unius familiæ, œconomica; si civitatis vel regni, politica: ita tamen quod œconomica, & politica hîc accipiantur, non ut scientiæ sunt, sed ut sunt prudentiæ quædam; nec etiã ibi accipiantur species ejus largè pro habitu ratiocinativo ex uno ad aliud,

cùm sic Rhetorica, Dialectica, & Physica dici possint prudentiæ partes. Vel certè dicuntur prudentiæ partes, quia sunt virtutes quædam ipsi adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus; & hæ dicuntur potentiales partes, quæ sunt eubulia, quæ est circa consilium; & synesis, quæ est circa judicium: sicque tres sunt prudentiæ partes, ad quas singulæ reducuntur; ita tamen quod & solicitudo contineatur sub providentia, sub qua etiam includit Cicero cautionem, circumspectionem, &c. nec ponantur memoria, intellectus, &c. partes prudentiæ secundùm eorum communitatem, sed prout pertinent ad ea, de quibus est prudentia.

IN QVÆSTIONEM XLIX.

De singulis prudentiæ integralibus partibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum memoria sit pars prudentiæ. ℞. *Affirmativè*, ita quod ad prudentiam requiratur plurium habere memoriam, esto quod à natura sit memoria, sitque in parte sensitiva. *Primum est*, quia cùm prudentia sit circa contingentia operabilia, in quibus homo potest tantùm per ea dirigi, quæ ut in pluribus accidunt, cùm oporteat ut principia sint proportionata conclusionibus; ideò quia scire quid in pluribus sit verum, id contingit experimento, quod fit ex memoria, ut Arist. docet, requiritur per consequens ad prudentiam plurium habere memoriam, quæ proinde convenienter ponitur prudentiæ pars integralis, & quidem quanvis sit præteritorum, utpote cùm ex præteritis oporteat argumentum sumere de futuris. *Secundum est*, quia quanvis sit memoria in parte sensitiva, Lib. 6. Ethic. c. 1.

quia tamen applicat prudentia universalem cognitionem ad particularia, quorum est sensus, ideò & adhuc est memoria pars prudentiæ; sicut & quanvis sit à natura, utpote cùm adhuc multùm arte perficiatur, exercitio scilicet horum quatuor: 1. si quis eorum, quorum vult recordari, similitudines assumat, nec omninò consuetas, quandoquidem spirituales intentiones faciliùs ex anima elabuntur, nisi similitudinibus corporalibus quasi alligentur: 2. si sua consideratione ea ordinatè disponat, quatenus uno memorato faciliùs ad alterum proceditur: 3. si ad ea solicitudinem apponat, & affectum adhibeat, quia quanto magis aliquid impressum fuerit, tanto minùs elabitur: 4. si frequenter meditemur quæ memorari volumus, juxta quod dicit Philos. quod meditationes memoriam salvant.

Lib. de memor. art. 3.

ART. 2. *Vtrum intellectus sit pars prudentiæ.* ℞. *Affirmativè*; si tamen sumatur intellectus, non pro virtute intellectiva, aut Spiritus sancti dono; sed pro recta æstimatione alicujus extremi principii, quod accipitur ut per se notum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm prudentia sit recta ratio agibilium, & omnis processus rationis sit ab aliquo intellectu, est etiam ad prudentiam requisitus intellectus; cúmque non sic requiri possit ut prudentiæ pars, secundùm quod est virtus intellectualis, utpote qui condividitur tunc contra prudentiam; sed neque ut est donum Spiritus sancti, utpote quod est solùm acuta quædam perspectio divinorum, restat ut ibi sumatur intellectus pro recta æstimatione alicujus extremi

principii, seu finis alicujus particularis, qui accipitur ut per se notus: quæ quidem æstimatio dicitur intellectus in quantùm est alicujus principii, sicut & sensus, ut est de aliquo particulari.

Vtrum docilitas debeat poni pars prudentia. ℞. *Affirmativè*, non quòd non utilis sit docilitas ad quamlibet virtutem intellectualem, sed ita quod præcipuè ad prudentiam pertineat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm homo in particularibus operabilibus, quæ ad prudentiam pertinent, in quibus sunt infinitæ diversitates, quæ quidem non possunt ab uno sufficienter considerari, indigeat maximè ab alio erudiri, & maximè, ut Sapiens, & Arist. docent, à senibus; ideò cùm hoc pertineat ad docilitatem, ad prudentiam præcipuè pertinebit docilitas, esto quod ad omnem requiratur virtutem intellectualem; & quidem quanvis docilitas sit à natura, utpote quæ adhuc studio perficitur, ac industriâ, dum solicitè, frequenter, & reverenter applicat homo animum suum documentis majorum. Imò & quanvis docilitas sit discipuli, cujus quidem, in quantum talis, non est præcipere aliis, utpote cùm adhuc præcipiat sibi ipsi, quod sufficit. ART. 3. Prov. 1. Lib. II. Ethic. cap. II.

Vtrum solertia sit pars prudentia. ℞. *Affirmativè*, non quòd omnis solertia sit pars prudentiæ, sed ita quod pars prudentiæ sit, ut est prompta, & facilis conjecturatio circa inventionem medii. *Primum est*, quia solertia, quæ ad hoc pertinet, ut homo benè se habeat ad rectam acquirendam æstimationem per seipsum, cùm sic accepta pro facili, & prompta conjecturatione circa ART. 4.

inventionem medii, ſub qua ratione idem eſt quod cuſtochia, definiri ſoleat, Habitus qui provenit ex repentino, inveniens quod congruit; ideò cùm hoc pertineat ad prudentiam, nec ſolùm ſe habeat in demonſtrativis, ſed etiam in operativis, eſt conſequenter ſub ea ratione pars prudentiæ, & quidem etiam valens ad bene conſiliandum, licèt oporteat conſiliari tardè, & ſolertia ſit conjectura velox, quando ſcilicet ex improviſo occurrit aliquid agendum. *Secundum eſt*, quia ſolertia ſe etiam habet ad facilè invenienda media in demonſtrationibus, ex Philoſ. cùm tamen ratio prudentiæ non ſit demonſtrativa, ſed contingentium.

Lib. 1. poſter. cap. 5.

ART. 5. *Vtrum ratio debeat poni pars prudentiæ.* ℞. *Affirmativè*, ſi tamen ſumatur ibi ratio non pro potentia rationis, ſed pro bono ipſius uſu. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm prudentis opus ſit eſſe bene conſiliativum, ex Ariſt. & conſilium ſit inquiſitio quædam ex quibuſdam ad alia procedens, quod eſt opus rationis; ideò & eſt ratio pars integralis prudentiæ, tanquam id quod exigitur ad perfectionem ipſius, adeo ut licèt in aliis quibuſdam virtutibus intellectualibus, & artibus ſit certior ratio, quàm in prudentia; ad prudentiam tamen maximè requiratur, ut ſcilicet poſſit homo benè applicare univerſalia principia ad particularia, quæ ſunt varia, & incerta. Si tamen ſumatur ibi ratio, non pro potentia rationis, utpote quæ potiùs eſt prudentiæ ſubjectum; ſed pro bono rationis uſu, qui quidem alius eſt, & conſequenter alia prudentiæ pars ab uſu intellectus, cujus nomen ſumitur

In 6. Ethic. cap. 5.

sumitur ab intima penetratione veritatis, cùm tamen nomen, & usus rationis sumatur ab inquisitione, & discursu.

Vtrum providentia poni debeat pars prudentiæ. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod & importentur in providentia, quæ ad prudentiam pertinent, & importentur ut in principaliori parte. *Primum est*, quia cùm prudentia propriè sit circa contingentia futura operabilia, ut sunt per hominem in finem humanæ vitæ ordinabilia, præterita namque, & præsentia, ut præsentia sunt, necessitatem habent; ideò cùm providentia importet respectum quendam alicujus distantis, ad ea quæ in præsenti occurrunt & ordinanda sunt, quo fit ut non dicatur propriè in speculativis, eo quòd universalia, & necessaria non sint secundùm se distantia, & procul; necnon & importetur in ratione providentiæ rectitudo consilii, judicii, & præcepti, quia sine his esse non potest recta ad finem ordinatio, importat per consequens providentia quæ ad prudentiam pertinent. *Secundum est*, quia cùm omnes aliæ partes, quæ ad prudentiam requiruntur, ad hoc necessariæ sint, ut aliquid rectè ordinetur in finem, quod per se spectat ad providentiam, ideò & est providentia pars principalior, necnon denominans, adeò ut dicatur prudens, quasi procul videns, unde est providentiæ nomen. ART. 6.

Vtrum circumspectio possit esse pars prudentiæ. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod ad prudentiam necessaria sit circumspectio, sed aliter quàm ad alias virtutes morales. *Primum est*, quia cùm ad prudentiam per- ART. 7.

tineat ut rectè ordinet ad finem, & ut finis sit bonus, & id quod ordinatur ad finem sit bonum, & conveniens fini; ideò quia circa singularia operabilia contingit aliquid ex se consideratum esse bonum, & conveniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur vel malum, vel non opportunum ad finem, inde fit, quod necessaria sit prudentiæ circumspectio, ut scilicet homo quæ ordinantur in finem, conferat etiam cum his quæ finem actu circumstant, quæ quidem finita sunt, licèt quæ possunt circumstare sint infinita. Ad providentiam namque pertinet quidem prospicere id, quod est per se conveniens fini; sed ad circumspectionem pertinet an id sit conveniens fini secundùm ea quæ circumstant. *Secundum est*, quia circumstantiæ ad prudentiam pertinent, sicut ad determinandum eam; cùm tamen ad virtutes morales pertineant in quantum per circumstantiarum determinationem perficiuntur.

ART. 8. *Vtrum cautio debeat poni pars prudentiæ.* ℟. *Affirmativè*, non quòd prudentia sit necessaria, ut quis sibi caveat à virtutibus; sed ut sibi caveat ab eis, per quæ impediri possunt actus virtutum. *Primum est*, quia ea circa quæ est prudentia, cùm sint contingentia operabilia, in quibus sicut verum potest falso admisceri, ita malum bono, propter multiformitatem hujusmodi operabilium, in quibus habent mala multoties speciem boni; ideò & opus est cautione, ut sic accipiantur bona ut vitentur mala, quæ possent actus impedire virtutum, quæque secundùm quod in pluribus evenire solent,

ut à cautione attenduntur, finita sunt, esto quod mala, quæ casualiter accidunt, & ut in paucioribus, sint infinita. *Secundum est*, quia cùm nemo virtutibus malè utatur, ut dicit Aug. ideò nec ut quis sibi caveat à virtutibus, ponitur cautio, sed ut sibi caveat ab eis, per quæ impediri possunt actus virtutum. Licèt enim cavere mala, & prosequi bona ejusdem rationis sint, tamen aliqua vitare impedimenta extrinseca ad aliam pertinet rationem, & sic cautio differt à providentia, quæ providet bona.

IN QVÆSTIONEM L.

De partibus subjectivis prudentiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum regnativa debeat poni species prudentiæ. ℟. *Affirmativè*, ita scilicet quod regnanti, seu Regi prudentia competat secundùm specialem, & perfectissimam sui rationem, imò & magis ponatur regnativa species prudentiæ, quàm justitiæ. *Primum est*, quia cùm ibi sit specialis ratio prudentiæ, ubi est specialis ratio regiminis, quandoquidem prudentiæ est regere, & præcipere; & in eo qui regnum vel civitatem regit, fit speciale regimen, cùm non solùm se, sed etiam alios regat, & quidem tanto perfectiori regimine, quo ad plura se extendit; ideò & est regnativa species, & quidem perfectissima prudentiæ: ita tamen, quod sub regnativa, quanvis denominetur à regno, quia regnum est optimum regimen inter alias politicæ species, alia tamen contineantur regimina recta, quibus etiam non convenit leges condere, nisi ut participant de regimine Regis. *Secundum est*, quia cùm dirigere magis pertineat ad Regem, exequi autem

ad ſubditos; ideò & regnativa magis poni debet ſpecies prudentiæ, quæ eſt directiva omnium, quæ pertinent ad alias virtutes, quàm juſtitiæ, quæ eſt exequutiva.

ART. 2. *Vtrum politica convenienter ponatur ſpecies prudentiæ.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & alia ſit ſpecies à regnativa, & alia etiam à prudentia communiter dicta. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm homines aliter moveantur à ſuis ſuperioribus, quàm moveantur irrationalia & inanimita à ſuis motoribus, utpote quæ ab alio tantùm aguntur, & non agunt ſe, adeo ut rectitudo regiminis ipſorum non ſit in ipſis, ſed ſolùm in motoribus; cùm tamen homines ita ab aliis agantur per præceptum, ut etiam agant ſeipſos per liberum arbitrium: ideò & in hominibus requiritur quædam rectitudo, & prudentia regiminis, per quam ſeipſos dirigant in obediendo principantibus, quæ dicitur politica, quæ proinde alia eſt ſpecies à regnativa, eſto quod eadem ſint quæ oportet regnantem præcipere, & ſubditum exequi, utpote cùm adhuc ſint diverſæ rationes, altera præcipientis, altera obedientis; ſed & alia à prudentia communiter dicta, cùm per hanc homo ſeipſum dirigat in ordine ad bonum proprium tantùm, at per politicam in ordine ad bonum commune. Cum quo tamen ſtat, quod regnativa adhuc dicatur pars prudentiæ politicæ, non quòd politica non ſit pars, ſed quia prudentia ſubditorum, quæ deficit à prudentia regnativa, retinet ſibi nomen commune, ut politica dicatur.

ART. 3. *Vtrum œconomica debeat poni ſpecies prudentiæ.* ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet quod

ſicut prudétia communiter dicta, & regitiva unius diſtinguitur à politica prudentia; ſic & œconomica ab utraque. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ratio objecti diverſificata ſecundùm univerſale, & particulare, vel ſecundùm totum & partem, diverſificet artes, & virtutes, unde una principalis eſt reſpectu alterius; & domus medio modo ſe habeat ad ſingularem perſonam, & ad civitatem, vel regnum, quia ſicuti perſona eſt pars domus, ita domus pars civitatis; ideò ſicuti prudentia regitiva unius diſtinguitur à politica, ita œconomica ab utraque. Vnde cùm ait Ariſt. eſſe œconomicam ad divitias, id non intelligendum tanquam ad finem ultimum, ſed ut ad inſtrumenta; ſed nec œconomica eſt malorum, utpote cùm peccatores licèt poſſint providè aliqua diſponere in domo, non tamen ipſum totum bene vivere domeſticæ converſationis, ad quod quidem requiritur vita virtuoſa: cum quo tamen ſtat, quod quia pater in domo non habet perfectam poteſtatem regiminis, ſicut habet Rex, nec etiam ponatur paterna poteſtas ſeparatim & ſpecialiter ſpecies prudentiæ, ſicut ponitur regnativa. Lib. 1. polit. c. 5.

Vtrum militaris debeat poni ſpecies prudentiæ. ℞. *Affirmativè*, non quòd non poſſit dici ars, ſed ita quod magis habeat rationem prudentiæ. *Primum eſt*, quia cùm natura ad duo tendat, ſcilicet ad regendam unamquanque rem in ſe, & ad reſiſtendum contrariis, propter quod & indidit unicuique vim concupiſcibilem, & iraſcibilem; & ea quæ ſecundùm rationem aguntur, conformari debeant naturæ, quæ ſecundùm ART. 4.

rationem divinam fuit instituta; ideò præter politicam prudentiam, quâ disponuntur quæ pertinent ad bonum commune, dari debet & alia species, scilicet militaris, quâ repellantur hostium insultus; & quidem quanvis alia negotia civitatis non propterea constituant species prudentiæ, utpote quæ ordinantur solùm ad particularem aliquam utilitatem, non publicam, ut militaris. *Secundum est*, quia quanvis militaris, cujus quidem directio ad prudentiam pertinet, esto quod exequutio pertineat ad fortitudinem, magis habeat rationem prudentiæ secundùm quod ordinatur ad bonum commune; quia tamen quasdam etiam habet regulas rectè utendi quibusdam exterioribus rebus, putà armis, & equis, ideò nihil prohibet, ut etiam secundùm hanc rationem dicatur ars.

IN QVÆSTIONEM LI.

De virtutibus adjunctis prudentiæ, seu potentialibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum eubulia sit virtus. ℞. *Affirmativè*, ita quod ad bonum consilium, unde dicitur eubulia, detur virtus, quanvis non talis, quæ debeat à consilio omnem excludere imperfectionem. *Primum est*, quia cùm virtus humana sit quod facit actum hominis bonum, utpote quod est de ratione virtutis; & eubulia sit talis, quia facit benè consiliari, unde dicitur ab *Eu*, quod est bonum, & *Bule*, quod est consilium; ideò & habet quà talis rationem virtutis, adeò ut nec ullus eubuliâ malè utatur, quia mala consilia, & ad malos fines, ex Arist. sunt contra rationem eubuliæ; & in nullo peccatore inveniatur, quandoqui-

Lib. 6. Ethic. cap. 9.

dem omne peccatum eſt contra bonam conſiliationem, ad quam quidem non ſolùm requiritur inventio opportunorum ad finem, ſed aliæ etiam circunſtantiæ, ut tempus congruum, modus in conſiliis, &c. quæ peccatores non obſervant. *Secundum eſt*, quia cùm virtus humana ſit perfectio ſecundùm modum hominis, qui quidem non poteſt per certitudem comprehendere veritatem rerum ſimplicium intuitu ſimplici, & præcipuè in agibilibus, quæ ſunt contingentia; ideò nec debet eubulia talis eſſe virtus, quæ excludat à conſilio imperfectionem dubitationis, & inquiſitionis.

Vtrum eubulia ſit virtus diſtincta à prudentia. ℞. *Affirmativè*, ita quod actus, ad quos principaliter ordinantur, & diverſi ſint, & diverſæ ſint bonitatis; quanvis non ita, quin ſit eubulia ad prudentiam ordinata. *Primum eſt*, quia actus conſiliativus, qui quidem eſt elicitivè ab eubulia, & ſolùm imperativè à prudentia, & actus præceptivus diverſi ſunt, necnon diverſæ bonitatis, cùm ex alio efficiatur homo benè conſiliativus, & ex alio benè præceptivus, imò & unum quandoque invenitur ſeparatim ab altero; proindeque & alia eſt virtus eubulia à prudentia, cujus eſt præcipere, & quidem quanvis habeant eundem finem ultimum, utpote quæ adhuc habent diverſos fines proximos. Quin imò etiam in ſpeculativis alia ſcientia eſt dialectica, cujus eſt invenire, & alia demonſtrativa, cujus eſt determinare veritatem. *Secundum eſt*, quia ſicut conſiliari ordinatur ad præcipere, ut ad principalius, ſic & eubulia ut ad principaliorem virtutem, ſine ART. 2.

qua non esset virtus, sicut nec aliæ morales.

ART. 3. *Utrum synesis sit virtus.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod & alia sit ab eubulia, quæ est ad benè consiliandum; & alia à prudentia, quæ ad benè præcipiendum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm oporteat ut secundùm diversitatem actuum, qui non reducuntur ad eandem causam, sit etiam diversitas virtutum; & bonitas judicii non reducatur ad causam bonitatis consilii, cùm multi sint benè consiliativi, sed non eusyneti, idest benè sensati, quasi rectè judicantes post inquisitionem consilii; sed nec etiam reducatur ad causam bene præcipiendi, cùm contingat quandoque, quod bene judicatum differatur, vel negligenter agatur, quia non benè præcipitur; ideò synesis, quæ rectum importat judicium circa operabilia, quod quidem potest in malis esse rectum in universali, non autem in particulari, habet esse virtus, & quidem alia & ab eubulia, & à prudentia. Cum quo tamen stat, quod rectum hoc judicium, quod in eo consistit, quod vis cognoscitiva rem apprehendat ut est in se, pertineat quidem ad synesim, ut est specialis virtus, quando hoc provenit directè, ex eo scilicet, quod cognoscitiva virtus non est imbuta falsis conceptibus, sed veris & rectis; sed etiam indirectè ad virtutes morales, quando hoc indirectè provenit ex bona dispositione appetitivæ virtutis, quæ quidem consequitur habitum virtutum moralium.

ART. 4. *Utrum gnome sit specialis virtus.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit synesis verè

judicativa de omnibus, quæ secundùm communes regulas fiunt, sed quia præter communes regulas sunt quædam alia dijudicanda per gnome. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm contingat aliquando aliquid facere præter communes regulas; de quibus est synesis, in quibus per consequens judicandum est secundùm altiora principia, putà cùm impugnatori patriæ non est depositum reddendum; & ut habitus cognoscitivi distinguuntur secundùm altiora, vel inferiora principia, ut sapientia, & scientia, ita & habitus activi; ideò & altior requiritur virtus, quàm synesis ad judicandum, quæ quidem vocatur gnome, quæ importat perspicacitatem quandam judicii; non quòd non sufficiat synesis ad verè judicandum de omnibus quæ secundùm communes regulas fiunt, utpote cùm secundùm synesim dicatur aliquis benè judicativus; sed quia præter communes regulas sunt quædam alia dijudicanda. Vnde est quidem eubulia una virtus, quia inquisitio consilii est una de omnibus; & similiter prudentia una, quia præceptum in omnibus requirit unam rationem boni, non ita tamen de synesi, quæ est judicativa, cùm debeat judicium sumi ex propriis principiis rei, & ita debeat per aliam sumi virtutem, quando sumitur per altiora & communiora principia; & quidem quanvis quæ per ea judicantur, nobis casualia sint, & spectantia ad Dei providentiam, utpote cùm inter homines qui magis perspicax est, ad quod ponitur gnome, possit plura horum sua ratione dijudicare.

IN QVÆSTIONEM LII.

De dono consilii.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum consilium debeat poni inter dona Spiritus sancti. ℟. Affirmativè, non quòd non sit homo bene consilians per prudentiam, vel eubuliam; sed ita quod etiam per modum consilii eum oporteat moveri à Spiritu sancto. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm dona Spiritus sancti sint dispositiones, quibus anima redditur benè mobilis ab ipso, & Deus moveat unumquodque ad modum ejus, quod movetur; ideò cùm proprium sit homini ut moveatur per rationis inquisitionem, quæ consilium dicitur, debet Spiritus sanctus eum etiam per modum consilii movere, adeò ut agantur filii Dei à Spirito sancto, sed salvo libero arbitrio, sicque per consilii donum: & quidem quanvis dicatur homo benè consiliativus per prudentiam, & eubuliam, utpote quod non ita dicitur, nisi secundùm ea quæ humana ratio potest comprehendere, quæ quidem cùm omnia comprehendat, quæ occurrere possunt, juxta illud, Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ; ideò & adhuc egemus à Deo per donum consilii dirigi. Vnde quod à Deo consilium habeamus de his, quæ sunt ad salutem necessaria, est commune omnium Sanctorum donum, esto quod quantum ad hoc, quod quis rectè aliis consilium præbeat, possit esse gratia gratis data, nec esse commune omnibus gratiam habentibus sanctificantem.

Sap. 9.

ART. 2. *Vtrum donum consilii respondeat virtuti prudentiæ.* ℟. *Affirmativè*, non quòd ei non

reſpondeat ſcientiæ donum per extenſionem,ſed ita quod directè ei reſpodeat donum conſilii. *Primum eſt*, quia cùm principium motivum inferius juvetur, & perficiatur ex hoc, quod movetur à principio ſuperiori, & rectitudo humanæ rationis ſit quid inferius reſpectu rationis divinæ,quæ eſt ſuprema regula; ideò prudentia quæ importat rationis rectitudinem, perficitur prout movetur à Spiritu ſancto, quod pertinet ad donum, & quidem conſilii,non judicii, vel præcepti, eſto quod iſta duo etiam ad prudentiam ſpectent, utpote cùm in donis Spiritus ſancti ſe habeat mens humana ut mota, non ut movens: præcipere autem, & judicare non ſit moti, ſed moventis. Ita tamen quod quia humana mens ex hoc ipſo quod dirigitur à Spiritu ſancto, ſit potens dirigere ſe, & alios,nec etiam tollatur, quin adhuc prudentia dirigat. *Secundum eſt*, quia cùm ſcientiæ donum auxilium præbeat prudentiæ, ideò & ei aliqualiter reſpondet, non quidem directè, quaſi circa eandem exiſtens, ut donum conſilii, cùm ſit in ſpeculativis, ſed per quandam extenſionem.

Vtrum donum conſilii maneat in patria? ART. 3.
℟. *Affirmativè*, non quòd maneat in Beatis ſecundùm omnia, quæ ad ipſum pertinent in præſenti ſtatu; ſed in quantum in eis à Deo continuatur circa agenda cognitio eorum, quæ ſciunt, & illuminatio eorum quæ neſciunt. *Primum eſt*, quia licèt alia ſit diſpoſitio ejus,quod movetur, dum movetur, & alia dum eſt in termino; nihilominus quando movens non tantùm eſt principium motus,quia tunc ceſſante motu,

cessaret actio; sed etiam causa formæ ad quam est motus, non cessat actio moventis, etiam adeptâ formâ, ac proinde cùm hoc modo causet Deus in nobis virtutem, & cognitionem, causabit per consequens & in Beatis, non quidem tanquam ignorantibus, sed quasi continuando in eis cognitionem, & illuminationem, utpote cùm quædam sint, quæ pertinét pertinent ad gubernationem rerum, quæ Beati non cognoscunt. Vnde etiam in Beatis sunt aliqui actus ordinati ad finem, ut sunt illi quibus Deum laudant, vel alios trahunt ad finem; & sic eis competit consilium, quod quidem cùm non sit in Deo, ut in recipiente, sed ut in dante, in hoc etiam conformantur Sancti Deo, tanquam recipiens influenti. *Secundum est*, quia ad consilium secundùm statum præsentis vitæ pertinet dubitatio, quæ quidem non reperitur in patria. Vnde & aliter movetur mens à Deo in viatoribus, & aliter in Beatis, quandoquidem movetur in illis circa agenda, prout sedatur anxietas dubitationis in eis præcedens, cùm tamen in Beatis moveatur solùm ad ea, quæ non cognoscunt ex simplici nescientia, à qua etiam purgantur Angeli, ut ait Dionys. & hoc est Angelos Deum consulere, ex Augustino.

Cap. 7. de div. nom. Lib. 5. super Genesim.

ART. 4. *Vtrum quinta beatitudo, quæ est misericordia, respondeat dono consilii.* ℞. *Affirmativè*, non quòd aliæ ei non respondeant, sed ita quod specialiter respondeat misericordia. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm consilium sit propriè de his, quæ sunt utilia ad finem, proindeque & ea quæ sunt maximè utilia, maximè debeant correspon-

dere dono consilii; ideo cùm ex Apost. misericordia, seu pietas ad omnia utilis sit, debet per consequens specialiter respondere dono consilii, non quidem sicut elicienti, sed sicut dirigenti, adeò ut dirigat quidem in aliis beatitudinibus, cùm sint de actibus virtutum, sicut & in omnibus, quæ sunt ad finem, sive sint de necessitate salutis, sive non; sed tamen specialiter in operibus misericordiæ. Cum quo tamen stat, quod nil ponatur inter fructus, quod respondeat dono consilii, quod dirigit in cognoscendo, utpote cùm fructus importet ultimum, quod quidem in practicis est operatio, non autem cognitio. 1. ad Tim. 4.

IN QVÆSTIONEM LIII.

De vitiis prudentiæ oppositis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum imprudentia sit peccatum. ℞. Affirmativè, & quidem sive sumatur privativè, sive contrariè. *Primum est,* quia cùm imprudentia privativè sumpta supponat non pro ea, quæ à natura est, quæque negative dicitur, sed pro carentia prudentiæ, quam quis natus est habere, & debet habere; ideò & hæc peccatum est ratione negligentiæ, quia non adhibet studium ad prudentiam habendam; & quidem quanvis nemo deformitatem imprudentiæ velit, utpote cùm temerarius adhuc ejus actum velit, dum vult præcipitanter agere. *Secundum est*, quia accipitur imprudentia contrariè, prout ratio movetur, vel agit modo contrario prudentiæ, quod quidem peccatum est secundùm propriam rationem prudentiæ, quandoquidem esse non potest, ut quis contra prudentiam agat, nisi divertendo à regulis, quibus prudentiæ ratio

rectificatur. Vnde est peccatum mortale, si id fiat per aversionem à regulis divinis, ut si quis contemnens divina documenta præcipitanter agat, quia ut ait Sapiens, imprudens dissipat thesaurum gratiæ, quem proinde non nisi per pœnitentiam restituit Deus, restituendo scilicet cum gratia prudentiam infusam, & tollendo habitum contrarium prudentiæ acquisitæ.

Art. 2. *Vtrum imprudentia sit speciale peccatum.* ℟. *Affirmativè*, non quòd non generale sit generalitate generis ad plures species, sed ita quod generale non sit absolutè, & essentialiter respectu omnium peccatorum. *Primum est*, quia quanvis imprudentia per participationem sit ita generale peccatum, ut in omnibus inveniatur vitiis, & peccatis, cùm vitium esse non possit sine aliquo defectu in actu rationis dirigentis; quia tamen non prædicatur de omnibus peccatis, sicut nec prudentia de omnibus virtutibus, ideò nec est generale peccatum per essentiam, & quidem quanvis ponatur ignorantia inter generales causas peccati, nec sit speciale vitium, utpote cùm hoc ideò sit, quia scientia est magis remota à moralibus, quàm prudentia: cum quo tamen stat, quod defectus eorum, quæ requiruntur ad prudentiam, scilicet corruptio circunstantiarum, si habeat idem motivum, non diversificet speciem peccati, ut si quis acciperet non sua, ubi non deberet, & quando non deberet; secus si habeat diversa motiva, ut si unus acciperet ubi non deberet, ut injuriam faceret loco sacro. *Secundum est*, quia sub se continet imprudentia multas species, tum per oppositum

ad diversas species subjectivas prudentiæ, tum etiam ad partes ejus potentiales, juxta quod ad defectum consilii est præcipitatio, sive temeritas; ad defectum judicii, inconsideratio; quantum ad ipsum præceptum est inconstantia, & negligentia: ad quas quidem species reducuntur quæ accipiuntur per oppositum ad partes integrales, ut incautela, & incircumspectio ad inconsiderationem: defectus docilitatis, & memoriæ ad præcipitationem: defectus intelligentiæ, & solertiæ ad negligentiam, & inconstantiam.

Vtrum præcipitatio sit peccatum sub imprudentia contentum. ℟. *Affirmativè*, non quòd nō opponatur præcipitatio dono consilii, sed ita quod etiam prudentiæ contrarietur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm dicatur præcipitatio metaphoricè in actibus animæ per similitudinem ad præcipitationem corporalem, dum scilicet à superiori, quod est in anima ratio, ad imum, quod est operatio per corpus exercita, fertur per impetum voluntatis, prætermissis gradibus mediis, qui quidem ad rectè consiliandum sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in futuris, ratiocinatio & docilitas; ideò cùm hæc inordinatio consilii ad prudentiam pertineat, sub ea etiam continetur præcipitatio, & sub præcipitatione temeritas, utpote potens provenire vel ex impetu voluntatis, aut passionis, vel ex contemptu regulæ dirigentis, quod quidem utrumque respicit præcipitatio, licet magis primum. Ita tamen quod præcipitatio, quæ quidem directiùs opponitur rectitudini consilii, ART. 3.

quàm tarditas superflua, quia oportet consiliari tardè, cùm hoc quod prudentiæ opponitur, opponatur & dono consilii, quandoquidem ad utrumque pertinet rectitudo consilii, cui contrariatur.

ART. 4. *Vtrum inconsideratio sit speciale peccatum sub imprudentia contentum.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod rectitudini judicii specialiter opponatur, si tamen accipiatur in materia agibilium humanorum. *Primum est*, quia cùm consideratio propriè pertineat ad judicium, utpote quia est actus intellectus veritatem rei intuentis; ideò & erit inconsideratio non minùs quàm præcipitatio defectus judicii recti, ex eo scilicet quod homo negligit, aut contemnit attendere ea, ex quibus procedit judicium rectum; proindeque & erit speciale peccatum intra imprudentiæ genus. Vnde cùm ait Dominus, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, non propterea prohibet considerare quæ sunt agenda, vel dicenda, quando scilicet habet homo opportunitatem; sed dat fiduciam, ut opportunitate deficiente, in divino confidat auxilio; aliàs si prætermittat facere quod potest, solum divinum auxilium expectans, videtur tunc Deum tentare. *Secundum est*, quia cùm accepta consideratio ut est circa speculabilia, præcedat omnes istos actus prudentiæ, qui sunt consiliare, judicare, & præcipere; ideò nec est speciale peccatum imprudentiæ, nisi prout accipitur secundùm agibilia humana, circa quæ, quia in singularibus versantur, plura etiam occurrunt consideranda quàm in speculativis.

ART. 5. *Vtrum inconstantia sit vitium sub impru-*

dentia contentum. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod secundùm sui consummationem ad imprudentiam pertineat, non tamen ex parte sui principii. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm omnis defectus rationis practicæ pertineat ad imprudentiam, sicut omnis ejus rectitudo pertinet aliqualiter ad prudentiam; & inconstantia principium quidem habeat in vi appetitiva, juxta quod dicitur, quod zelus & contentio faciunt inconstantiam, propterea quod nemo recedit à priori bono proposito, quod ad inconstantiam pertinet, nisi propter aliquid, quod sibi inordinatè placet; tamen quantum ad sui consummationem pertineat ad defectum rationis, quæ scilidet fallitur dum repudiat id, quod rectè acceperat; ideo & ad imprudentiam pertinet consummativè, adeò ut quanvis contrarietur etiam fortitudini, prout bonum prudentiæ participatur in omnibus virtutibus moralibus, opponatur tamen directè prudentiæ, & quidem circa actum præcepti, sicut inconsideratio circa actum judicii, & præcipitatio circa actum consilii. Vnde & continentia, & perseverantia, quæ sunt species constantiæ, sunt similiter in ratione, non autem in vi appetitiva, esto quod continens patiatur perversas concupiscentias, & perseverans graves tristitias, utpote quia ratio firmiter in utroque persistit. Iacobi 3.

Vtrum prædicta vitia oriantur ex luxuria. ℞. *Affimativè*, non quòd non causentur per alia, tanquam pertrahentia rationem ad aliud; sed ita quod ea maximè causet luxuria, tanquam totaliter extinguens rationis judicium. *Primum est*, quia cùm de- ART. 6.

fectus prudentiæ, & cujuslibet intellectualis virtutis proveniat ex sensibili delectatione, quia delectatio corrumpit maximè æstimationem prudentiæ, cujus quidem perfectio consistit in abstractione à sensibilibus; ideò cùm delectatio sit maximè in venereis, quæ totam animam absorbent, ab ea proinde oriuntur maximè prædicta vitia pertinentia ad defectum prudentiæ; & quidem quanvis vitia spiritualia sint rationi propinquiora, quàm carnalia, utpote cùm carnalia tanto magis extinguant judicium rationis, quanto longiùs abducunt à ratione; imò & quanvis dicatur inconstantia sequi ex duplicitate, quippe quæ licèt per se ad dolositatem pertineat, ut tamen importat vertibilitatem animi ad diversa, est quoddam consequens ad luxuriam. *Secundum est*, quia & invidia, & ira, ut dictum est, inconstantiam causant, sed pertrahendo rationem ad aliud, non autem extinguendo, cùm dicat Philos. quod incontinens iræ audit quidem rationem, sed non perfectè, ad differentiam incontinentis concupiscentiæ, qui totaliter eam non audit.

Iacobi 1. — Art. præc. — In 7. Ethic. cap 6.

IN QVÆSTIONEM LIV.

De negligentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum negligentia sit peccatum speciale. *℟. Affirmativè*, non quidem propter specialem, seu determinatam materiam; sed propter specialitatem actus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm negligentia importet defectum debitæ solicitudinis, & omnis defectus debiti actus peccatum sit, & quidem speciale, ubi est circa specialem actum, & cum oppositione ad specialem virtutem; ideò quanvis diligentia & solici-

tudo requirantur ad quamlibet virtutem, in quantum in unaquaque requiruntur debiti actus rationis; proindeque & inveniatur negligentia aliqualiter in omnibus peccatis, adhuc tamen erit speciale peccatum, non quidem ob specialem materiam, quæ respectu negligentiæ sunt omnia bona, quæ quis agere debet, non quòd sint bona dum negligenter aguntur, sed quia in eis per negligentiam accidit defectus bonitatis; sed propter specialitatem actus se extendentis ad omnem materiam moralem, ut de facto se extendit actus quilibet rationis.

Vtrum negligentia opponatur prudentiæ. ART. 2.
℟. *Affirmativè*, non quidem ex ratione omissionis, vel pigritiæ, & torporis; sed ex oppositione, quam habet ad solicitudinem. *Primum est*, tum quia rectitudo solicitudinis ad prudentiam pertinet, sicque ex hoc quod directè opponitur negligentia solicitudini, opponitur & prudentiæ; tum quia negligens ex Isidoro, cùm dicatur quasi non eligens, & recta electio pertineat ad prudentiam, est etiam negligentia circa prudentiam, & quidem circa actum præcipiendi, sed aliter quàm inconstantia, cùm deficiat inconstans tanquam ab alio impeditus, & negligens ex propria voluntate. Cum quo tamen stat, quod timor Domini faciat negligentiam vitare, ut dicitur; non quòd ei directè negligentia opponatur, sed prout excitat homines ad actus rationis. *Secundum est*, quia & pertinet omissio ad exteriorem actum, sicut & pigritia, & torpor, quæ magis pertinent ad exequutionem actus; cùm tamen consistat negligentia in defectu interioris

Lib. 10. Etym. cap. 13.

Eccles. 7.

actus, ad quem pertinet etiam electio.

Art. 3. *Utrum negligentia possit esse peccatum mortale.* ℞. *Affirmativè*, & quidem tum ex parte ejus, quod prætermittitur, tum etiam ex parte causæ. *Ratio utriusque partis est*, quia quanvis venialis solùm sit, si solùm sit prætermissio actus, vel circumstantiæ, quæ non sint de necessitate salutis, nec fiat ex contemptu; si tamen prætermittitur aliquid, quod est de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia; vel ita sit remissa voluntas circa ea, quæ Dei sunt, ut totaliter à charitate deficiat, tunc mortalis est negligentia, præsertim si adsit contemptus, juxta illud:

Prov. 19. Qui negligit vitam suam mortificabitur. Et quidem quanvis dicatur parva oblatio purgare negligentias, si nimirum humili mente, & pura dilectione fiat, utpote quæ sic facta purgat etiam peccata mortalia; imò

Lib. 9. Mor. cap. 26. & quanvis ex Greg. minor amor Dei negligentiam exaggereret, cùm possit accipi minor ille amor, non solùm per defectum feruoris charitatis, quo modo causatur venialis negligentia; sed etiam per defectum charitatis, ut cùm diligitur Deus solùm amore naturali, in quo sensu mortalem facit negligentiam. Cum quo tamen stat, non fuisse, nec fieri debuisse sacrificium in lege pro hoc peccato, utpote quia sacrificiorum oblatio in lege erat quædam publica protestatio peccati, quæ non est facienda de peccato occulto, ut est negligentia.

IN QVÆSTIONEM LV.

De vitiis prudentiæ oppositis secundùm similitudinem.

VTrum prudentia carnis sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod possit prudentia in malo accipi, & in malo accipiatur prudentia carnis; quanvis non ita de justitia, vel temperantia. *Primum est*, quia cùm dicatur prudentia carnis, non quidem quando licitè amatur caro, & ordinatè, putà cum ordine ad bonum animæ, sed secundùm quod aliquis bona carnis habet ut finem ultimum; ideò cùm hoc peccatum sit, quia per hoc deordinatur homo ad ultimo fine, est etiam prudentia carnis peccatum: & similiter prudentia mundi, quæ quidem potest etiam sic nominari, quia etiam mundus tentat per modum appetibilis; quanvis non propriè dicatur prudentia dæmonis, utpote qui non tentat per modum appetibilis, ad quem tamen finem habet prudentia ordinem; sed per modum suggestionis. *Secundum est*, quia justitia, & temperantia important in sui ratione id, unde laudatur virtus, scilicet æqualitatem, & concupiscentiarum refrenationem; cùm è contra prudentiæ nomen sumatur à providendo, quod etiam ad mala extendi potest, & consequenter in malum accipi. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum prudentia carnis sit peccatum mortale. ℞. *Negativè*, si tamen accipiatur non secundùm absolutam prudentiæ rationem, sed secundùm rationem prudentiæ particularis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm prudentia carnis dicatur accipi secundùm rationem particularis prudentiæ, quando ART. 2.

accipitur in ordine ad aliquem finem particularem, putà ad negotiationem; non autem in ordine ad finem totius vitæ, in ordine ad quem dicitur absolutè prudentia; ideò cùm contingat quandoque, ut aliquis inordinatè afficiatur ad aliquod delectabile carnis, sine hoc quod avertatur à Deo, non autem si in eo finem constituat totius vitæ, erit quidem prudentia carnis mortale peccatum, si ita dicatur secundùm absolutam prudentiæ rationem; hæc enim est
Rom. 8. quæ non est subjecta legi, ex Apost. utpote quæ finem totius vitæ constituit in carne; non tamen si dicatur secundùm rationem prudentiæ particularis. Vnde nec importat talis prudentia peccatum in Spiritum sanctum, quasi is, qui eam habet, non possit subjici Spiritui sancto; sed ipsa solùm prudentia est, quæ non potest Deo subjici, sicut nec quodvis veniale peccatum: sed nec oportet, ut id quod prudentiæ opponitur, sit gravissimum, cùm participetur prudentia ab omni virtute; sed solùm cùm opponitur in aliquo maximo.

ART. 3. *Vtrum astutia sit speciale peccatum.* ℟. *Affirmativè*, ita scilicet quod sit & peccatum quoddam prudentiæ oppositum, & à prudentia carnis distinctum. *Ratio utriusque partis est*, quia sicut dupliciter erratur in speculativis, vel quia inducitur ratio ad conclusionem falsam, quæ apparet vera, vel quia procedit ratio ex falsis; sic & contra prudentiam peccatur, vel quia studium rationis ordinatur ad finem non verè bonum, sed apparentem, quod pertinet ad prudentiam carnis; vel quia ad finem non utitur veris viis, sed apparentibus, quod

ſpectat ad peccatum aſtutiæ, quæ proinde & eſt peccatum quoddam; eſto quod aliquando accipiatur in bono, ſicut & quandoque accipitur prudentia in malo; & quidem etiamſi ſit aſtutia ad bonum finem, cùm ad bonum finem non ſit perveniendum falſis viis; & eſt à prudentia carnis diſtinctum, quanvis non ita quin poſſit comprehendi ſub prudentia carnis, vel mundi, ſi ſub hoc accipiantur omnia, quæ poſſunt ad falſam prudentiam pertinere, quo modo accepit Greg. deſcribens prudentiam mundi. Lib. 10. mor. cap 27.

ART. 4. *Vtrum dolus ſit peccatum ad aſtutiam pertinens.* ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet quod quandam importet exequutionem aſtutiæ, & quidem ſive per verba fiat, ſive per facta. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ad aſtutiam pertineat aſſumere vias ſimulatas ad aliquem finem, & hæc aſſumptio ſicut propriè pertinet ad aſtutiam, ſi conſideretur in excogitatione talium viarum, ſic & propriè pertineat ad dolum, ſi ſpectetur ſecundùm exequutionem operis; ideò dolus, qui tamen aliquando accipitur in bono, ſicut & aſtutia, & ſic datur in viris perfectis, quandam importat exequutionem aſtutiæ; & quidem ſive per verba fiat, ut principaliter fieri ſolet, utpote quæ præcipuum tenent locum inter ſigna humana; ſive etiam fiat per facta, juxta illud: Et dolum facerent in ſervos ejus; Pſal. 105. imò ſive etiam fiat in corde, prout quis dolos excogitat. Licèt enim interdum ſine dolo quis malum inferat per violentiam, adhuc tamen pertinet dolus in corde ad aſtutiam, prout qui cogitat malum facere,

excogitat aliquas vias, ut suum impleat propositum.

ART. 5. *Vtrum fraus ad astutiam pertineat.* ℟. *Affirmativè*, & quidem per modum exequutionis astutiæ, sed per facta, non per verba. *Ratio utriusque partis est*, quia ad idem ordinatur fraus, sed per modum exequutionis, ad quod astutia, putà ad deceptionem, juxta illud: Numquid decipietur ut homo fraudulentiis vestris? Sed tamen per facta, potiùs quàm per verba, utpote in quo propriè consistit dolus. Vnde illud: Quare non magis fraudem patimini? non sic intelligitur, quod debeant fideles velle decipi in cognoscendo, sed quod injurias sustineant fraudulenter illatas. Sed neque huic obstat, quod quidam moliantur fraudes contra animas suas, ut dicitur, utpote quod non intelligitur, quasi ex intentione ipsorum, sed solùm ex justo Dei judicio, ex quo quidem provenit, ut quod aliqui contra alios moliuntur, contra eos retorqueatur. Cum quo tamen stat, nihil prohibere, quod etiam pertineat defraudatio ad avaritiam, & illiberalitatem, cùm executio astutiæ possit per multa fieri vitia.

Job 13. 1. Cor. 6. Proverb.

ART. 6. *Vtrum licitum sit solicitudinem habere de temporalibus rebus.* ℟. *Negativè*, ita quod illicita sit & ex parte ejus quod quæritur, si quæratur ut finis; & ex parte studii adhibiti, si sit superfluum; & ex parte timoris, si nimius sit; esto quod possit esse licita, si moderata sit. *Primum est*, quia ex parte ejus quod quæritur, ideò Dominus dicit ex Aug. Nolite soliciti esse, &c. ut non ista intueamur, & propter ista faciamus quæ jubemur facere in Evangelii prædicatione;

dicatione; per studium verò, quod adhibetur, si sit superfluum, retrahitur homo à spiritualibus: timorem denique illum nimium, & superfluum, quando scilicet quis timet ne faciendo quod debet, sibi necessaria deficiant, excludit, & damnat Dominus primò propter majora beneficia homini divinitus præstita; tum propter subventionem, qua Deus animalibus, & plantis subvenit; tum denique ex divina providentia, propter cujus ignorantiam gentiles soliciti erant. Vnde concludit nostram solicitudinem debere esse de spiritualibus bonis, sperando scilicet, quod etiam temporalia nobis proveniant ad necessitatem, si fecerimus quod debemus. *Secundum est*, quia cùm temporalia bona sint homini subjecta, non quidem ut superfluè circa ea solicitetur, sed ut eis ad necessitatem utatur; ideò ubi solicitudo esset moderata, ut esse potest in eo qui corporali labore panem acquirit, sicut & in operibus misericordiæ, ubi scilicet ordinatur temporalium solicitudo ad finem charitatis, potest tunc esse licita, juxta illud Apost. Si quis non vult operari, non manducet.

Matt. 13. 2. Thess. 3.

Vtrum quis debeat esse solicitus futurorum. ℞. *Negativè*, si nimirum sit talis solicitudo, quæ fiat non congruo, & opportuno tempore, aliisque debitis circumstantiis; sed vel ultra præsentis vitæ necessitatem, vel solicitudinis tempus præveniendo, vel ea quærendo tanquam finem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm omni negotio tempus sit, & opportunitas, utpote cùm debitum tempus sit circumstantia virtuosi actus, quod quidem non solùm in

ART. 7. Eccles. 8.

exterioribus operibus, sed etiam in interiori solicitudine locum habet; ideò sicut qui tempore æstatis de vindemia esset solicitus, malè & superfluè occuparet solicitudinem futuri temporis, quia ut dicitur, sufficit diei malitia sua, id est afflictio solicitudinis; non autem si congruo & opportuno tempore id faciat, juxta illud, Vade ad formicam, utpote cùm ad prudentiam pertineat providentia non superflua, sed opportuna futurorum, proinde fit, quod non debeat quis aliter quàm congruo & opportuno tempore, seu cum debitis circumstantiis esse futurorum solicitus; qualiter quidem solicitus est de crastino, qui propter imminentem famen sibi providet
Joan. 12. necessaria, quandoquidem & Dominus, &
Lib. de serm. Dom. cap. 26. Apostoli hoc fecerunt. Vnde nec prohibetur, si quis humano modo ista procuret, sed si propter ista non militet Deo, ut ait Augustinus.

ART. 8. *Vtrum hujusmodi vitia oriantur ex avaritia,* ℞. *Affirmativè*, ita quod maximè oriantur ex avaritia, tanquam ex vitio maximè justitiæ opposito, & quidem magis quàm ex luxuria, ira, & superbia. *Primum est*, quia cùm habeant prædicta vitia similitudinem quandam cum prudentia in aliquali usu rationis; & usus rationis maximè in justitia consistat, quæ est in appetitu rationali; ideò & maximè apparet usus rationis indebitus, qui est in hujusmodi vitiis, & in vitiis oppositis justitiæ, proindeque in avaritiâ, quæ maximè justitiæ opponitur. *Secundum est*, quia cùm in prædictis vitiis sit aliquis rationis usus, licèt inordinatus; ideò non directè ad luxuriam

pertinet, quæ quidem propter vehementiam delectationis totaliter rationem absorbet, adeò ut quod Arist. venerem dolosam appellet, hoc sit intelligendum secundùm quandam similitudinem, in quantum hominem subitò surripit; sed nec pertinent directè ad superbiam, sicut nec ad ad iram: non ad iram, utpote cùm prædicta vitia non sint absque consilio, licèt inordinato; ira autem sit subitus motus: sed nec ad superbiam, quæ quidem cùm quandam similitudinem magnanimitatis præseferat, vult in omnibus manifesta esse, cùm tamen fraus, dolus, &c. ex insidiis agant, & quandam potiùs pusillanimitatem præseferant.

IN QVÆSTIONEM LVI.

De præceptis pertinentibus ad prudentiam.

VTrum de prudentia fuerit dandum præceptum aliquod inter præcepta Decalogi. ℞. *Negativè*, non quòd non pertineant aliqualiter ad prudentiam omnia præcepta Decalogi, sed ita quod congruum non fuerit, poni in Decalogo præceptum directè pertinens ad prudentiam. *Ratio utriusque partis est*, quia licèt præcepta Decalogi cadant in æstimatione omnium, quasi ad naturalem rationem pertinentia; quia tamen præcipuè sunt de dictamine rationis naturalis fines humanæ vitæ, qui quidem se habent in agendis sicut principia naturaliter cognita in speculativis; & prudentia non sit circa finem, sed circa ea quæ sunt ad finem; ideò fit quod quanvis ad prudentiam aliqualiter pertineant omnia præcepta Decalogi, nimirum secundùm quod est ipsa directiva actuum omnium ARTICVLVS PRIMVS.

virtutum; imò & in doctrina Evangelica oportuerit de prudentia præcepta dari, quia est doctrina perfectionis, ut scilicet homo perfectè instrueretur de omnibus; non propterea congruum fuit, poni inter prima præcepta, seu in Decalogo præceptum directè pertinens ad prudentiam. Ita tamen quod convenienter præcipiatur de actu prudentiæ, utpote circa ea, quæ sunt ad finem, in veteri Testamento, quandoquidem ordinatur doctrina illa ad præcepta Decalogi, sicut ad finem.

Prov. 3. & 4.

ART. 2. *Vtrum in veteri lege fuerint convenienter præcepta prohibitiva proposita de vitiis oppositis prudentiæ.* ℟. *Affirmativè*, ita quod & conveniens fuerit dari specialiter in lege præcepta prohibitiva de dolo, & fraude, & sufficienter de illis fuerint data. *Primum est*, quia cùm justitia, utpote reddens unicuique quod suum est, maximè respiciat rationem debiti, quod requiritur ad præceptum; & astutia quantum ad exequutionem maximè committatur in his, circa quæ est justitia; ideò convenienter data sunt præcepta prohibitiva de exequutione astutiæ, ut cùm quis fraude, & dolo alicui calumniam ingerit; & quidem magis quàm de aliis vitiis, quæ opponuntur directè prudentiæ manifesta contrarietate, ut imprudentia, & partes ejus, utpote quæ non ita pertinent ad injustitiam, sicut exequutio astutiæ per fraudem, vel dolum. *Secundum est*, quia cùm fraus præcipuè exerceri soleat circa emptionem, & venditionem; ideò quanvis non nisi circa emptionem, & venditionem prohibeatur, adhuc tamen sufficienter prohibetur; sicut

& sufficienter præcipitur in lege de actibus prudentiæ, quatenus scilicet præcepta in lege de actibus justitiæ pertinent ad exequutionem prudentiæ.

IN QUÆSTIONEM LVII.

De jure.

VTrum jus sit objectum justitiæ. ℞. *Affirmativè*, si tamen sumatur jus secundùm id à quo primò fuit impositum nomen, non secundùm id ad quod deinde significandum tractum fuit. *Primum est*, quia cùm justitiæ proprium sit, ut ordinet hominem in his quæ sunt ad alterum, proindeque & justum, quod est in ejus opere, non constituatur solùm per comparationem ad agentem, ut in aliis virtutibus, quæ perficiunt hominem secundùm seipsum, sed etiam per comparationem ad alterum; justum enim, seu justari dicitur à prima nominis impositione, quod respondet secundùm aliquam æqualitatem alteri; ideò cùm justum sit rectitudo justitiæ, ad quam ejus terminatur actio, & hoc sit ejus objectum, est consequenter jus objectum justitiæ secundùm id, à quo fuit nomen impositum; & quidem quanvis lex sit potiùs prudentiæ objectum, utpote quæ non est ipsum jus, propriè loquendo, sed aliqualis ratio juris, seu constitutio scripta, & relicta quasi regula ex opere justo: cum quo tamen stat, quod respectu Dei, quanvis justitia in hoc tendat, ut homo quantum potest Deo recompenset, totaliter animam ei subjiciendo, non tamen attendat ad legem divinam tanquam ad jus, cùm Deo non possimus æquivalens reddere; sed fas, quia sufficit Deo, ut impleamus quod

ARTICVLVS PRIMVS.

possumus. *Secundum est*, quia nomen illud, *jus*, tractum deinde fuit & ad significandum artem qua cognoscitur, quid sit justum; & deinde locum ubi jus redditur, sub qua quidem ratione non est justitiæ objectum.

ART. 2. *Vtrum jus convenienter dividatur in jus naturale, & jus positivum.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod opus dicatur justari, seu adæquari alteri secundùm aliquem æqualitatis modum, vel ex ipsa rei natura, & ita per jus naturale; vel ex condicto publico, sive Principis, & ita per jus positivum. *Ratio utriusque partis est*, quia quod aliquis tantùm det, ut tantumdem recipiat; sicut & quod deponenti depositum reddatur, est quidam æqualitatis, & commensurationis modus ex ipsa rei natura, quanvis non propterea immutabilis, cùm nec immutabilis sit natura humana moraliter, seu semper recta, sed possit iis abuti: quod autem aliquis reputet se contentum, si tantùm accipiat, est etiam quidam adæquationis, & commensurationis modus; sed ex condicto, sive ex communi placito, putà cùm totus populus, vel Princeps populi curam habens consentit, & ordinat, quod id habeatur ut adæquatum, & commensuratum alteri; potest namque voluntas humana aliquid facere justum & secundùm æqualitatem, in his quæ secundùm se non habent aliquam repugnantiam ad naturalem justitiam: & hoc dicitur jus positivum, quod proinde cum naturali convenienter dividit jus humanum; imò & jus divinum, quod ita dicitur, quia divinitùs promulgatum, utpote cùm illud sit

partim de his, quæ sunt naturaliter justa, sed tamen eorum justitia homines latet, & ideò oportet promulgari; partim autem de his, quæ fiunt justa ex institutione divina.

Vtrum jus gentium sit idem cum jure naturali. R. *Negativè*, non quòd naturale non sit, si dicatur jus naturale comparativè ad aliquid, quod naturaliter sequitur; sed ita quod non idem sit cum naturali jure, sumpto naturali secundùm absolutam sui considerationem. *Primum est*, quia cùm jus ita absolutè naturale, ut est quod parens filium nutriat, commune sit omnibus animalibus, jus autem gentium solùm hominibus, ideò non est jus gentium idem cum naturali secundùm absolutam illius considerationem. *Secundum est*, quia cùm vocetur jus gentium quod naturalis ratio inter homines constituit, & apud omnes gentes custoditur; & considerare aliquid comparativè ad id, quod ex ipso sequitur, sit proprium rationis: ideò si sumatur jus naturale secundùm aliquid, sive utilitatem aliquam, quæ ex ipso sequitur, cujusmodi est possessionum proprietas per comparationem ad opportunitatem colendi, & ad pacificum usum; vel etiam servitus hominum, quæ quidem rationem habet naturalem, sed secundùm aliquam utilitatem consequentem, quatenus utile est huic, ut regatur à sapientiori, est jus gentium in hoc sensu idem cum naturali; unde nec indiget aliqua speciali institutione, cùm ea dictet naturalis ratio, quæ sunt hujus juris. ART. 3.

Vtrum debeat specialiter distingui jus ART. 4.

paternum, & dominativum. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod inter patrem & filium, & servum ac dominum, sit non quidem simpliciter justum, sed quoddam justum, paternum scilicet, & dominativum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm jus, sive justum dicatur per commensurationem ad alterum; & filius non sit simpliciter alter à patre, ut sunt duo homines non sibi subditi, sed potiùs aliquid alterius, velut pars ejus; sicut & servus aliquid domini, quasi ejus instrumentum, ut ait Arist. ideò licèt si filius, & servus considerentur ut quidam homines, sit ad eos aliquo modo simpliciter justitia, quæ quidem non dicitur jus suum unicuique reddere, nisi suppositâ diversitate unius ad alterum; prout tamen uterque est aliquid alterius, deficit ibi perfecta ratio juris, vel justi, & quidem minùs quàm inter uxorem, & virum, ut dicit Philos. cùm assumatur uxor in vitam socialem, & consequenter in sociam, & alteram; quamvis quia unus & alter relationem dicunt immediatam ad domesticam conversationem, ideo nec sit inter eos simpliciter jus politicum, ut ait Arist. sed magis œconomicum. Cum quo tamen stat, quod possit etiam dici jus militare, jus Magistratuum, aut Sacerdotum, non quidem propter defectum à simpliciter justo, ut contingit in paterno, & dominativo; sed quia unicuique secundùm proprium officium aliquid etiam proprium debetur.

Lib. 1. Polit. c. 3.

IN QVÆSTIONEM LVIII.

De justitia.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum convenienter definiatur justitia, quod est perpetua, & constans voluntas jus suum unicuique tribuens.* ℞. *Affirmativè,* ita scilicet, quod prædicta definitio sit completa definitio justitiæ; si tamen rectè intelligatur, & actus ponatur pro habitu. *Ratio utriusque partis est,* quia cùm justitia sit virtus circa ea, quæ sunt ad alterum, tanquam circa propriam materiam, oportet ut definiatur per actum bonum circa ea quæ sunt ad alterum, quod quidem tangitur, cùm dicitur: Ius suum unicuique tribuens. Cumque ut actus circa aliquam materiam virtuosus sit, requiratur, ex Isid. ut sit voluntarius, ubi includitur scientia, tum quod sit stabilis & firmus, ex Arist. ideò & ponitur voluntas, non quidem pro potentia, sed pro actu, quo solet definiri, sicut & specificari habitus, adeò ut sensus definitionis sit, quod justitia est habitus secundùm quem aliquis jus suum unicuique voluntariè tribuit, ad quod quidem rectificat causaliter voluntatem, unde & dicitur justitia voluntas, causaliter scilicet, non essentialiter, sicut nec essentialiter est rectitudo, sed causaliter; additurque ad designandam actus firmitatem, *Constans, & perpetua;* non quidem ex parte actus, ex parte cujus sola Dei voluntas perpetua est, sed ex parte objecti, ex parte cujus homo potest perpetuò velle aliquid facere: dicitur namque perpetua ad ostendendum propositum conservandi perpetuò justitiam; sicut & constans, ut in proposito firmiter perseveret. Vnde & est prædicta

Lib. 10. Etym.

definitio, si rectè intelligatur, & actus ponatur pro habitu, completa definitio; & quidem competens, sicut & definitum, nedum Principibus, & Iudicibus, qui reddunt unicuique suum per modum imperantis, & dirigentis; sed & subditis, qui per modum exequutionis reddunt: imò & in hoc ipso, quod homo Deo servit, includitur quod reddat unicuique quod suum est: propter quod dixit Aug. justitiam esse amorem, qui tantùm Deo servit.

Lib. de morib. Eccles. cap. 18.

ART. 2. *Vtrum justitia semper sit ad alterum.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod requirat justitia propriè dicta diversitatem suppositorum, esto quod metaphoricè dicatur esse in uno, & eodem homine. *Primum est*, tum quia justitiæ nomen, ut dictum est, importat æqualitatem, cùm tamen nihil sit sibi æquale, sed alteri: tum quia cùm rectitudo justitiæ sit circa actus humanos, qui sunt suppositorum, necesse etiam est, ut æqualitas ista, quam requirit justitia, sit diversorum suppositorum agere potentium, sive non nisi unius hominis ad alium. Quod etiam locum habet in justitia Dei æterna, quæ quidem quanvis ab æterno non sit secundùm effectum; quia Deo nihil coæternum est, tamen est ab æterno secundùm voluntatem, & propositum æternum. *Secundum est*, quia in hoc quod ratio imperat irascibili, & concupiscibili, & hæ potentiæ obediunt rationi, & universaliter secundùm quod cuique parti hominis attribuitur, quod ei convenit, dicitur esse justitia, proindeque & in uno, & eodem homine; sed metaphoricè, & secundùm

similitudinem; ad quam quidem sic metaphoricè dictam reducitur etiam justitia, quâ justificatur impius, quippe quæ, ut dictum est, inveniri potest etiam in aliquo solitariè vitam agenti: cum quo tamen stat, quod actiones, quæ ita sunt ad seipsum, sufficienter rectificentur rectificatis passionibus per alias virtutes morales, ad differentiam actionum, quæ sunt ad alterum, quæ quidem indigentes rectificari etiam in ordine ad eum, ad quem sunt, virtute etiam indigent speciali, scilicet justitia.

Vtrum justitia sit virtus. ℟. *Affirmativè*, ita quod bonum reddat actum humanum, & ipsum hominem bonum faciat, esto quod in reddendo cuilibet suum, faciat quod est necessitatis. *Primum est*, quia actus hominis bonus redditur, sicut & homo, ex hoc quod regulam rationis attingit, secundùm quam humani actus rectificantur: quod quidem facit justitia, quæ ponitur ut operationes humanas rectificet; esto quod etiã sit circa exteriora, & factibilia, non quidem ut ea faciat, quod est artis, sed quia eis utitur ad alterum. Vnde nec illud, Cùm feceritis omnia, quæ sunt præcepta, &c. sic intelligitur, quasi nihil sibi faciat qui sic virtuosè agit; sed solùm quòd qui facit quod debet, non affert utilitatem lucri ei, cui debet. *Secundum est*, quia non est necessitatis reddere cuilibet quod suum est necessitate coactionis, quæ cùm repugnet voluntati, tollit rationem meriti; sed necessitate præcepti, & finis, quæ quidem non excludit virtutis meritum. ART. 3. Luc. 17.

Vtrum justitia sit in voluntate sicut in subjecto. ℟. *Affirmativè*, ita quod ejus ART. 4.

subjectum non sit inellectus, vel ratio, sed appetitus; & hic non concupiscibilis, vel irascibilis, sed intellectivus, seu volitivus. *Primum est*, quia cùm illa potentia sit subjectum virtutis, ad cujus actum rectificandum ordinatur virtus; & justitia non sit ordinata ad actum intellectus rectificandum, quandoquidem boni non dicimur ex eo quod aliquid rectè intelligimus, sed quia rectè operamur, cujus quidem operationis principium proximum est ipse appetitus; ideò non intellectus, sed appetitus debet esse voluntatis subjectum. Vnde vocatur quidem justitia veritas, sed quia rectitudo rationis voluntati impressa propter propinquitatem ad rationem vocatur veritas. *Secundum est*, quia cùm appetitus hujusmodi sensitivus non valeat percipere proportionem unius ad alium, sed sola ratio; ideò non in illo, sed in appetitu rationali, seu voluntate esse debet justitia, ad quam quidem pertinet reddere unicuique quod suum est, ut ordinare ad alterum sit quidem rationis, sed hoc posito, possit voluntas aliquid velle ad alterum. Vnde & potest etiam voluntas subjectum esse virtutis moralis, cùm rationale per participationem conveniat etiam voluntati, utpote quia omnis appetitus rationi obedit.

ART. 5. *Vtrum justitia sit virtus generalis.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod possint actus omnium virtutũ ad justitiam pertinere, sed secundùm quod est legalis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm justitia, quæ quidem secundùm suam rationem ad alium ordinat, vel singulariter consideratum, vel

universaliter, prout qui servit communitati, servit omnibus qui in illa sunt velut partes ad totum; cùm sub ea ratione quâ legalis est, ordinet hominem ad bonum commune, utpote cùm legalis dicatur, quia per eam homo concordat legi, cujus est ordinare in bonum commune; ideò fit, quod quia sub hac eadem ratione actus ordinat cujuscumque virtutis, sive ordinantis hominem ad seipsum, sive ad alias personas, sicut & lex, unde legalis dicitur, utpote quarum bonum, veluti bonum partium est ordinabile in bonum commune, quandoquidem pars id quod est, totius est; ideò, inquam, fit quod quanvis justitia connumeretur aliis virtutibus, ut est specialis virtus ad aliud singulariter consideratum, ad eam tamen ut est legalis, possint actus omnium virtutum pertinere, sicut & injustitia, ut ordinatur ad commune malum, est peccatum commune, juxta illud, Omne peccatum est iniquitas; & quidem potiùs quàm temperantia, & fortitudo, quæ scilicet sunt non in parte intellectiva, sicut justitia, sed in appetitu sensitivo circa particularia bona. Ioan. 3.

Vtrum justitia secundùm quod est generalis virtus, sit idem per essentiam cum omni virtute. ℞. *Negativè*, non quòd non possit virtus quælibet dici quodam modo justitia legalis; sed ita quod legalis justitia absolutè loquendo specialis sit secundùm essentiam, nec nisi secundùm virtutem generalis. *Primum est*, quia cùm non dicatur legalis justitia virtus generalis, nisi in quantum actus ordinat aliarum virtutum in suum finem, quod est movere per impe- ART. 6.

rium omnes virtutes; ideo ſicut charitas, quæ generalis dicitur, ut ordinat ad bonum divinū quaſi ad objectum ſuum actus virtutum, adhuc eſt ſpecialis virtus ſecundùm eſſentiam, adeò ut generalis non ſit per prædicationem, ut animal de homine, & bruto, ſed ſecundùm virtutem, ut cauſa univerſalis ad ſuos èffectus, ſic etiam legalis juſtitia. Etenim cùm virtus quælibet actum ordinet ad proprium finem, ideò ſi ordinetur ad ulteriorem finem, hoc debet eſſe à ſuperiori virtute, proindeque dari debet iſta ſuperior virtus ab aliis diſtincta, quæ quidem eſt legalis juſtitia. *Secundum eſt*, quia dicit Philoſ. quod virtus, & juſtitia legalis eſt eadèm omni virtuti: quod quidem cùm ſic intelligatur, quatenus virtus quælibet rationem induit legalis juſtitiæ, ut ab ea ordinatur in bonum commune, & ut eſt ab eâ imperata; ideò & eſt legalis juſtitia in hoc ſenſu idem in eſſentia cum omni virtute, ſed differens ratione.

ART. 7. *Vtrum ſit aliqua juſtitia particularis præter juſtitiam generalem.* ℞. *Affirmativè*, non quòd legalis juſtitia non reſpiciat etiam ſingulare bonum; ſed ita quod præter eam alia ſit, quæ non niſi ad bonum ordinet ſingulare. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm virtus legalis non ſit eſſentialiter omnis virtus, adeò ut oporteat, ut præter eam, quæ ordinat immediatè ad bonum commune, ſint aliæ virtutes, quæ hominem ordinent ad particularia bona; ideò ſicut ex eo dantur particulares virtutes, quæ hominem ordinant in ſeipſo, ſcilicet temperantia, fortitudo, &c. ſic & præter legalem

justitiam dari debet & justitia quædam particularis, quæ eum ordinet circa particularem personam; & hoc maximè, tum quia bonum commune civitatis, & bonum singulare unius personæ, non solùm differunt ut multum, & paucum, sed & secundùm formalem differentiam, unde & requirunt diversas virtutes: tum quia legalis justitia, quanvis ordinando immediatè ad bonum commune, ordinet ad particularem personam, utpote quæ pars est, & membrum communitatis; non nisi tamen mediatè ad hanc ordinat, sicque debet esse justitia quædam particularis, quæ ad hoc hominem dirigat immediatè, esto quod non alia sit circa familiam domesticam, utpote respectu cujus non est simpliciter justitia, ut dictum est, sed ejus solùm species, scilicet œconomica.

Vtrum justitia particularis habeat materiam specialem. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod in quantum virtus, non sit circa totam materiam virtutis, esto quod secundùm quosdam generales modos in omnes diffundatur virtutes. *Primum est*, quia cùm omnia quæ possunt per rationem rectificari, sint materia virtutis; & hæc sint tam interiores animæ passiones, secundùm quas consideratur rectitudo hominis ad seipsum, quàm exteriores actiones, & res, secundùm quas attenditur ordinatio unius hominis ad alterum; ideo cùm justitiæ virtus non ordinet nisi ad alterum, nec etiam est circa totam materiam virtutis moralis, esto quod indirectè, & per redundantiam quandam ad omnes pertineat animæ partes: unde & falsum est, quod per omnia, quæ ART. 8.

ſunt hujus vitæ, poſſit homo ordinari ad alterum, cùm paſſiones interiores ad alterū non ordinentur ſecundùm ſe. *Secundum eſt*, quia dicit Aug. loquendo de virtutibus cardinalibus, quod juſtitia eſt quæ per cæteras diffunditur: quod quidem intelligitur ſecundùm quod ſignificant quatuór illæ virtutes generales quoſdam virtutis modos, ſub qua ratione de illis ibi loquitur; non autem ut ſunt ſpeciales quædam virtutes circa determinatam materiam.

ART.9. *Vtrum juſtitia ſit circa paſſiones*. ℞. *Negativè*, & quidem ſive conſideretur juſtitia ex parte ſubjecti in quo eſt, ſive ex parte materiæ circa quam eſt. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ex parte ſubjecti ſit in voluntate, cujus actus vel motus non ſunt paſſiones, ut motus appetitus ſenſitivi; & ex parte materiæ ſit circa ea quæ ſunt ad alterum, quales non ſunt paſſionum motus immediatè, ideò ex nulla parte eſt circa paſſiones, adeò ut rectificatio quidem operationum, ſecundùm quod ad exteriora terminantur, pertineat ad juſtitiam; ſed rectificatio earum, ut à paſſionibus oriuntur, ad alias pertineat virtutes, quæ ſunt circa paſſiones. Vnde nec illud Philoſ. quod virtutes ſunt circa voluptates, & triſtitias, ſic intelligitur, quaſi quælibet moralis virtus ſit circa iſta, ut circa materiam, ſed ut ad quoſdam fines conſequentes; quod etiam pertinèt ad juſtitiam, quæ de iſtis operibus gaudet. Cum quo tamen ſtat, quod legalis juſtitia poſſit ſe ad paſſiones interiores extendere, cùm ordinetur ad bonum commune, & ad

In 2. Ethic. cap. 3.

alias extendatur virtutes, non sic tamen justitia particularis.

Vtrum medium justitiæ sit medium rei. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod ejus medium sit in quadam proportionis æqualitatate rei exterioris ad personam exteriorem, esto quod non accipiatur in aliis virtutibus secundùm proportionem rei ad rem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm materia justitiæ sit exterior operatio, secundùm quod ipsa, vel res cujus est usus debitam habet proportionem ad aliam personam, ad differentiam aliarum moralium virtutum, quæ quidem sunt circa passiones, quarum rectificatio attenditur secundùm comparationem ad ipsum hominem, cujus sunt passiones; ideò licèt in istis sit proinde medium dumtaxat rationis quoad nos, est tamen medium justitiæ consistens in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad personam exteriorem, proindeque & est medium rei, cùm æquale hujusmodi sit realiter medium inter majus, & minus, ut ait Arist. & quidem etiam ubi æquari debet injuria Principi, & personæ privatæ illata per vindictam; id enim nedum ad diversitatem rationis pertinet, sed etiam rei. Vnde quanvis in bonis simpliciter, quæ sunt omni ex parte bona, ut virtutes, non sit accipere medium aut extrema; in illis tamen, quæ sunt bona suâ naturâ, & ex abusu possunt esse mala, ut divitiæ, &c. est dare medium, & extrema, & de his est justitia, in cujus tamen medio, quanvis sit rei, salvatur ratio virtutis moralis, cùm sit etiam medium rationis.

ART. 10.

In 10. Metaph. text. 18.

Vtrum actus justitiæ sit reddere unicuique ART. 11.

quod suum est. ℞. *Affirmativè*, non quòd ad eam non pertineat & subvenire miseris, & liberaliter benefacere; sed ita quod non nisi per reductionem ista conveniant, aliud autem ut proprius actus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm materia justitiæ sit operatio exterior, prout ipsa, vel res proportionatur alteri personæ, ad quam justitia ordinatur; & hoc dicatur esse suum uniuscujusque personæ, quod ei debetur secundùm proportionis æqualitatem; ideo subvenire miseris, aut liberaliter benefacere potest quidem justitiæ competere per reductionem, in quantum quia est virtus cardinalis, aliquæ secundariæ virtutes ei adjunguntur, ut misericordia, liberalitas, &c. sed proprius ejus actus est unicuique reddere quod suum est. Ita tamen quod cùm justitia principaliter exerceatur in voluntariis commutationibus, ideo omne superfluum in his, circa quæ versatur, vocetur extenso nomine lucrum, & omne minus vocetur damnum: quæ quidem nomina derivantur ad omnia, circa quæ potest esse justitia, sicut & ly Reddere unicuique suum.

ART. 12. *Utrum justitia praemineat inter virtutes morales.* ℞. *Affirmativè*, & quidem sive sit sermo de legali justitia, sive etiam de justitia particulari. *Ratio utriusque partis est*, quia legalis justitia est circa bonum commune, quod quidem præeminet bono unius personæ, ad quod attendunt aliæ virtutes: justitia autem particularis & est in voluntate, cùm tamen aliæ morales sint in appetitu solùm sensitivo; & laudantur solùm aliæ virtutes secundùm bonum ipsius vir-

tuosi, cùm tamen laudetur justitia etiam prout virtuosus bene ad alium se habet; adeò ut justitia sit quodammodo bonum alterius, proindeque & maxima virtus, ut docet Arist. in Rhetor. cùm sit benefactiva. Vnde dat quidem liberalis de suo; sed quia ibi considerat propriæ virtutis bonum, ad differentiam justitiæ, quæ dando quod suum est, intendit bonum commune, & insuper observatur ad omnes, ideò non propterea est præstantior, sicut nec magnanimitas, quanvis superveniendo justitiæ augeat ejus bonitatem, utpote quæ nec virtutis rationem haberet sine justitia; sed neque fortitudo, quæ quidem consistit circa difficiliora, at non circa meliora, cùm in bello tantùm sit utilis, justitia autem & in bello, & in pace.

IN QVÆSTIONEM LIX.

De injustitia.

VTrum injustitia sit vitium speciale. ℞. Affirmativè, & quidem sive supponat pro illegali, sive pro inæqualitate quadã ad alterum. *Primum est*, quia quanvis illegalis injustitia quantum ad intentionem sit generale vitium, tum quia potest homo ab illa ad omnia peccata descendere, tum quia omnia vitia, ut repugnant communi bono, rationem habent injustitiæ; habet tamen quod respiciat speciale objectũ, scilicet bonum commune, quod contemnit, proindeque & adhuc est speciale vitium secundùm essentiam. *Secundum est*, quia cùm dicatur injustitia secundùm inæqualitatem ad alterum, dum quis vult plus habere de bonis, ideò & habet sic sumpta specialem materiam, proindeque & est ARTICVLVS PRIMVS.

vitium speciale, adeo ut indirectè quidem particularis hæc injustitia opponatur omnibus virtutibus, ut scilicet exteriores actus pertinent ad justitiam, & ad alias virtutes, sed diversimodè, nec nisi solùm quantum ad operationes, quæ sunt ad alterum, afficiat voluntatem. Cum quo tamen stat,
1.Ioan.3. quod omne peccatum adhuc dicatur iniquitas, sed prout opponitur bono divino.

ART.2. *Vtrum aliquis dicatur injustus ex hoc quod facit injustum.* ℟. *Negativè*, ita scilicet, quod possit quis injustum facere præter intentionem, vel ex passione, absque injustitiæ habitu, esto quod injustus dicatur, si faciat ex intentione, & electione. *Primum est*, quia cùm operatio speciem recipiat ab objecto per se, non ab objecto per accidens, cujusmodi in moralibus est id, quod fit præter intentionem; ideò qui inæquale inducit præter intentionem, facit quidem injustum, non tamen est injustus, quasi actus ejus sit injustificatio, defectu scilicet comparationis ipsius operationis ad objectum proprium; sed neque qui inæquale inducit ex aliqua passione, putà iræ, cùm sit ibi defectus comparationis operationis ad habitum. Ita tamen, quod in his casibus dici possit injustus materialiter, & per accidens, esto quod quia objectum temperantiæ non est quid exteriùs constitutum, nec etiam dici possit quis intemperatus per accidens, aut materialiter, sed dicatur intemperans quicumque aliquid facit intemperatum. *Secundum est*, quia cùm faciat injustum ex intentione, & electione qui facit quasi quid per se placens, quod quidem est proprium ha-

bentis habitum, ideo & facere ita injuſtum proprium eſt injuſti, prout injuſtus dicitur qui habet injuſtitiæ habitum.

Vtrum aliquis pati poſſit injuſtum volens. ART. 3.
℞. *Negativè*, non quòd repugnet in ſenſu materiali, & quaſi per accidens; ſed loquendo formaliter, & per ſe. *Primum eſt*, quia cùm idem ſecundùm idem non poſſit eſſe agens, & patiens, quia actio eſt ab agente, paſſio autem ſecundùm ſuam rationem eſt ab alio; & homo tunc propriè agens ſit, cùm volens facit, quandoquidem principium faciendi eſt voluntas; & è converſo tunc propriè patiatur, cùm præter voluntatem patitur, quia ut volens habet principium in ſeipſo, & eſt agens; ideò nec poteſt quis per ſe, & formaliter loquendo pati injuſtum, & pati volens, adeò ut perſona ſingularis ſecundùm ſe conſiderata, ſi ſibi inferat nocumentum, peccet quidem vel contra temperantiam, vel prudentiam, &c. non tamen contra juſtitiam, eſto quod ut eſt aliquid civitatis, vel Dei, injuriam faciat, non quidem ſibi, ſed civitati, vel Deo; ſed nec qui ſua voluntate dat alicui id, quod non debet, facit propterea injuſtitiam, aut inæqualitatem, cùm res per voluntatem poſſideat. Vnde aliquem facere injuſtum, & alium pati materialiter, ſemper quidem ſe concomitantur; ſed tamen formaliter poteſt quis facere injuſtum, quia ex intentione facit; & alius formaliter non pati, quia ſcilicet volens patitur. *Secundum eſt*, quia ſicut per accidens, & quaſi materialiter loquendo poteſt aliquis id, quod eſt ex ſe injuſtum, facere nolens, ut cùm præter

intentionem operatur; sic etiam & pati volens, ut cùm aliquis alteri plus dat sua voluntate, quàm debeat.

ART. 4. *Vtrum quicumque facit injustum, peccet mortaliter.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod injustitiam facere ex genere injustitiæ mortale sit, esto quod non peccet mortaliter qui in parvis injustitiam facit. *Primum est*, quia cùm quod ex se contrariatur charitati sit peccatum mortale; & tale sit injustitiæ genus, utpote quæ ad differentiam peccatorum, quæ sunt contra alias à justitia virtutes, est semper cum nocumento alterius, quod quidem per se charitati repugnat; ideo & est injustitia ex genere suo mortalis. Vnde cùm ait Arist. esse dignum veniâ, qui ignoranter injusta facit, non nisi de ignorantia facti intelligitur, quæ veniam meretur; non de ignorantia juris, quæ non excusat. *Secundum est*, quia cùm deficiat à perfecta ratione injustitiæ qui in parvis injustitiam facit, in quantum reputari potest non esse omninò contra voluntatem ejus, qui hoc patitur, ut si pomum auferat; ideò nec peccat tunc mortaliter secundùm injustitiæ genus.

IN QVÆSTIONEM LX.
De judicio.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum *judicium sit actus justitiæ.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit per ampliationem ad alias pertinere virtutes, sed ita quod secundùm primam impositionem nominis rectam significet determinationem justorum. *Primum est*, quia cùm nominet judicium actum judicis, qui est quasi jus dicens, quod est objectum justi-

tiæ, ideò & importat ex prima impoſitione nominis definitionem, vel determinationem juſti, proindeque & eſt actus juſtitiæ; cùm quod quis rectè definiat in actibus virtuoſis, pertineat ad habitum virtutis, & quidem ſpecialiùs pertinentem ad juſtitiam, quàm ad aliam virtutem; cùm ſit homo dominus eorum quæ ad ipſum, non eorum, quæ ad alium ſpectant, de quibus eſt juſtitia, ſicque requiratur judicinm ſuperioris, qui utrumque valeat arguere jus dicendo; ſed ad juſtitiam non ſimpliciter, ſed ut eſt principaliori modo in præſidente. Cum quo tamen ſtat dictum Apoſtoli, quod ſpiritualis judicat omnia, utpote quod intelligitur de judicio ſecundùm regulas divinas, de quo ibi non loquimur. *Secundum eſt*, quia cùm ampliatum ſit judicii nomen ad rectam ſignificandam determinationem in quibuſcumque rebus; ideò & ad alias poteſt per ampliationem pertinere virtutes, non quidem per modum proferentis judicium, ſic enim eſt actus prudentiæ; ſed per modum diſpoſitionis, ſeu idoneitatis ad rectè judicandum; ita quod ſicut in his, quæ ad juſtitiam pertinent, judicium procedit ex juſtitia; ſic & ex fortitudine in his, quæ pertinent ad fortitudinem.

Vtrum ſit licitum judicare. ℞. *Affirmativè*, ſi tamen & procedat judicium ex inclinatione juſtitiæ, & ex authoritate præſidentis, tum etiam proferatur ſecuudùm rectam rationem prudentiæ. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm judicium in tantum ſit licitum, in quantum eſt actus juſtitiæ, & ad hoc requiratur primò ut procedat ART. 2.

ex inclinatione justitiæ, utpote defectu cujus perversum dicitur, vel injustum; tum ex authoritate præsidentis, quia aliter esset usurpatum; tum denique ut proferatur secundùm rationem prudentiæ, quo quidem deficiente, ut cùm quis judicat de dubiis, vel occultis propter leves conjecturas, dicitur judicium temerarium, vel suspiciosum, quod prohibet Dominus, dum ait,

Matt. 7. *Nolite judicare*; ideò est quidem licitum judicare, etiam quanvis sit Deus omnium Dominus, quandoquidem in hoc constituitur judex, ut Dei minister; modò tamen tres adsint præfatæ conditiones. Cum quo tamen stat, quod qui sunt in gravibus peccatis publicis, non debeant judicare eos,

Hom. 24. in Matt. qui in eisdem sunt, vel minoribus, ex Chrysost. quanvis si peccata occulta sint,

Lib 2. de serm. Dom. cap. 28. & necessitas judicandi immineat ex officio, possint tunc cum humilitate, & timore vel arguere, vel judicare, ut ait Aug.

ART. 3. *Vtrum judicium ex suspicione procedens sit licitum.* ℟. *Negativè*, ita scilicet quod suspicio vitium quoddã importet, & quidẽ tãto majus, quanto magis procedit suspicio. *Primum est*, quia importat suspicio opinionem mali ex levibus indiciis, quæ quidem cùm oriatur vel ex malitia suspicantis, qui cùm sit malus, omnes malos esse existimat; vel ex mala affectione ad alterum, ut ex odio, &c. quatenus quisque facilè credit quod appetit, adeò ut non sit propriè suspicio propter certitudinem, quando ex longa oritur experientia, ut fit in senibus; ideò & est illicita, imò & injuriosa; cùm qui sic habet ex suspicione opinionem malam de aliquo, indebitè contemnat ipsum, proindeque

proindeque injurietur ei; ita tamen quod judicium suspiciosum tunc solùm directè ad justitiam pertineat, quando ad actum procedit exteriorem; & tunc est peccatum mortale, non autem quandiu manet interiùs: sed nec propterea incertum sit & suspiciosum omne judicium circa humanos actus, quantumvis contingentes, & singulares, utpote cùm possit in eis inveniri certitudo, non quidem ut in demonstrativis, sed conveniens tali materiæ, scilicet per idoneos testes. *Secundum est*, quia tres sunt suspicionis gradus, secundùm quos etiam tripliciter aggravatur peccatum. Primus dum homo ex levibus indiciis de bonitate alterius incipit dubitare; & hoc est veniale, & leve peccatum, cùm pertineat ad tentationem humanam, sine qua hæc vita non ducitur. Secundus cùm quis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis; quod quidem si sit de gravi, est peccatum mortale, ut Glos. docet. Tertius cùm judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum; quod directè ad injustitiam pertinet, & est peccatum mortale. Super 1. ad Cor. cap. 4.

Vtrum dubia sint in meliorem partem interpretanda. ℟. *Affirmativè*, si tamen sit sermo de judicio non in quo judicatur de rebus, sed in quo judicatur de personis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm qui malam habet opinionem de homine sine sufficienti causa, hoc ipso injurietur ei, ipsumque contemnat, ad differentiam judicii, sive opinionis de rebus, in quo quidem non attenditur malum ex parte rei judicatæ, sed bonum judicantis, ut verè judicet; ART. 4.

utpote cùm verum sit bonum intellectus, & falsum malum ipsius; ideò cùm nullus debeat alium sine sufficienti causa contémnere, seu contemptibilem reddere, inde fit quod ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debeamus in judicando de homine eum ut bonum habere; & quidem licèt possit contingere, ut qui in meliorem partem interpretatur, frequentiùs fallatur, quandoquidem hoc adhuc melius est, quàm rariùs falli habendo malam opinionem de aliquo; eo quòd ex hoc fiat injuria, non ex illo, ex quo quidem nec malum sequitur in intellectu judicantis, sicut nec ad ejus perfectionem pertinet secundùm se cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum. Cum quo tamen stat, quod si contingat interpretari non definiendo, sive determinando, in quo casu debemus, ut dictum est, res interpretari sicuti sunt; in judicio verò personarum in melius, sed per quandam suppositionem, ut cùm debemus aliquibus malis remedium adhibere, sive nostris, sive alienis; tunc expedit ut supponatur id quod est deterius, ad hoc scilicet ut securius apponatur remedium.

ART. 5. *Vtrum sit semper secundùm leges scriptas judicandum.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod alioquin deficeret judicium, vel à justo naturali, vel positivo; si tamen non contrarietur scriptura in aliquo naturali juri. *Primum est*, quia cùm judicium nihil aliud sit, quàm determinatio ejus, quod justum est, quod quidem contingit vel ex ipsa rei natura, & dicitur jus naturale; vel

ex quodam condicto inter homines, & dicitur jus positivum: ideò cùm scribantur leges ad utriusque juris declarationem, licèt diversimodè, quandoquidem legis scriptura jus continet naturale, sed non instituit; non enim habet robur ex lege, sed ex natura: positivum verò continetur, & instituitur, & inde habet robur; propterea fit, quod si aliter quàm secundùm hujusmodi scripturam judicaretur, esset defectus vel à justo naturali, vel à positivo. *Secundum est*, quia cùm lex scripta, sicut non dat robur juri naturali, ita nec potest ejus robur minuere, vel auferre, quia nec voluntas hominis potest immutare naturam; ideo ubi contrariaretur naturali juri, non haberet vim obligandi: unde nec quando leges rectè positæ in aliquibus casibus deficiunt propter circumstantias facti, tunc est secundùm litteram legis judicandum, sed recurrendum est ad æquitatem, quam legislator intendit, ut in Digestis habetur.

Vtrum judicium per usurpationem reddatur perversum. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit judicii veritas pronunciari à quocumque; sed ita quod non possit quis ex ea compelli in judicio, nisi per habentem publicam authoritatem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm qui fert judicium, tunc legis dictum quodammodo interpretetur, applicando illud ad particulare negotium; & hoc sit tantùm illius, qui publicam authoritatem habet, quandoquidem ejusdem est authoritatis legem interpretari, & legem condere, quæ condi non potest, nisi publica auctoritate; ideò quanvis possit judicii veritas, ut veritas est, ART. 6.

pronunciari à quolibet, utpote quia non cogit ut suscipiatur; non tamen potest, nisi injustè proferri in judicio ad compellendum, nisi ab habente authoritatem publicam; adeò ut quanvis non dicatur perversum, & usurpatum judicium ex defectu justitiæ & scientiæ, quæ sunt perfectiones singularis personæ; bene tamen ex defectu authoritatis publicæ. Vnde quod occide-
Exodi 2. rit Moyses Ægyptium, id fuit vel inspiratione divina, vel defendendo eum, qui injuriam patiebatur cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut inquit Ambros. sicut & ex inspiratione divina simile fecit Phinees, vel tanquam summi Sacerdotis filius. Cum quo tamen stat, quod non sit usurpatum judicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de quibusdam temporalibus, propterea quod temporalis potestas spirituali subditur, ut corpus animæ.

IN QVÆSTIONEM LXI.

De partibus justitiæ.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum *convenienter ponantur duæ species justitiæ, scilicet commutativa, & distributiva.* ℟. *Affirmativè*, non quòd non possit esse distributiva in habente commutativam, sed ita quod duos respiciant ordines sufficiéter distinctos, ut sint duæ distinctæ species. *Primum est*, quia cùm justitia particularis, de qua est sermo, ordinetur ad particularem personam, quæ quidem comparatur ad communitatem ut pars ad totum; & in hoc duplex possit ordo attendi, vel partis ad partem, scilicet unius personæ ad aliam, quem ordinem dirigit justitia commutativa; vel totius ad partes, scilicet illius quod est commune, ad sin-

gulas personas, & hunc dirigit justitia distributiva, ad differentiam legalis justitiæ, cujus potiùs est ordinare quæ sunt privatarum personarum ad bonum commune; proinde fit, quod ex duplici illo ordine, ad quem attendunt, debeant esse & duæ distinctæ species, adeò ut non distinguantur commutativa, & distributiva solùm ut unum, & multa, sed secundùm debiti rationem; quia alia ratione debetur alicui commune, & alia id quod est proprium: Vnde nec nocet multitudini distributio illa, ut inde impediatur ne sit justitia in distribuendo, cùm etiam in distributione bonorum communium sit moderatio servanda, in quo dirigit justitia distributiva: neque cùm ita distribuitur bonum commune ad singulos, impeditur quin recipiat quilibet quod suum est, quandoquidem quod est totius, quodammodo est etiam partis. *Secundum est*, quia licèt actus distributionis communium pertineat solùm ad præsidentem illis bonis; quia tamen possunt subditi, quibus distribuitur, contenti esse justa distributione, ideò & potest esse in illis justitia distributiva, & consequenter simul in eodem cum commutativa.

Vtrum medium eodem modo accipiatur in justitia distributiva, & commutativa. ℟. *Negativè*, ita scilicet quod in commutativa accipiatur medium secundùm æqualitatem rei ad rem; at in distributiva, secundùm proportionem rerum ad personas. *Ratio utriusque partis est*, quia æqualitas secundùm quam attenditur medium, in hoc est in justitia distributiva, ut sicut una persona excedit aliam, ita res quæ datur uni, ART. 2.

excedat rem quæ datur alii, eo quòd scilicet bonum totius tanto magis debetur alicui parti, quanto pars majorem habet principalitatem in toto; cum tamen servetur æqualitas in commutativa, quando singulari personæ redditur aliquid propter rem ab eo acceptam, ut si quinque esset æquale medium inter sex, & quatuor, acciperetur tunc unum ab eo, qui habet sex, & daretur ei qui habet quatuor, ut sic fieret æqualitas, & quidem rei ad rem, seu arithmetica, si uterque à principio habeat quinque. Vnde habent quidem distributiva, & commutativa unicam formam genericam, quæ est æqualitas; sed tamen in una est secundùm proportionem arithmeticam, ut dictum est, & in alia secundùm geometricam: in quo quidem differunt ab aliis virtutibus, in quibus cùm accipiatur medium secundùm rationem, non secundùm rem, ideò nec habent diversa media, ut habet justitia propter diversitatem rerum. Cum quod tamen stat, quo possit in commutativa attendi conditio personæ, ut in actionibus, & passionibus, juxta quod major est injuria si percutiatur Princeps, quàm si subditus; sed aliter quàm in distributiva, in qua quidem attenditur secundùm se; cùm tamen attendatur in commutativa ut facit quantitatem rei, sive secundùm quod per eam diversificatur res.

ART. 3. *Vtrum materia utriusque justitiæ sit diversa.* ℞. *Affirmativè*; si tamen accipiatur materia, non quidem pro iis, quorum operationes sunt usus, sed pro actionibus ipsis principalibus, quibus utimur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm res distribui

possint à communi in singulos, necnon commutari de uno in alium, ideò & eadem est utriusque materia, sumpta pro rebus, quarum operationes sunt usus; non tamen sumpta pro actibus ipsis principalibus, quibus utimur, cùm una sit directiva distributionum, altera autem commutationum quæ attenduntur inter duas personas, quæque aliæ involuntariæ sunt, quando scilicet quis utitur vel re alterius, vel personâ, vel opere, & hoc vel occultè, vel manifestè, eo invito: opere, ut per furtum, & rapinam: re, per occisionem: personâ, ut per detractionem, & accusationem; quantum ad personam conjunctam, per adulterium, vel per subductionem in servo: aliæ verò voluntariæ, ut cùm quis voluntariè transfert rem suam in alium; quod quidem si fiat absolutè, erit actus liberalitatis; si cum aliquo debito, erit actus justitiæ, qui vel fiet per recuperationem alterius rei, ut in emptione, & venditione; vel cedendo usum rei, cum debito recuperandi rem; & tunc si usus cedatur gratis, erit ususfructus in rebus, quæ fructificant; aut mutuum, vel commodatum in aliis: si non cedatur gratis, vocabitur locatio, & conductio; sicut & vocatur depositum, si quis tradat rem ut recuperandam ratione conservationis; & pignus, si ratione obligationis.

Vtrum justum sit simpliciter idem, quod contrapassum. ℞. *Negativè*, non quòd in commutationibus non sit adæquanda passio actioni secundùm proportionatam commensurationem, sed ita quod locum non habeat in justitia distributiva. *Primum est*, ART. 4.

quia cùm contrapassum importet æqualem recompensationem passionis ad actionem præcedentem; & in justitia distributiva non attendatur æqualitas secundùm proportionem rei ad rem, vel passionis ad actionem; ideò nec in ea locum habet contrapassum, adeò ut illud, *In quo iudicio iudicaveritis, &c.* non nisi secundùm justitiam commutativam intelligatur: sicut nec esset justitiæ distributivæ, sed commutativæ, si alicui, qui communitati servisset, retribueretur aliquid pro servitio, utpote cùm in illa non attendatur æqualitas ejus quod accipitur, ad id quod impenditur, sed secundùm modum utriusque personæ. *Secundum est*, quia cùm in commutativis oporteat secundùm proportionatam commensurationem adæquare passionem actioni, ad quod inventa sunt numismata; & tunc passio recompensata sit æqualis actioni, cùm qui lædit personam majorem, majori pœna punitur, quàm intulit: & quando qui aliquid altero invito rem abstulit, non solùm punitur in eo quod ablatum restituit, sed quia multiplicius reddere cogitur; ideò cùm hoc importetur in contrapasso, est consequenter commutativum justum idem quod contrapassum; adeò ut licèt primò dicatur de passionibus injuriosis, secundò de rebus, transferatur tamen etiam ad voluntarias commutationes, in quibus est actio & passio, esto quod voluntarium diminuat de ratione passionis. Imò & actio injuriosa quando est voluntaria, accipitur commutativè, utpote quæ accipitur tunc ut major res, & ideò magis punitur, non secundùm differentiam quoad nos, sed secundùm differentiam rei.

Matt. 7.

IN QVÆSTIONEM LXII.

De restitutione.

Vtrum restitutio sit actus commutativæ justitiæ. ℞. *Affirmativè*, ita quod attendatur in restitutione æqualitas justitiæ secundùm recompensationem rei ad rem, & quidem in ea etiam, quam distribuens facit ei, cui dedit minus, quàm debuit. *Primum est*, quia cùm restituere sit iteratò statuere aliquem in possessione, vel dominio rei suæ, quæ quidem vel habetur per ejus voluntatem, ut in mutuo, & deposito; vel contrà, ut in furto, & rapina: ideò cùm hoc pertineat ad justitiam commutativam, est consequenter restitutio actus commutativæ justitiæ, & quidem quanvis nomen restitutionis, prout importat iterationem quandam, supponat rei identitatem, utpote quæ licèt realiter transeat, adhuc manet in effectu, vel corporali, ut cùm quis percussione læditur; vel in opinione hominum, ut cùm quis verbo remanet infamatus. Vnde quando quis reddit alteri quod ei non debetur, non est restitutio, licèt aliquam ejus habeat similitudinem, sed nova donatio. *Secundum est*, quia recompensatio, quam facit distribuens ei, cui minùs dedit, quàm debuit, est per comparationem rei ad rem, & ideò pertinet ad commutativam. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit necessarium ad salutem, ut fiat restitutio ejus, quod est ablatum. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod non dimittatur peccatum, ut ait Aug. nisi restituatur ablatum; eo tamen modo, quo possibile est restitui. *Primum est*, quia cùm conservare justitiam sit de necessitate salutis, & per restitu- ART. II. Epist. 54. ad Maced.

stitutionem, quæ importat redditionem rei injustè ablatæ conservetur justitia, utpote quia æqualitas reparatur, ideò & est restitutio saluti necessaria. Ita tamen quod qui abstulit famam verum dicendo, & justè, scilicet debito ordine, non teneatur restituere; sicut nec qui impedit præbendam justè, intendens scilicet honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ; benè tamen si famam abstulit falsum dicendo, & injustè, in quo casu confiteri debet se falsum dixisse: vel etiam si verum dicendo, sed injustè contra debitum ordinem, in quo etiam casu tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen, dicendo scilicet, se malum dixisse, & injustè diffamasse: sicut etiam si injustè consulens impediit ne præbenda detur digno, in qua quidem hypothesi tenetur ad aliquam recompensationem pro arbitrio boni viri, si consuluit priusquàm sit firmatum quod ei detur; sed ad recompensationem æqualis secundùm suam facultatem, si illud jam statutum erat. *Secundum est*, quia quando non potest recompensari æquivalens, sufficit ut recompensetur quod possibile est: ut qui membrum abstulit, recompenset consideratâ utriusque personâ, vel in pecunia, vel in honore; quo etiam modo quanvis actio contumeliæ non possit non fuisse, potest per exhibitionem honoris, & reverentiæ reparari dignitas personæ.

ART. 3. *Utrum sufficiat restituere simplum, quod injustè ablatum est.* ℞. *Affirmativè*, non quod pro culpa punienda non teneatur plus restituere, quàm accepit, post condemnationem; sed ita quod sufficiat simplum red-

dere, ut reducatur ad æqualitatem ex parte rei. *Primum est*, quia cùm restitutionis sit reducere ad æqualitatem, quod inæqualiter ablatum est, & quisque reddendo simplum, quod accepit, ita ad æqualitatem reducat, quia sufficit ut tantum restituat quantum accepit de alieno; ideò & sufficit quantum ad inæqualitatem ex parte rei restituere simplum, adeò ut quod Zachæus dixit, se reddere quadruplum, sit quasi supererogationis, nec possit judex ante condemnationem aliquid amplius exigere, esto quod justè condemnando possit posteà loco emendæ quid amplius exigere, ut statim dicetur. *Secundum est*, quia cùm culpæ satisfiat per pœnam; & pœnarum inflictio pertineat ad judicem, ideò quantum ad culpam injustitiæ, quæ etiam potest esse cum æqualitate rei, ut cùm quis intendit inferre violentiam, sed non prævalet, licèt reus priusquam per judicem sit condemnatus, non teneatur plus restituere quàm accepit; bene tamen post condemnationem ad solutionem pœnæ, & sic intelligitur illud: Si quis furatus fuerit, &c. Luc. 17. Exod. 22.

Vtrum aliquis debeat restituere quod non abstulit. ℞. *Negativè*, non quòd non teneatur ad aliqualem recompensationem, quomodocumque alium damnificet; sed ita quod non teneatur ad recompensationem æqualis, nisi ubi damnificat auferendo ab eo, quod actu habet. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm damnum possit alicui inferri vel quia aufertur ei quod actu habebat, vel impediendo ne adipiscatur quod erat in via, & potentia habendi, debet ART. 4.

quidem in primo casu ut æqualitatem justitiæ inducat, recompensare secundùm æquale, imò, & tenetur in secundo casu aliquam facere recompensationem secundùm conditionem personarum & negotiorum, non tamen ex æquo recompensare: tum quia minus est habere aliquid in via, & virtute, ut habetur frumentum in sparso semine, & lucrum in pecunia habita, cùm possit illud multipliciter impediri, quàm habere actu: tum quia alias non restitueretur simplum, quod ablatum est, sed multiplicatum. Vnde illud: Sciebas, quod meto ubi non semino, &c. vel intelligitur secundùm pravam æstimationem servi pigri, vel quantum ad hoc, quod Deus requirit à nobis fructus donorum, qui sunt & à Deo & à nobis, quamvis ipsa dona sint à Deo sine nobis.

ART. 5. *Vtrum oporteat semper restitutionem facere ei, à quo acceptum est aliquid.* ℟. *Affirmativè*, ita scilicet quod non aliter fiat reductio ad æqualitatem justitiæ, quàm eidem restituendo, à quo est acceptum; si tamen ei non noceat restitutio, nec sit acceptum ex datione illicita. *Primum est*, quia debet restitutio æqualitatem inducere justitiæ commutativæ, quæ quidem cùm consistat in rerum adæquatione, ita quod ei qui minùs habet quod suum est, suppleatur quod deest, & plus habenti quàm suum, auferatur, in quo est æqualitas; ideò & ad hoc debet ei ablatum restitui, à quo est acceptum, & quidem potiùs quàm parentibus, vel his à quibus maximè beneficia accepimus, utpote quibus de propriis quidem debemus magis succurrere,

sed non de alieno, nisi in extrema necessitate. Ita tamen quod si is, cui facienda est restitutio, sit omninò ignotus, tunc facta diligenti inquisitione, restitutio fiat ut potest, dando in eleemosynas pro salute illius, aut hæredibus, si sit mortuus; aut si sit multùm distans, nec possit commodè transmitti, in tuto loco deponatur, & interim ei significetur. Cum quo tamen stat, quod quia Prælatus tripliciter potest rem Ecclesiæ surripere, vel usurpando rem alteri deputatam, vel rem sibi deputatam in alterius dominium transferendo, vel solo animo, si eam possideat ut suam; debeat in primo casu restituere illis, ad quos de jure pertinet; in secundo Ecclesiæ, & in tertio sufficiat animum deponere. *Secundum est*, quia cùm restitutio ordinetur ad utilitatem ejus cui fit, debet propterea res conservari, ut congruo tempore restituatur, si esset restitutio graviter nociva; sed neque fieri debet ei à quo est accepta, quando accipitur ex datione illicita, ut in simonia, in quo casu debet in pios usus converti, utpote cùm ita dans illicitè mereatur ex culpa amittere; & recipiens, cùm injustè recipiat, non possit retinere, esto quod ubi datio est solùm propter rem illicita, ut cùm datur meretrici ob fornicationem, tunc debeat mulieri restitui, nisi superfluè ex fraude, vel dolo extorserit.

Vtrum semper teneatur restituere ille qui accepit. ℟. *Affirmativè*, non quidem semper ex ratione rei acceptæ, sed vel rei acceptæ, vel acceptionis, ubi scilicet est acceptio injuriosa, aut in utilitatem accipientis. *Ratio utriusque partis est*, quia licèt ART. 6.

qui abstulit non habeat id quod accepit, sed alius; & ideò qui rem accepit alienam, non teneatur tunc ex ratione rei, sed alius qui eam habet, quatenus quod est ultra id quod suum est, debet subtrahi, & dari ei, cui deest: tamen quia alter privatur re sua, tenetur adhuc qui accepit ratione acceptionis, vel quia fuit injuriosa actio, ob quam per consequens debet puniri; vel quia fuit in utilitatem recipientis cum voluntate domini, ut in mutuo; & quidem etiamsi rem amittat, ad differentiam illius quæ non est ita in utilitatem recipientis, ut in deposito, in quo quidem in nullo tenemur ratione acceptionis; unde nec tenemur ad restitutionem, si rem absque culpa notabili amittamus. Cum quo tamen stat, quod quando multi alicui quod suum est abstulerunt, si unus eorum satisfaciat illi vel per seipsum, aut per sacerdotem, cui tenetur detegere crimen suum in confessione, quanvis non audeat hominibus detegere, alii tunc teneantur satisfactori refundere, non alteri.

ART. 7. *Vtrum illi qui non acceperunt teneantur restituere.* ℟. *Affirmativè*, non quidem semper consiliator, vel adulator in furando; sed qui vel jubendo, vel consentiendo; recelando, participando, non obstando causa sunt efficax furti, aut rapinæ. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm non solùm teneatur aliquis ad restitutionem ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis, ut dictum est, ideò cùm sit utplurimùm causa efficax injustæ acceptionis, non quidem semper consiliator, vel adulator, nisi quando probabiliter existimatur,

quod ex hujusmodi causis injusta acceptio fuerit sequuta; sed qui directè causat jubendo, consentiendo, participando; vel indirectè, recelando, & non obstando, esto quod non exequantur, consequenter fit, quod isti tunc teneantur restituere; ita tamen quod principaliter teneatur restituere principalis in facto, qui est præcipiens, & secundariò exequens; nec tamen semper qui non manifestat latronem, vel non obstat, vel non reprehendit, teneatur restituere, sed solùm quando id ei incumbit ex officio, nec multùm imminet periculi obsistenti.

Vtrum quis teneatur statim restituere. ART. 8.
℟. *Affirmativè*, ita scilicet, quod si potest, teneatur vel statim restituere, vel petere dilationem ab eo, qui potest usum rei concedere. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm detinere rem alienam peccatum sit contra justitiam, sicut & accipere, quandoquidem impeditur inde dominus, ne utatur re sua, & sic fit ei injuria; & non liceat modicum tempus in peccato morari: ideò tenetur quilibet statim restituere, adeò ut non liberetur à statim, & à totaliter restituendo, nisi aut quia est omninò impotens, aut quia dilationem petit, vel remissionem ab eo, cui debet; præceptum namque restitutionis, quanvis affirmativum sit secundùm formam, in se tamen implicat negativum, quo prohibemur rem alterius detinere; sicque necesse est, tempus esse determinatum, ut statim restitutio fiat, cùm per dilationem committatur peccatum injustæ detentionis.

IN QVÆSTIONEM LXIII.

De acceptione personarum.

ARTICVLVS PRIMVS. V*Trum personarum acceptio sit peccatum.* ℞. *Affimativè*, non quod non liceat dare propter conditionem personæ; sed ita quod ubi conditio, propter quam datur, facit acceptionem personæ, peccatum sit. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm acceptio personæ sit cùm aliquis considerat in eo cui aliquid confert, non eam quidem conditionem propter quam quod confertur esset proportionatum, ut sufficientia scientiæ ad magisterium, utpote quod est acceptio causæ, & consequenter licita, non personæ; sed eam quæ nihil facit ad causam propter quam ille esset dignus: ideò cùm hoc sit contra justitiam distributivam, cujus æqualitas consistit in hoc, quod diversis personis diversa tribuuntur secundùm proportionem ad dignitates personarum, non potest non esse peccatum, non quando datur propter personæ conditionem, sed quando conditio propter quam datur, facit acceptionem personæ, non causæ; & quidem quanvis acceptio rerum non sit peccatum, utpote cùm personæ reddantur dignæ in aliquibus propter aliquas conditiones, quæ propterea sunt attendendæ, tanquam propriæ causæ; non sic in rebus. Cum quo tamen stat, quod acceptio personarum locum tantùm habeat in datione, quæ spectat ad justitiam; non autem in ea, quæ est liberalitatis, ut sunt collationes munerum gratiæ, per quam peccatores assumuntur à Deo: unde nec est in Deo acceptio personarum.

ART. 2. *Vtrum in distributione spiritualium locum*

habeat personarum acceptio. ℞. *Affirmativè*, non quòd sit obligatio ad dandum simpliciter digniori in spiritualibus, sed ita quod sine acceptionis vitio, & quidem graviori, dari non possit, nisi saltem digniori, quantum ad hoc. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm tanto graviùs aliquis peccet, quanto in majoribus justitiam transgreditur, & spiritualia sint potiora temporalibus; ideò & in illis gravior est acceptio personarum, non ea quidem, quâ minùs boni simpliciter loquendo melioribus præferuntur, utpote cùm dispensationes spiritualium principaliùs ordinentur ad utilitatem communem, & contingat quandoque, quod minùs sanctus, & minùs sciens possit magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel industriam secularem, &c. sed ea in qua accipiuntur qui nec simpliciter, nec quantum ad hoc digniores sunt, aut æquè digni, esto quod aliunde sint consanguinei ipsi Prælato; nec enim est Prælatus horum bonorum dominus, sed dispensator, cujus est dispensare fideliter, non ad libitum. Vnde præferuntur quidem divites, & potentiores in dispensatione matrimonii pauperibus; sed quia id fit propter firmamentum pacis, quod magis necessarium est publicæ utilitati circa personas excellentes: sicut & eligitur magis ille, qui est de gremio Ecclesiæ, quia ut in pluribus consuevit esse utilior quantum ad bonum commune, eo quòd magis diligatur Ecclesia, in qua quisque est nutritus. Cum quo tamen stat, quod ut electio non possit impugnari, sufficiat eligere bonum, esto quod quantum ad conscientiam eligentis necesse sit eligere

meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.

ART. 3. *Vtrum in exhibitione honoris, & reverentia locum habeat peccatum acceptionis personarum.* ℟. *Affirmativè*, ita scilicet quod non nisi propter virtutem honorare liceat, sed vel propriam, vel ejus, cujus vicem gerit. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm honor sit testimonium virtutis, ideò & sola virtus habet esse debita honoris causâ; ita tamen, quod possint aliqui honorari, non solùm propter virtutem propriam, sed etiam propter alterius virtutem. Quod patet in Prælatis & Principibus, qui quidem etiamsi sint mali, in quantum tamen gerunt personam Dei, & communitatis, sunt in honore apud omnes, sicut & parentes, & domini, propter participationem divinæ dignitatis; imò & divites, & senes: isti quidem, quia senectus est signum virtutis, licèt hoc signum quandoque deficiat: divites autem, non propter divitias, sed quia majorem locum obtinent in communitatibus.

ART. 4. *Vtrum in judiciis locum habeat peccatum acceptionis personarum.* ℟. *Affirmativè*, ita quod in justitia corrumpatur judicium per personarum acceptionem, sed in distributiva etiam quoad formam judicii. *Primum est*, quia judicium est actus justitiæ, prout judex æqualitatem inducit; cùm tamen acceptio personarum attribuens alicui præter proportionem suam, quandam inducat inæqualitatem. Cum quo tamen stat, quod quando quis punitur graviùs propter injuriam in majorem personam, non sit acceptio personarum, sicut nec quando pau-

peri in judicio subvenitur, sed sine læsione justitiæ. *Secundum est*, quia licèt judicium quantum ad rem judicatam sit commune ad distributivam & commutativam; quantum tamen ad formam judicii, prout judex etiam in commutationibus ab uno accipit, & alteri dat, in quo cadere potest acceptio personarum, pertinet ad distributivam.

IN QVÆSTIONEM LXIV.

De vitiis oppositis commutativæ justitiæ: & primò de homicidio.

VTrum occidere quæcumque viventia sit illicitum. ℞. Negativè, non quòd non possit peccare qui occidit animal, sed ita quod non cadat sub peccato homicidii. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm nemo peccet ex hoc, quod utitur re aliqua ad id ad quod est; & plantæ sint communiter propter animalia, & animalia propter hominem; quia, ut in generatione patet, imperfectiora sunt propter perfectiora, adeò ut ex ordinatione divina conservetur quidem vita animalium, & plantarum, sed non propter seipsam, sed propter hominem: cujus etiam signum est, quod cùm vitam non habeant rationalem, semper quasi ab alio aguntur, unde colligitur, esse aliorum usibus accommodata; ideò nec est illicitum plantas mortificare in usum animalium, & animalia in usum hominum, ex ipsa etiam ordinatione divina: non ita tamen, quod non peccet qui bovem alterius occidit; sed furto, vel rapinâ, quia damnificat hominem in re sua; non autem homicidio. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit licitum occidere peccatores. ART. 2.

℟. *Affirmativè*, ita quod ad conservandum commune bonum liceat hominem communitati perniciosum occidere; si tamen occidi possit, quin simul occidantur & boni. *Primum est*, quia cùm quælibet persona singularis comparata ad communitatem sit sicuti pars ad totum, & membrum ad corpus; & si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicujus membri, ut cùm est putridum, vel corruptivum aliorum, laudabiliter, & salubriter abscindatur; ideo & licet hominem in communitatem peccantem occidere, sicut occidere bestiam; quia peior est malus homo, quàm bestia, ut scripsit Arist. esto quod hominem occi-
In 7. Ethic. dere in sua hominis dignitate manentem sit ex se malum. Vnde & ipse etiam Deus aliquando statim peccatores occidit ad liberationem bonorum, quanvis etiam aliquando servet ad pœnitentiam, quod etiam justitia humana imitatur, dum qui peccant, aliis graviter non nocentes, ad pœni-
Matt. 15. tentiam reservat. *Secundum est*, quia ideo prohibetur eradicari zizaniam, ut intelligatur tolerari debere malos, cùm propter sequaces quos habent multos, occidi non possunt, quin periculum immineat bonis.

ART. 3. *Vtrum occidere hominem peccatorem liceat privatæ personæ.* ℟. *Negativè*, ita quod propriâ authoritate occidere illis solùm liceat, quibus committitur bonum commune, esto quod aliis liceat ex authoritate alterius. *Primum est*, quia cùm occidere malefactores sit licitum, in quantum ordinatur ad salutem communitatis, ad illos propterea dumtaxat pertinet, quibus cura committitur communitatis servandæ, cu-

ejusmodi sunt habentes publicam authoritatem; quamvis enim aliquid facere ad utilitatem communem, quod nulli nocet, sit licitum privatæ personæ; non tamen usque ad occisionem peccatoris, qui quidem cùm non sit naturaliter distinctus ab hominibus, ad differentiam bestiæ silvestris, quam propterea licet cuique occidere, judicio indiget publico, ut discernatur an sit occidendus ad salutem communem. *Secundum est*, quia mandatur, Exodi 32. unicuique amicos & proximos occidere pro peccato vituli conflatilis; quia tunc non tam videntur ipsi fecisse, quàm Deus, seu Moyses, cujus mandato, & authoritate fecerunt; quo etiam modo minister latronem occidit authoritate judicis.

Vtrum occidere malefactores liceat Clericis. ART. 4.
℟. *Negativè*, & quidē sive ex ratione ministerii altaris, sive ratione ministerii novæ legis. *Ratio utriusque partis est*, quia & in ministerio altaris, ad quod electi sunt Clerici, repræsētatur passio Christi, qui cùm percuteretur, non repercutiebat, & in ministerio novæ legis, quod eis committitur, nec pœna occisionis determinatur, nec mutilationis, ad differentiā veteris legis, in qua pœnæ infligebantur corporales, propter quod etiam veteribus Sacerdotibus id licebat. Vnde licèt Deus corporaliter malefactores occidat; non tamen est necesse, ut omnes in hoc eum imitentur, sed solùm in eo quod sibi principaliter congruit, qualis quidem non est corporalis occisio respectu Clericorum, utpote quorum ministerium est in melioribus, in his quæ spectant ad salutem; sicque eis non congruit, ut minoribus

se ingerant; & quidem quanvis Prælati Ecclesiarum accipiant officia Principum terræ; nec enim ea accipiunt ut judicium sanguinis exerceant per seipsos, sed sua authoritate per alios.

ART. 5. *Vtrum liceat alicui occidere seipsum.* ℞. *Negativè*, ita quod & hoc sit agere contra charitatem, quam nobis debemus, & injuriam communitati facere, & Dei judicium usurpare. *Ratio cujusvis partis est,* quia ex charitate, quam nobis debemus, sicut & ex inclinatione naturali, quâ corrumpentibus resistimus quantum possumus, debet quisque seipsum diligere, cui contrariatur occisio sui ipsius; & cùm pars id quod est, sit totius, facit per consequens injuriam communitati qui se occidit, & peccat ex hoc contra justitiam, sicut ex alio contra charitatem; estque vita quoddam Dei donum, sicque ad solum Deum pertinet judicium mortis, & vitæ. Vnde qui publicam habet potestatem potest quidem malefactorem occidere, quia potest de illo judicare; non tamen seipsum, cùm nemo sit judex sui ipsius, esto quod possit se committere judicio aliorum: sed neque licet seipsum interficere, vel ut fiat transitus ad meliorem vitam, quia hoc est tantùm in potestate divina; vel ut miseriæ hujus vitæ vitentur, quia esset assumere majus malum, cùm mors sit maximum terribilium; vel propter peccatum commissum, cùm hoc sit publicæ authoritatis, & quia adimitur pœnitentiæ tempus; vel etiam mulieri, ne ab alio corrumpatur, quandoquidem violenta violatio non est peccatum, nisi adsit consensus: & quia minus est peccatum

fornicatio, quàm homicidium; imò neque ob timorem consentiendi in peccatum, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Licèt enim non refugere pati mortem ab alio propter bonum virtutis, & ad vitandum peccatum pertineat ad fortitudinem, nihilominus inferre sibi mortem ad vitandum pœnalia mala, potiùs pertinet ad mollitiem animi, quod fecit Razias: si tamen id non fiat jussu interiori Spiritus sancti, ut fecere Samson, & quædam sanctæ mulieres, quæ tempore persequutionis seipsas occiderunt.

Utrum liceat in aliquo casu interficere innocentem. ℞. *Negativè*, ita quod nec secundùm quod homo est, occidere liceat, nec secundùm quod justus est. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm mors peccatoris sit tantùm licita propter bonum commune, quod per peccatum corrumpitur, utpote cùm aliunde debeamus in quolibet amare naturam, quam Deus fecit; & vita justorum hominum sit conservativa, & promotiva boni communis; ideò licèt qui ex mandato Dei occidit innocentem non peccet, quia habet Deus dominium vitæ, & mortis, bene tamen qui absque tali mandato interficit; & quidem graviori peccato, cùm magis agat contra charitatem, & privet contra justitiam communitatem majori bono, ac magis Deum contemnat, nec nisi per accidens se habeat ad occisionem, quod justus occisus ad gloriam perveniat. Unde judex, qui scit aliquem falsis testibus convictum, esse innocentem, debet diligentiùs examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi eum; aut si hoc non potest, debet ART. 6.

ſuperiori relinquere judicandum : ita tamen, quod ſi nec iſtud poſſit, non peccet tunc ſecundùm allegata judicando, quandoquidem non ipſe tunc, ſed potiùs teſtes eum occidunt : ſicut nec peccat miniſter judicis innocentem condemnantis, dum obedit, niſi contineat ſententia intolerabilem errorem, ſeu manifeſtam injuſtitiam.

ART. 7. *Vtrum liceat alicui occidere aliquem ſe defendendo.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ea intentione; ut occidat; ſed eo fine, ut vitam conſervet. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm actus moralis ſpeciem recipiat ab intentione, & conſervatio propriæ vitæ, quam intendit defenſor, habeat rationem liciti, cùm ſit quid naturale, non autem occiſio; ideò illicitum quidem eſt quod homo intendat hominem occidere, imò etiam ut ſeipſum defendat, niſi publicam habeat authoritatem, utpote, qui tunc intendens occidere ad ſui defenſionem, id refert ad commune bonum, ut patet in milite contra hoſtes, & in miniſtro judicis contra furem, qui etiam peccant, ſi moveantur propriâ libidine, unde & hoc damnat Aug. in eo caſu; non tamen eſt peccatum ſi fiat intentione non occidendi, ſed conſervandi vitam, ad differentiam fornicationis, & adulterii, quæ quidem nunquam licet committere, eo quòd non ordinentur hi actus ad vitæ conſervationem ex neceſſitate, ut actus ex quo ſequitur quandoque homicidium. Vnde cùm ait

Rom. 12. Paulus, Non vos defendentes, &c. non niſi defenſionem prohibet, quæ eſt cum livore vindictæ: nec ideò Clericus defendendo ſe ſi interficiat aliquem, eſt irregularis, quaſi

ex

ex eo peccet; sed quia irregularitas homicidium consequitur, etiamsi sit sine peccato. Cum quo tamen stat, quod debeat illud fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, utpote cùm uti majori violentia, quàm oporteat, sit illicitum; quanvis non ita, quod prætermitti debeat ad evitandam occisionem alterius, quandoquidem plus tenetur homo vitæ suæ providere, quàm alienæ.

Vtrum quis casualiter occidens hominem incurrat homicidii reatum. ℞. *Negativè*, si ita tamē casualis sit occisio, ut nec sit per se intenta, nec etiam intenta per accidens. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm omne peccatum sit voluntarium, & casualia non sint simpliciter loquendo voluntaria, præsertim cùm nec sunt intenta per accidens, quod est quando ex insufficienti diligentia non removetur causa; casus enim ex Arist. est causa agens præter intentionem: ideo licèt non evadat homicidii reatum, si quis non adhibet sufficientem diligentiam ad homicidium vitandum, ut contingit in Lamech; necnon si sequatur homicidium quando dat operam rei illicitæ, ut dum quis mulierem percutit prægnantem, unde abortivum sequitur, quia tunc est intentum & volitum per accidens; non tamen si sequatur quando aliquis dans operam rei licitæ debitam adhibet diligentiam. Vnde nec imponunt Canones pœnam casualiter occidentibus, nisi quando vel dant operam rei illicitæ, vel non adhibent diligentiam debitam. ART. 8. 2 Physic. text. 4. Gen. 4.

IN QVÆSTIONEM LXV.

De mutilatione membrorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum mutilare aliquem membro suo possit in aliquo casu esse licitum. ℞. *Affirmativè*, non quòd liceat privatæ personæ, nisi sit ex putredine corruptivum; sed ita quod habenti publicam potestatem possit esse licitum. *Primum est*, quia cùm disponendum sit de membro humani corporis prout expedit toti, utpote cùm sit propter totum, sicut imperfectum propter perfectum, cui ut per se est utile, ita per accidens potest esse nocivum; ideò cùm abscissio membri, etiamsi vergat in detrimentum corporis, quando est sanum; tamen ordinata ad bonum communitatis, cujus est totus homo veluti pars, est utilis ad cohibitionem peccatorum, potest proinde quis per publicam potestatem privari membro ob aliquas minores culpas, sicut & vitâ ob majores; & quidem licèt mutilare aliquem membro suo sit contra naturam particularem illius, utpote quod adhuc est secundùm naturalem rationem in comparatione ad bonum commune. *Secundum est*, quia cùm per hoc quod privata persona alium privat membro, fiat injuria civitati, cujus homo est pars, etiam volente illo cujus est membrum; ideò licitum non est privatæ personæ; esto quod quia unicuique commissa est cura propriæ salutis, & præcisio membri potest ordinari ad propriam salutem, ad differentiam totius vitæ, putà dum membrum est putridum; ideò & possit esse licitum illud abscindere, vel ex voluntate ejus, cujus est membrum, vel alterius, cujus est cura

de illo : ita tamen quod hoc fiat ad corporalem salutem, non autem ad spiritualem, utpote cui potest semper aliter subveniri. Vnde nec intelligitur illud, Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt, &c. de membrorum abscissione, ut notat Chrysost. sed per malarum cogitationum interemptionem. Hom. 65. super Matth.

Vtrum liceat patribus verberare filios, aut dominis servos. ℞. *Affirmativè*, non quidem immoderatè eos affligendo, sed quantum expedit correctioni, & disciplinæ. ART. 2. *Primum est*, quia cùm nullus justè alium puniat, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus, proindeque nec possit aliquem verberare, nisi habeat potestatem aliquam super illum, quia verberare est nocumentum inferre, quod quidem non licet, nisi per modum pœnæ propter justitiam; ideò cùm filius subditus sit potestati patris, & servus potestati domini, potest licitè pater filium verberare, & servum dominus, causâ correctionis, & disciplinæ; exhibere namque disciplinam volenti licet quidem cuilibet, sed nolenti, est tantùm illius, cui alterius cura committitur. Vnde quod dicit Arist. quod sermo paternus non habet coactionem, hoc non dicitur nisi respectu potestatis perfectæ, quæ est in Principe, scilicet coercendi, & infligendi pœnas irreparabiles. In 10. Ethic. cap. ult. *Secundum est*, quia ideò dicit Apost. Nolite patres ad iracundiam provocare filios. Et præcipit Dominis minas remittere, non quòd non verberent ob caussas dictas, sed ne immoderatè eos affligant verberibus, vel etiam quod per remissionis misericordiam non semper impleant quod comminati sunt.

Art.3. *Utrum liceat aliquem hominem incarcerare.* ℞. *Affirmativè*, non quòd cuilibet liceat, nisi fortè ad horam pro malo aliquo opere vitando; sed ita quod in pœnam, vel cautelam possit in perpetuum incarcerare qui habet disponere de actibus, & vita alterius. *Ratio utriusque partis est*, quia quanvis aliàs vel incarcerare, vel qualitercumque aliquem detinere omninò illicitum sit, quandoquidem impeditur unum ex tribus bonis corporis, quæ sunt substantia & integritas vitæ, delectatio & quies, motus & usus membrorum, quæ quidem bona tolluntur occisione, mutilatione, verberatione, & carcere; nihilominus quia qui abutitur potestate sibi data, meretur eam amittere; ideò convenienter incarceratur in pœnam per publicam potestatem, qui libero usu membrorum abusus est, vel ad cautelam, ne abutatur: in quo etiam humana justitia Deum imitatur, qui quidem aliquando peccatores impedit, ne possint peccata implere.

Art.4. *Utrum peccatum aggravetur ex hoc, quod prædicta injuria inferantur in personas aliis conjunctas.* ℞. *Affirmativè*, non quòd peccatum in nulli conjunctam non possit esse gravius ex aliquibus circumstantiis, sed ita quod cæteris paribus sit gravius in conjunctam. *Primum est*, quia cùm tanto gravius sit peccatum, cæteris paribus, quanto injuria in plures redundat, ut patet de injuria in Principem, quæ scilicet redundat in totam multitudinem; & tàle sit peccatum in personam aliis conjunctam, quandoquidem qui lædit personam aliis conjunctam, etiam conjunctam secundùm se

lædit, quod superadditur peccato; ideò & ex hoc aggravatur peccatum, cæteris paribus. Vnde per hoc quod uxor consentit in adulterium, minoratur quidem injuria ex parte mulieris; non tamen minoratur ex parte viri. *Secundum est*, quia propter circumstantiam dignitatis personæ, vel magnitudinis nocumenti fieri potest, quod gravius fit peccatum contra personam nulli conjunctam; unde & magis exaggerari solent injuriæ in viduas, & pupillos, quia nocumentum eorum est gravius, cùm non habeat relevantem.

IN QVÆSTIONEM LXVI.

De peccatis justitiæ oppositis; & primò de furto.

VTrum naturalis sit homini possessio exteriorum rerum. ℞. *Affirmativè*, non quidem per dominium in rerum naturam, sed per usum ipsarum rerum. *Primum est*, tum quia imperfectiora, ut docet Arist. sunt naturaliter propter perfectiora: tum quia juxta illud, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit, &c. est hoc dominium hominis secundùm rationem, in qua imago Dei consistit. Vnde nec illud, Domini est terra, &c. excludit naturale dominium hominis quantum ad usum rerum; nec reprehenditur dives qui volebat congregare, nisi quia exteriora bona putabat esse principaliter sua, quasi non accepisset à Deo. *Secundum est*, quia quantum ad naturam res exteriores non nisi divinæ voluntati subjacent, nec ad eas immutandas habet homo potestatem, nec consequenter Domini nomen, quod quidem ex Ambros. nomen est potestatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Genes. 1.

Psal. 23.

Luc. 12.

In lib. de Trinit.

ART. 2. *Vtrum liceat alicui rem aliquam, quasi propriam possidere.* ℞. *Affirmativè*, non quidem proprietate quantum ad usum, sed quantum ad potestatem procurandi, & dispensandi. *Primum est*, quia quantum ad potestatem procurandi, & dispensandi necessaria est talis proprietas ad humanam vitam: tum quia quisque est magis sollicitus ad propria, quàm ad communia: tum quia ordinatiùs inde tractantur res humanæ, aliàs esset confusio: tum etiam, quia status hominum magis inde conservatur pacificus, utpote cùm ex eo quod indivisum quid possidetur, frequentiùs jurgia oriuntur. Vnde proprietas possessionum non est contra jus naturale, sed ei potiùs addita; nec enim attribuitur rerum communitas naturali juri, quasi hoc doceat naturalis ratio; sed quia secundùm jus naturale non est distinctio possessionum. Neque peccat dives occupando possessionem rei communis, sed solùm si alios ab illius usu indiscretè prohibeat. *Secundum est*, quia non de facili communicaret homo, ut debet, res exteriores in necessitates aliorum, si eas haberet ut proprias quantum ad usum, propter quod etiam ait Ambr. Nemo dicat proprium, quod est commune; loquendo scilicet de proprietate quantum ad usum.

ART. 3. *Vtrum sit de ratione furti accipere occultè rem alienam.* ℞. *Affirmativè*, sumpta scilicet occultatione, non ut est simplex peccati circumstantia, sed prout est causa peccandi. *Ratio utriusque partis est*, quia tria requiruntur ad furtum: primum ut usurpetur alienum, & quidem vel simpli-

citer alienum, vel secundùm quid, sicut dum quis rem suam, quam apud alium deposuit, furtim accipit, & sic contrariatur justitiæ: secundum, ut sit circa rem possessam, & sic distinguitur ab homicidio, & adulterio, quæ sunt circa personas: sed insuper ut occultè usurpetur alienum, sive accipiendo, sive injustè detinendo, utpote cùm in utroque sit eadem ratio nocumenti, adeò ut in usurpatione ita occulta sit propria ratio furti, cùm fur, ut ait Isidorus, à furvo dictus sit; id est à fusco, quatenus noctis utitur tempore; si tamen sumatur ibi occultatio, non ut est simplex circumstantia, utpote quæ peccatum minuit, cùm sit verecundiæ signum, ut tollat scandalum, sed potiùs ut est peccati causa, sicut contingit in dolo, & fraude; sic enim sumpta speciem constituit peccati.

Vtrum furtum & rapina sint peccata differentia specie. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod ex occulto, & manifesto aliam peccati rationem habeat furtum, & aliam rapina; quanvis non ita quod in aliis peccatorum generibus inde diversificentur peccata. *Primum est*, quia cùm furtum & rapina ex hoc habeant rationem peccati, quia acceptio est involuntaria ex parte ejus, cui aliquid subtrahitur; & involuntarium sit duplex, aut per ignorantiam, & sic furtum; aut per violentiam, unde rapina; ideò & inde habent diversas tationes peccati, proindeque & specie differunt, & quidem quanvis eundem habeant finem remotum, scilicet habere aliena, utpote cùm adhuc diversificentur in fine proximo, qui est in raptore per propriam potestatem ob- ART. 4.

tinere, & in fure per astutiam. Vnde licèt mulieris raptus sit occultus ex parte aliorum, quibus rapitur; tamen quia non est occultus ex parte mulieris, cui violentia infertur, ideo semper remanet ratio rapinæ, non autem furti. *Secundum est*, quia cùm in aliis peccatorum generibus non attendatur ratio involuntarii, quod ibi diversificatur, & diversificat; nec etiam faciunt in illis differentiam specificam occultum, & manifestum.

ART. 5. *Vtrum furtum semper sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quòd semper peccatum sit accipere rem alienam, sed ita quod non possit furtivè accipi, nisi peccando. *Primum est*, quia & opponitur justitiæ, in quantum est acceptio rei alienæ; & importat rationem doli, & fraudis, quia ex insidiis rem usurpat alienam. Vnde qui furtim rem suam depositam rapit, peccat gravando scilicet depositarium, & tenetur revelare gravamen: imò & qui furtim ab eo accipit, qui injustè eam detinebat, prætermittendo ordinem juris, & sic peccando contra communem justitiam, quanvis non ita, quod teneatur restituere, sed tantùm ad sedandum scandalum, si sit ortum. *Secundum est*, quia non peccaverunt Iudæi Ægyptios spoliantes, sicut nec furtum commiserunt, quia id fecerunt ex Dei præcepto; sed neque in retinendo res inventas peccamus, non solùm si nunquam fuerunt in bonis alicujus, ut lapilli, & quæ in littore maris inveniuntur, quæ quidem sunt occupantis, sicut & thesaurus in agro inventus, nisi obstent leges civiles; sed etiamsi fuerint in bonis alicujus, dummodo habeantur pro derelictis.

Vtrum furtum sit peccatum mortale. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod ex genere suo contrarietur charitati, quæ est vita animæ; quanvis non ita quod mereatur in humano judicio pœnã mortis. *Primum est*, quia cùm ad charitatem pertineat, ut proximo bonum velimus, & per furtum inferatur proximo nocumentum; ideò contrariatur ex suo genere charitati, estque per consequens peccatum mortale ex genere: imò & potest esse quandoque mortale in minimis, sicut & in solo cogitatu per consensum, si nimirum furtivè accipiantur minima cum animo furandi, & inferendi proximo nocumentum. Cum quo tamen stat, quod adhuc rectè dicat Scriptura, non esse grandis culpæ, quod quis furatus fuerit, scilicet vel propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ vel minuit, vel totaliter tollit culpam; vel per comparationem ad reatum adulterii, quod punitur morte. *Secundum est*, quia cùm pœnæ per humanum judicium sint magis medicinales, quàm retributivæ, ideò fit quod secundùm judicium præsentis vitæ non pro quolibet mortali peccato infligatur pœna mortis, sed pro illis solùm, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel quæ aliquam habent horribilem deformitatem; quale quidem non est furtum, nisi aggravetur per gravem circumstantiam, ut est furtum rei sacræ, aut furtum rei communis, seu peculatus. ART. 6. Prov. 6.

Vtrum liceat alicui furari propter necessitatem. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod acceptio rei alinæ congrua sit naturali juri in extrema necessitate, sed nec sit humano jure prohibita; imò nec habeat propriè lo- ART. 7.

quendo rationem furti. *Primum est*, quia cùm quæ sunt juris humani non possint derogare juri naturali, & divino; & secundùm naturalem ordinem à divina providentia institutum res inferiores sint ordinatæ ad subveniendum hominum necessitati; ideò nec tollitur per rerum divisionem talis ordo, proindeque licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, cùm aliter non potest; & quidem ex jure naturali, ex quo etiam quæ alii superabundanter habent, debentur pauperum sustentationi, adeò ut etiam aliis liceat occultè rem alienā accipere, ut subveniat proximo sic indigenti; esurientium namque panis est, quem detines, ait Ambros. unde etiam fit, quod omnibus committitur dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniant necessitatem patientibus. *Secundum est*, quia cùm in necessitate sint omnia communia, ideò uti re aliena occultè accepta in casu necessitatis non habet propriè rationem furti, sed nec est jure humano prohibitum, cùm decretalis illa præcipiens quod pœniteat per tres hebdomadas, qui causâ famis, aut nuditatis furatus fuerit, intelligatur cùm non est urgens necessitas.

Cap *Si quis.*

Art. 8. *Vtrum rapina possit fieri sine peccato.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit sine peccato auferri alteri per violentiam, sed ita quod non sit violenta ablatio rapina, nisi peccando. *Primum est*, quia rapina importat violentiam, & coactionem, per quam contra justitiam alicui aufertur quod suum est; quod quidem cùm non liceat nec privatæ, nec publicæ personæ, quæ est justitiæ custos; ideo nec licitum est, sed pecca-

tum per rapinam accipere, adeò ut quanvis liceat Principibus violétiâ, & coactione uti contra hostes, & contra malefactores; si tamen auferant per rapinam, quia tunc auferunt contra justitiam, peccant, & tenentur restituere. *Secundum est*, quia & in bello justo licitum est acquirere per violentiam, nec tenentur ad restitutionem, sicut tenentur in bello injusto, esto quod ex prava intentione peccare possint; & ab infidelibus possunt res violenter subtrahi, non quidem privatâ, sed publicâ authoritate; quia injustè possident, cùm secundùm leges terrenorum Principum eas amittere jussi sint.

Vtrum furtum sit gravius peccatum, quàm rapina. ℟. *Negativè*, ita quod & ex quaparte rationem habent peccati, præponderet rapina furto, & ex parte nocumenti quod inferunt. *Primum est*, quia habent furtum, & rapina rationem peccati, quia efficiunt involuntarium, quod quidem magis efficitur in rapina, utpote cùm violentia magis, & directiùs opponatur voluntati, quàm ignorantia in furto. Vnde minùs quidem verecundantur homines de rapina, quàm de furto, non quia minùs gravi, sed quia magis gloriari solent de virtute exteriori, quæ ostenditur per rapinam, quàm de virtute interiori, quæ tollitur peccato. *Secundum est*, quia per rapinam non solùm infertur damnum, sed etiam ignominia quædam, & injuria personæ; quod quidem præponderat dolo, & fraudi in furto: & quanvis per furtum possit noceri pluribus, tamen per rapinam graviora possunt inferri nocumenta, & ideò est detestabilior. ART. 9.

IN QVÆSTIONEM LXVII.

De vitiis oppositis commutativa justitia: & primò de injustitia judicis.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum quis possit justè judicare eum, qui non est sibi subjectus. ℞. Negativè, ita scilicet, quod potestatem habere debeat qui judicat, vel ordinariam, vel per commissionem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm sententia judicis habere debeat vim coactivam, ut quælibet pars eam cogatur servare; & hanc vim non habeant licitè in rebus humanis, nisi qui funguntur publica potestate, vel ordinaria, vel per commissionem, qui quidem vocantur superiores respectu eorum, in quos, ut in subditos, talem recipiunt potestatem; ideo non potest quis justè judicare, nisi qui sibi aliquo modo est subditus, saltem ex commissione, quo modo Daniel accepit potestatem ad judicandum, quasi commissam instinctu divino, juxta illud, Suscitavit Dominus spiritum junioris; aut quia quis se voluntariè subjicit humano judicio, ut fecit Christus Dominus, & Leo Papa judicio Imperatoris. Vnde si quis exemptus in Diœcesi committat grave crimen, potest per Episcopum condemnari, qui quidem fit superior illius ratione delicti, nisi fortè delinquat in re aliqua exempta, putà in administratione bonorum alicujus monasterii exempti.

Daniel. 13.

ART. 2. *Vtrum judici liceat judicare contra veritatem, quam novit, propter ea, quæ proponuntur.* ℞. *Affirmativè*, non quòd ex his quæ novit non possit adjuvari ad investigandum probationum defectum, sed ita quod si non possit de jure eas repellere, debeat eas in judicando sequi. *Ratio utriusque*

partis est, quia cùm judicare pertineat ad judicem secundùm quod habet publicam potestatem, proindeque & judicare debeat secundùm id quod scit ut persona publica, ad differentiam eorum, quæ ad propriam personam pertinent, in quibus potiùs propriâ scientiâ debet conscientiam informare; ideò cùm ut persona publica aliquid cognoscat dupliciter, vel in communi per publicas leges, aut divinas, aut humanas, & contra has nullas debeat probationes admittere; vel in particulari negotio per instrumenta, testes, &c. quæ quidem, factâ priùs diligenti discussione ut possit probationum defectum investigare, debet sequi in judicando, magis quàm quod novit ut privata persona, utpote cùm non judicet sicuti Deus, & Christus secundùm propriam potestatem, nec consequenter secundùm suam cognitionem, proinde fit, quod quanvis debeant judices veritatem judicare, ut scriptum est, non tamen nisi secundùm ea, quæ fuerunt sibi proposita, adeò ut ea, quæ norunt, solùm ad meliùs investigandum deserviant. Vnde quod in notoriis non sit necessarius judicialis ordo, ut dicitur, id solùm intelligitur quando aliquid non solùm est manifestum judici, sed etiam aliis, quia reus ex ipsa evidentia facti convincitur; quod non accidit cùm judex solus novit. Deut. 12.

Vtrum judex possit aliquem condemnare, etiamsi non sit alius accusator. ℞. *Negativè*, ita quod in judicio de crimine debeat præter reum, & judicem vel esse actor, vel qui gerat vicem actoris. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm judex debeat inter aliquos ART. 3.

duos dijudicare, utpote cùm justitia sit ad alterum, & hoc fiat quando unus est actor, & alter reus; ideò licèt in denunciatione non requiratur accusatio, quia tunc non intenditur punitio, sed emendatio peccantis, bene tamen ubi quis damnari debet de crimine, adeò ut ex eo quod ipse judex videt, procedere non possit ad ferendam sententiam, nisi secundùm ordinem publici judicii, quod teneat locum accusatoris, utpote cùm non procedat in suo judicio ex propria notitia veritatis, sicut procedit Deus: propter quod ipse Daniel quasi divini judicii exequutor fuit etiam accusator, simul & judex. Cum quo tamen stat, adhuc suppleri posse accusatorem, sed per aliquid vicem illius gerens, cùm publica infamia locum habeat accusatoris, ut ait Glossa. Quo etiam modo utitur Deus in suo judicio accusatore, qui est conscientia peccantis.

In Gen. cap. 4.

ART. 4. *Vtrum judex licitè possit pœnam relaxare.*

℞. *Negativè*, ita scilicet quod ab hoc impediatur & ex parte accusatoris, & ex parte reipublicæ, cujus fungitur potestate. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad jus accusatoris pertineat quandoque, ut reus puniatur, & judex teneatur reddere jus suum unicuique; ideò ex ratione accusatoris non habet judex inferior potestatem absolvendi à pœna contra leges à superiore sibi impositas, esto quod Princeps, qui plenariam habet potestatem, si qui passus est injuriam, velit eam remittere, possit reum licitè absolvere, si publicæ utilitati non sit nocumento; sed nec etiam potest judex inferior ex parte reipublicæ, cujus

poteſtate fungitur, utpote ad cujus bonum pertinet, ut malefactores puniantur. Vnde poteſt quidem Deus, qui eſt ſupremæ poteſtatis, remittere quidquid contra aliquem peccatur: at miſericordiam facere in his, quæ ſunt determinata ſecundùm leges divinas, vel humanas, non eſt judicis inferioris, ſed in his ſolùm, quæ ejus arbitrio relinquuntur. Remittere namque inordinatè pœnam nocet communitati, ut dictum eſt; necnon perſonæ injuriâ affectæ, quæ recompenſationem quandam honoris accipit in pœna injuriantis.

IN QVÆSTIONEM LXVIII.

De pertinentibus ad injuſtam accuſationem.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum homo teneatur ad accuſandum. ℞. *Affirmativè*, ita quod ubi vergit crimen in Reipublicæ damnum, teneatur tunc ad accuſandum, ſi tamen ſufficienter probare poſſit. *Primum eſt*, quia cùm quies Reipublicæ, quam omnes debent procurare, procuretur per punitionem peccantium; & accuſatio intendat peccantium punitionem, ſicuti denunciatio eorundem emendationem; ideò licèt revelare ſecretum in malum perſonæ ſit contra fidelitatem, ſi tamen id vergat in reipublicæ commodum, & contrarium in detrimentum, tunc tenetur homo ad accuſationem; & quidem quanvis aliqui ex peccato reddantur inhabiles ad alios accuſandos, utpote cùm nihil prohibeat reddi aliquem per peccatum impotentem ad ea, quæ homines tenentur facere, ut ad aſſumenda Eccleſiaſtica Sacramenta; ſitque in hoc pœna graviſſima. Cum quo tamen ſtat, prohiberi ſubditos accuſare Prælatos ſuos, quando ſcilicet 2. q. 1,

non ex charitate, sed magis ex pravitate vitam eorum diffamare, aut reprehendere quærunt. *Secundum est*, quia cùm nemo teneatur ad id quod non potest debito modo perficere, nec etiam tenebitur ad accusandum quando sufficienter probare nequit.

ART. 2. *Vtrum sit necessarium accusationem fieri in scriptis.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ad judicii certitudinem id expediat, quanvis non ita quod etiam in judicio per denunciationem sit necessarium. *Primum est*, quia cùm judex in accusatione constituatur medius inter accusatorem, & eum qui accusatur ad examen justitiæ, in quo quantum possibile est, oportet procedere secundùm certitudinem; & quæ solo verbo dicuntur, facilè labantur, nec esset aliàs certum quid, aut qualiter dictum sit; ideò etiamsi post modicum tempus debeat sententia promulgari, adhuc expedit ad certitudinem judicii, ut accusatio redigatur in scriptis. Vnde illud: Nullius accusatio suscipiatur per scripta, &c. non nisi de absente intelligitur, qui peremptam accusationem mittat; nec excluditur, quin cùm præsens fuerit, necessaria sit scriptura. *Secundum est*, quia cùm denunciator non se obliget ad probandum, ideò nec in denunciatione necessaria est scriptura, sed sufficit quod Ecclesiæ denunciet, ut ex officio suo procedat ad fratris emendationem.

2. q. 8. c. Per scripta.

ART. 3. *Vtrum accusatio reddatur injusta propter calumniam, prævaricationem, & tergiversationem.* ℞. *Affirmativè*, ita quod contingat in accusatione peccatum, & quia falsum imponitur crimen, quod est calumniari; &

quia fraus in accusatione adhibetur, quod est prævaricari, vel quia per tergiversationem ab accusatione desistitur. *Ratio cujusvis partis est*, quia cùm accusatio ordinetur in bonum commune, ad quod quidem promovendum nemo debet alicui nocere; & hoc possit contingere, primò cùm quis injustè agit contra eum, qui accusatur falsum imponendo, quod est calumniari; deinde ex parte reipublicæ, cùm quis malitiosè impedit punitionem peccati, & hoc vel adhibendo fraudem in accusatione, quod ad prævaricatorem pertinet, qui talis dicitur quando adversam partem juvat, proditâ causâ suâ; vel totaliter ab accusatione desistendo, quod est tergiversari: ideo & propter hæc tria redditur accusatio injusta; ita tamen quod calumniari dicatur, non quicumque ex levitate animi, aut ex justo errore (in quo tamen non habet locum ignorantia facti) movetur ad accusandum; sed solùm cùm ex malitia in falsam accusationem prorumpit: sed nec dicatur prævaricari, nisi qui abscondit fraudulenter vera crimina, de quibus est accusatio, & colludit cum reo proprias probationes dissimulando, & falsas excusationes admittendo: sicut neque tergiversari dicitur, nisi qui inordinatè deponit animum accusandi, non autem si cognoverit vel falsum id esse, de quo accusavit, vel quod Princeps aboleverit.

Vtrum accusator, qui in probatione defecerit, teneatur ad pœnam talionis. ℞. *Affirmativè*, ita quod justum sit, ut pœnam similem patiatur, qui alium accusando in periculum pœnæ inducit; si tamen animo ART. 4.

nocendi accusaverit, non ex errore. *Primum est*, quia cùm ad judicem pertineat, ut inter accusatorem, qui in causa accusationis constituitur pars, & accusatum justitiæ æqualitatem constituat; & justitiæ æqualitas requirat, ut nocumentum, quod quis alteri intendit, ipse patiatur; ideò licèt innocenter accusatus possit injuriam remittere, & ipse Princeps pœnam, & quidem etiam infamiæ, quæ debetur propter malitiam, esto quod infamia facti aboleri non possit, ut dicit Gelas. ipse tamen accusator pœnam talionis meretur in quantum peccat contra personam accusati; sicut & infamiæ pœnam, cùm etiam peccet contra Rempublicam. *Secundum est*, quia cùm involuntario non debeatur pœna, ideo nec debet judex pœnam talionis imponere, cùm cognoverit aliquem de falso accusasse, non voluntate nocendi, sed propter ignorantiam, ex justo errore.

IN QVÆSTIONEM LXIX.

De peccatis contra justitiam ex parte rei.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum absque mortali peccato possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur.* ℞. *Negativè*, ita quod veritatem negando faciat contra justitiæ debitum; si tamen exquirat judex secundùm ordinem juris. *Primum est*, quia cùm debitum justitiæ sit, ut quis suo obediat superiori, ut est judex respectu ejus, qui judicatur; ideò facit reus contra justitiam, necnon contra dilectionem Dei, cujus est judicium, & contra judicem cui debitum negat, & contra accusatorem, qui inde punitur si in probatione deficiat; proindeque & mortaliter peccat, qui legitimè in-

terrogatus veritatem negat; nec enim mentiri ad liberandum aliquem à morte cum injuria alterius, vel ad sui excusationem, est simpliciter mendacium officiosum, ut inter venialia numeretur: cum quo tamen stat, quod non ipse reus se prodat, sed ab alio prodatur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur. *Secundum est*, quia quanvis mendacium dicere non liceat, quando non secundùm ordinem juris interrogatur reus, potest tamen vel per appellationem, vel aliter subterfugere, sicque non tenetur ita interrogatus de veritate respondere.

Vtrum accusato liceat calumniosè se defendere. ℟. *Negativè*, ita quod peccet si veritatem, quam confiteri tenetur, dolosè taceat, vel falsitatem dicat; quanvis non ita, quod ex eo secundùm humanas leges puniatur. *Primum est*, quia licèt accusatus non teneatur omnem veritatem confiteri, sed solùm illam, quam secundùm ordinem juris potest judex ab eo requirere, ut cùm præcessit vel infamia, vel manifesta indicia, vel semiplena probatio, & aliàs possit se tueri veritatem occultando; tamen sicut falsitatem proponere in nullo casu licet, sic etiam id quod ei licitum est, non debet per vias illicitas tentare, ut per fraudem, & dolum, quod est calumniosè se defendere; quia pertinet ad astutiam, & vitiosum est: sed sicut sapiens timere dicitur, & declinare à malo, prudenter scilicet, & per convenientes modos, ut non respondendo ad ea, ad quæ non tenetur. *Secundum est*, quia licèt peccet reus in causa sanguinis corrumpendo adversarium, & ART. 2.

ideo in divino judicio ſit puniendus; quia tamen lex civilis non exigit ab homine omnimodam virtutem, utpote quæ paucorum eſt, nec poteſt in tanta populi multitudine inveniri, quantum lex humana habet neceſſe ſuſtinere; ideò nec huic pecca-to pœnam adhibet lex civilis, præſertim cùm ſic colludens reus id faciat ad vitandam mortem, quæ eſt omnium terribilium terribiliſſimum, & pro tanto ei licitum eſſe dicitur, quia impunitum.

ART.3. *Vtrum reo liceat judicium per appellationem declinare.* ℞. *Negativè*, non quòd non liceat appellare ex confidentia juſtæ cauſæ ſed ita quod causâ afferendæ moræ non debeat aliquis appellare. *Primum eſt*, quia cùm appellare causâ differendæ moræ, ne contra ſe juſta ſententia proferatur, hoc ſit calumniosè ſe defendere, & facere injuriam judici, utpote cujus officium impeditur, necnon & adverſario, cujus juſtitia perturbatur; ideò illicitum eſt ſic appellare, & puniendus eſt, qui ſic appellat. *Secundum eſt*, quia cùm judex inferior aliquem gravans relinquat poteſtatis ſuperioris ordinem, ob quem illi ſubjicitur; ideo & licet gravato ex confidentia juſtæ cauſa

Actor. 25. appellare ad ſuperiorem, ut fecit Paulus, vel ante ſententiam, vel poſt, modò non ſit ſuperior infidelis, utpote quia præſumitur, quod ubi non eſt fides, nec etiam eſt rectitudo. Ita tamen quod negetur ſubſidium appellationis à judicibus arbitrariis, qui non niſi ex conſenſu partium poteſtatem habent, quandoquidem ex proprio defectu procedit, ut quis ſe ſua ſponte ſubjiciat judicio illius, de cujus juſtitia

non confidit : imò nec ad ullum appellare licet post decimum diem, ne scilicet certitudo judicii remaneat suspensa, & ne ita subveniatur, ut gravetur alter; sicut nec licet tertio appellare sub eodem, eo quòd non sit probabile, toties judicem à recto judicio declinare.

Vtrum liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit. ℞. *Negativè*, ita quod ubi justa est condemnatio, non liceat se defendere, quanvis non ita quod etiam teneatur in loco manere, unde ad mortem ducatur. *Primum est*, quia cùm ideò injustè condemnato liceat resistere malis Principibus, nisi fortè propter vitandum scandalum, quia hujusmodi judicium est simile violentiæ latronum; & tale non sit in justa condemnatione, quin imò licitum est judici eum resistentem impugnare, proinde fit, quod injustum sit bellum ex parte illius, atque ita quod peccet se defendendo. Nec enim quælibet defensio sui est licita, sed quæ fit cum debito moderamine, utpote cùm ea, ad quæ natura inclinat, secundùm rationis ordinem sint exequenda; neque qui ducuntur ad mortem ita sunt eruendi, ex Scriptura, ut etiam contra justitiæ ordinem erui debeant. *Secundum est*, quia quanvis nunquam liceat resistere agenti, quin patiatur quis, quod justum est pati; quia tamen nèmo tenetur facere id unde mors sequatur, ut est in præsenti manere in carcere; ideò & licet unicuique per fugam à morte se liberare, sicut condemnato ut fame moriatur, licet cibum sumere sibi ministratum. ART. 4. Prov. 14.

IN QVÆSTIONEM LXX.

De justitia pertinente ad personam testis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum teneatur homo ad testimonium ferendum. ℞. *Affirmativè*, ita quod & teneatur, ubi à superiore requiritur secundùm ordinem juris; & ubi agitur de liberatione ab injustitia, teneatur, quanvis non requiratur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ex hoc quod non fertur testimonium in condemnatione alicujus, nisi requiratur ad liberandum aliquem ab injusta morte, vel à pœna, vel à falsa infamia, nulli ex hoc speciale innascatur damnum, utpote cùm de accusatore, si ei immineat periculum, cùm non potest probare, non sit curandum, quia sua sponte in periculum se ingessit; ideò non nisi in duobus præfatis casibus tenetur quis testimonium ferre, putà vel dum à superiore requiritur, aut ubi agitur de liberatione alicujus ab injustitia; aliàs namque occultatio veritatis est licita, & sic Abraham occultavit veritatem, quando scilicet quis non compellitur authoritate superioris, & quando nulli specialiter est damnosa. Ita tamen quod clerici cogi non possint ad ferendum testimonium in causa sanguinis, quandoquidem non decet ministros Altaris cooperari ad occisionem hominis; sed nec quæ in secreto per confessionem sciuntur sunt ullo modo per testimonium manifestanda, quia scit ista homo ut minister Dei, & majus est vinculum Sacramenti, quàm hominis præceptum, esto quod quæ aliter committuntur sub secreto, si pertineant ad corruptionem multitudinis, vel spiritualem, vel corporalem, vel ad grave damnum alicujus

personæ, debeant tunc manifestari; quia aliàs homo frangeret fidem, quam alteri debet; & ita per secretum commissum non potest quis obligari ad contrarium.

Vtrum sufficiat duorum vel trium testimonium. ℞. *Affirmativè*; non quòd ex duobus, aut tribus habeatur certitudo omninò infallibilis, sed ita ut habeatur exinde sufficienter probabilis. *Primum est*, quia cùm de actibus humanis, super quibus constituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non requiratur certitudo demonstrationis, cùm sint circa contingentia, sed sufficiat probabilis, & hæc sufficienter habeatur ex duorum, vel trium testimonio, utpote cùm probabile sit, quod magis contineat veritatem dictum multorum, quàm dictum unius; & omnis multitudo in tribus comprehendatur, scilicet principio, medio & fine; ideò & ex duorum, vel trium testimonio sufficiens habetur certitudo, esto quod specialiter contra Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Clericos Romanæ Ecclesiæ plures requirantur testes: tum quia tales esse debent, ut eorum sanctitati plus credatur, quàm multis testibus: tum ne derogetur dignitati Ecclesiæ, si condemnentur: tum etiam, quia cùm alios judicent, plures etiam adversarios habent. *Secundum est*, quia cùm fuerit Naboth duorum testimonio falso condemnatus, evidenter colligitur, quod non possit in talibus haberi infallibilis veritas; ita tamen quod non proinde negligi debeat certitudo, quæ probabiliter haberi potest per duos, vel tres testes, quorum quidem discordia, quamvis ubi non est nisi in circumstantiis, non ART. 2.

pertinentibus ad ſubſtantiam facti, non præjudicet teſtimonio, immò aliquando faciat illud probabilius; ſi tamen eſt in his, quæ variant ſubſtantiam facti, ut in tempore, loco, &c. infirmat teſtimonium, eſto quod non infirmet, ſi unus ſolùm dicat, ſe non recordari, & alius circumſtantias aſſignet; & quanvis ſi teſtes actoris, & rei diſcordes ſint, & æquales numero, & dignitate, ſtari debeat pro reo; quia facilior eſſe debet judex ad abſolvendum, quàm ad condemnandum, præterquam in cauſis favorabilibus: non ita tamen de teſtibus ejuſdem partis diſſidentibus, utpote circa quos advertere debet judex cui parti ſtandum ſit, vel ex numero teſtium, vel ex dignitate, vel ex conditione negotii, aut cauſæ, an aliquis ſibi contradicat; ſed in his, quæ viſu, vel ſcientiâ ſcit, quia de auditu, & fama non refert.

ART. 3. *Vtrum alicujus teſtimonium ſit abſque ejus culpa repellendum.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non ſit repellendum ob culpam, ſed ita quod etiam abſque culpa repelli poſſit. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm teſtimonium non habeat niſi probabilem veritatem, proindeque quando probabiliter affertur aliquid in contrarium, reddatur teſtimonium inefficax; ideo cùm hoc fiat vel propter culpam, quâ ratione repelluntur à teſtimonio infames, infideles, & qui ſunt rei publico crimine, qui nec etiam accuſare poſſunt; vel etiam præter culpam, & hoc vel ex defectu rationis, ut pueri, amentes, mulieres, &c. vel ex affectu, ut inimici perſonæ conjunctæ, & domeſtici, vel ob exteriorem conditionem, ut ſunt

pauperes,

pauperes, servi, &c. de quibus probabile est, quod possint seduci, proinde fit, repelli posse testimonium & propter, & præter culpam, præsertim cùm repellere aliquem à testimonio potiùs pertineat ad cautelam falsi vitandi testimonii, quàm ad pœnam. Vnde de quolibet quidem præsumendum est bonum, modò tamen non appareat contrarium, nec vergat in periculum alterius, quia tunc cautè est procedendum, ne de facili cuique credatur; sicut nec dicitur testificari veritatem de necessitate salutis, nisi suppositâ testis idoneitate.

Vtrum falsum testimonium semper sit peccatum mortale. ℞. *Affirmativè*, non quidem semper ex falsitate, sed & ex perjurio, & ex violatione justitiæ. *Primum est*, quia cùm non admittantur testes, nisi jurati, ideò & habet falsum testimonium ex perjurio, seu juramento violato rationem peccati mortalis, esto quod nō habeat in injusto judicio ad injustitiam impediendam, ex vi judicii; sed habet insuper ex violatione justitiæ, sicut quælibet injustitia, quandoquidem sub hac ratione interdicitur in præcepto Decalogi. Vnde in testimonio debet quisque dubium pro dubio, & certum pro certo asserere, esto quod si affirmet falsum post inquisitionem, putans ita esse, non peccet, cùm sit præter intentionem. *Secundum est*, quia cùm non quodlibet mendacium sit mortale, ideò nec ex ipsa mendacii falsitate habet testimonium falsum, quod semper mortale sit; ita tamen, quod quanvis ex se mortale esset, adhuc requireretur juramentum testis, utpote cùm magis abhorreat homo peccare contra Deum ex ART. 4.

violatione juramenti, quàm contra hominem ex injustitia, aut falsitate.

IN QVÆSTIONEM LXXI

De injustitia, quæ fit in judicio ex parte Advocatorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum advocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum. ℞. Negativè, non quòd non teneatur, si quis tantam patiatur necessitatem, quod non in promptu appareat, quod ei aliter possit subveniri; sed ita quod extra hunc casum non teneatur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm hujusmodi patrocinium ad opus misericordiæ pertineat, sicut & curatio quantum ad medicum, aliàs deberet homo omnia alia negotia prætermittere ad istud peragendum; ideò & idem dicendum est, quod suprà, cùm de operibus misericordiæ; adeò ut quando esset aliquis in tanta necessitate, ut non esset in promptu, quomodo aliter ei subveniendum esset, tunc teneatur ad præstandum patrocinium: sicut & ex Scriptura asino jacenti sub onere tenetur aliquis juvare, quia non potest aliter subveniri: at extra hunc casum non aliter tenetur, nisi secundùm Aug. dictum, scilicet quod cùm omnibus prodesse non potes, his potissimùm consulendum sit, quibus pro locorum, temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictus, tibi quasi quadam sorte conjungantur, ita quod non teneatur homo indigentes quærere, sed sufficiat ut iis, qui occurrunt, pro præsenti necessitate succurrat, & magis conjuncto, quàm aliis, juxta illud Scripturæ, Si occurreris bovi inimici tui, reduc ad eum. Licèt enim homo talentum

Exod. 23.

sibi traditum teneatur utiliter dispensare, non nisi tamen servatis circumstantiis dictis: sicut nec quælibet necessitas debitum causat subveniendi, sed solùm illa quam diximus.

Vtrum convenienter aliqui secundùm jura arceantur ab officio advocandi. ℞. *Affirmativè*, & quidem tum ex impotentia, tum etiam ex indecentia. *Ratio utriusque partis est*, quia ex impotentia, quæ quidem simpliciter excludit ab actu, arcentur furiosi, & impuberes, surdi, & muti, utpote quia advocato necessaria est peritia, ut justitiam causæ ostendat; & loquela cum auditu, ut possit pronunciare, & audire quod ei dicitur: ex indecentia autem, quæ tamen non omninò excludit, quia necessitas indecentiam tollit, arcetur, vel quia aliquis est rebus majoribus obligatus, quanvis alia sint misericordiæ opera, ut monachi, presbyteri, & clerici respectu alicujus causæ, & judicii sæcularis, esto quod possint Clerici pro Ecclesiis suis, & Monachi pro Monasterii causa, si præcipiat Abbas: vel propter defectum personæ, sive corporalem, ut cæci; sive spiritualem, ut infames, infideles, & damnati gravioribus criminibus, utpote quia non debet alterius justitiæ patronus existere, qui in seipso justitiam contempsit. Vnde quanvis hæc duo personarum genera, majores, & minores, sint inter se contraria, cum hoc adhuc compatitur, ut alii arceantur, quia majores tali officio, & alii, quia minores; ita tamen, quod aliqui possint sibi, & non aliis patrocinari, cùm non ita immineat necessitas in alienis causis, ut in suis. ART. 2.

Art. 3. *Vtrum advocatus peccet, si injustam causam defendat.* ℟. *Affirmativè*, non quidem si pateat esse justam, sed si scienter defendat injustam. *Primum est*, quia cùm illicitum sit cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, aut qualitercumque consentiendo, ex Apost. & advocatus auxilium, & consilium præstet ei, cujus causæ patrocinatur; ideò si scienter injustam defendat causam, graviter peccat, & ad restitutionem tenetur damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit: in quo quidem differt à medico cùm desperatam curat infirmitatem, utpote qui nulli facit injuriam, sicuti advocatus in defendendo injustam causam, in qua quidem licèt ostendat peritiam artis, peccat nihilominus, quia abutitur arte. Cum quo tamen stat, quod advocato defendenti causam justam, liceat prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus ejus; quanvis nunquam liceat ei aliqua uti falsitate. *Secundum est*, quia si ignoranter injustam defendat causam, putans esse justam, excusatur ea ratione, quâ ratione ignorantia excusare potest; ita tamen, quod si in principio credidit causam justam esse, & in progressu contrà appareat, non debeat tunc eam prodere, ut alteram partem juvet; sed debet tunc inducere eum, cujus ægebat causam, ad componendum sine adversarii damno.

Rom. 1.

Art. 4. *Vtrum advocato liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere.* ℟. *Affirmativè*, ita quod non semper teneatur gratis patrocinium impendere, esto quod peccet, si immoderatè accipiat. *Ratio utriusque partis est*, quia

cùm quisque justè possit recompensationem accipere pro eorum exhibitione, quæ facere non tenetur; & advocatus (& idem dicendum de medicis, & aliis hujusmodi personis) non semper teneatur patrocinium præstare, ut dictum est; ideò peccat quidem advocatus, si vendens suum patrocinium immoderatè accipiat, quia facit contra justitiam, ut ait Aug. non tamen si simpliciter vendat. Licet enim spiritualis sit scientia juris, tamen usus ejus fit opere corporali, proindeque & vendi potest, & quidem quanvis annumerari possit inter opera misericordiæ, cùm non semper quæ homo potest misericorditer facere, teneatur facere gratis; esto quod quando misericorditer impendit, non humanam, sed divinam remunerationem quærere debeat. Cum quo tamen stat, quod quia advocatus alteram tantùm defendit partem, ad differentiam testis, & judicis, qui sunt communes utrique parti; ideò judices habere debeant stipendia laboris de publico, & testes expensas accipere, sed non aliud, quia tenentur verum testimonium dicere; at advocatus licitè possit stipendium à parte accipere.

Epist. ad Macrob.

IN QUÆSTIONEM LXXII.

De injuriis verborum, quæ inferuntur extra judicium.

ARTICULUS PRIMUS.

V*Trum contumelia consistat in verbis.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non dicatur etiam in factis per extensionem nominis; sed ita quod in verbis consistat propriè loquendo. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad contumeliam propriè pertineat, ut quod est contra honorem alicu-

jus, deducat aliquis in notitiam ejus, & aliorum, quod quidem fit per aliqua signa; ideò cùm verba inter homines obtineant principatum inter signa, ex Aug. poterit quidem contumelia extensione nominis etiam in factis dici, non quidem prout faciendo dehonorant, quia sic pertinent ad alias species injustitiæ, sed prout etiam per facta aliquid significatur: at propriè loquendo nonnisi in verbis consistit, non ut sunt soni, sed ut sunt signa repræsentativa, sub qua scilicet ratione possunt multa inferre damna, ut detrimentum honoris, & reverentiæ. Ita tamen quod etiam convitium, & improperium in verbis consistant, quandoquidem per omnia hæc repræsentatur defectus alicujus in detrimentum honoris ipsius, esto quod aliquando unum pro altero sumatur; sed taliter, quod ad contumeliam pertineant defectus culpæ, ad convitium autem generales defectus culpæ, & pœnæ, quia convitium dicitur respectu defectus corporis, & animæ; at ad improperium pertineant defectus indigentiæ, dum scilicet aliquis injuriosè reducit alteri ad memoriam auxilium, quod ei contulit in necessitate existenti.

Lib. 1. de doctr. Christ. cap. 3.

ART. 2. *Vtrum contumelia, sive convitium sit peccatum mortale.* ℞. *Affirmativè*; si tamen dicatur non ad correctionem, vel aliud quid hujusmodi, sed animo dehonorandi. *Primum est*, quia cùm homo non minùs amet honorem suum, quàm rem possessam; ideo proferre verba cum intentione, ut alterius honorem auferant, quod est propriè convitium dicere, & facere contumeliam, est peccatum mortale, non minùs

quàm furtum, & rapina; ita tamen, quod quia convitium, aut contumelia ex animo dicentis dependent, quanvis ex genere suo mortalia sint, fieri possit, ut sint venialia; si nimirum dicantur per jocum, intendendo tantùm leviter contristare, sine intentione dehonorandi. Vnde & ad virtutem eutrapeliæ pertinet dicere leve aliquod convitium causâ solùm delectationis, & joci, quod potest esse sine peccato, esto quod contristare aliquem, ut aliis risus excitetur, vitiosum sit, ut ait Arist. *Secundum est*, quia causâ correctionis, & disciplinæ potest aliquis ei, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere; quo modo Dominus dixit, O stulti, &c. & Apostolus, O insensati Galatæ; sed tamen rarò hoc fieri debet. Lib. 4. Ethic. cap. 2.

Vtrum aliquis debeat injurias sibi illatas sustinere. ℞. *Affirmativè*, non quòd non oporteat quandoque, ut contumelias repellamus, sed ita quod teneamur habere ad eas sustinendas paratum animum. *Primum est*, quia cùm eadem ratio sit de his, quæ contra nos dicuntur, & de his quæ contra nos fiunt, quia patientia est necessaria circa utrumque; & præcepta patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, sint non quidem in actu, sed in præparatione animi habenda, quando scilicet expediens fuerit, ut notat Aug. ideò & quilibet habere debet paratum animum ad contumelias sustinendas, si expediens fuerit. Vnde quanvis qui tacet ut contumeliantem ad iracundiam provocet, faciat id quod pertinet ad vindictam; nihilominùs laudabile est, si taceat, ut detur locus iræ. *Secundum est*, ART. 3. Lib. 1. de serm. Dom. cap. 34.

quia injurias repellere (si tamen moderatè fiat propter charitatem, juxta illud: Ne
Prov.26. respondeas stulto, &c.) est quandoque utile, & ut injuriantis audacia reprimatur, ac de cætero talia non attentet; unde & scriptum est: Responde stulto, &c. tum propter bonum illorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illa-
Hom.4. tas: unde Greg. Hi quorum vita in exem-
in Ezech. plo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere. Ita tamen quod magis alienas, quàm proprias reprimere expediat, utpote quod videtur magis ex charitate provenire.

ART.4. *Vtrum contumelia oriatur ex ira. R. Affirmativè*, non quòd non disponat superbia ad contumeliam, sed ita quod majorem habeat affinitatem cum ira. *Primum est*, quia cùm peccatum dicatur principaliùs habere originem ex eo, ex quo frequentiùs procedere consuevit, propter propinquitatem ad finem ipsius; & contumelia magnam habeat propinquitatem cum fine iræ, qui est vindicta, quandoquidem nulla vindicta est irato magis in promptu, quàm inferre contumelias; ideò ex ira maximè oritur contumelia, quæ proinde etiam ex stultitia oriri dicitur, propter affinitatem quam habet cum ira, utpote quia ira non audit perfectè rationem: quinimmò ad iram spectat contumelia magis quàm ad odium, propterea quod iratus intendit manifestam offensam, quam non curat odiens. *Secundum est*, quia illi, qui se ex superbia superiores æstimant, faciliùs alios contemnunt, sicut & faciliùs irascuntur, utpote reputantes indignum quidquid contra eorum volunta-

tem agitur; sicque disponit superbia ad contumeliam, quanvis non ad finem superbiæ ordinetur, qui est celsitudo, sed ad vindictam, ut dictum est.

IN QVÆSTIONEM LXXIII.

De detractione.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum detractio convenienter definiatur, Denigratio alienæ famæ per occulta verba.* R. *Affirmativè*, ita quod differat detractio à contumelia, & quoad modum proponendi verba occultè, & quantum ad finem, famæ scilicet derogando, non honori. *Ratio utriusque partis est*, quià sicuti facto quis nocet, aut nocere potest dupliciter, manifestè scilicet, & occultè; ita & verbo: & cùm qui primo modo verbo nocet, parvipendeat, & dehonoret, quod quidem ad contumeliam pertinet; qui autem occultè verba contra aliquem profert, potiùs videatur eum vereri, quàm parvipendere, sicque non inferat detrimentum honori, sed famæ, prout facit habere malam opinionem de eo quod est, ad quod conatur detrahens; ideò fit, quod detractio sufficienter, proindèque & convenienter distinguatur, & quoad modum proponendi verba occultè; in occulto namque, & manifesto sufficienter diversificatur ratio peccati, cùm alia sit ratio involuntarii per violentiam, alia per ignorantiam: tum quoad finem, famæ scilicet derogando. Ita tamen, quod detractionis verba, quæ quidem dicuntur occulta, non simpliciter, sed respectu illius contra quem dicuntur, quia eo absente, vel ignorante proferuntur, dicantur ita detrahentia, non quòd de veritate detrahant, sed quia diminuunt de fa-

ma, & hoc vel directè, imponendo falsum, augendo peccatum, revelando occultum, & dicendo bonum mala intentione fuisse factum; vel indirectè, negando bonum alterius, malitiosè reticendo, aut minuendo.

ART.2. *Vtrum detractio sit peccatum mortale.*

℟. *Affirmativè*, si tamen sumatur detractio per se, & formaliter; non autem solùm materialiter, & per accidens. *Primum est*, quia cùm detractio ex sua formali ratione ordinetur ad denigrandam alicujus formam, de aliquo, eo absente, obloquendo; & auferre famam grave sit, utpote quia pretiosior est inter res temporales, & ob ejus defectum impeditur homo à multis bene agendis; ideò per se, & formaliter loquendo mortalis est detractio, esto quod dicat Glossa, quod detractio penè in toto
Prov.24 humano genere inveniatur: addit namque, *penè*, quia stultorum penè infinitus est numerus; & quia rari sunt, qui non offendant verbo. Ita tamen quod sub detractione non comprehendatur revelatio peccati occulti alicujus, propter ejus emendationem denuntiando, vel propter bonum justitiæ publicæ accusando: sicut nec de ea loquitur Aug. dum inter minuta peccata ponit maledicere, quippe qui loquitur de verbis non dictis animo nocendi, sed ex animi levitate, vel lapsu linguæ. *Secundum est*, quia dicitur quis per accidens, & materialiter detrahere, quando verba profert denigrantia, non ex intentione minuendi famam, sed propter aliquid, quod ne quidem est peccatum si fiat propter aliquod bonum necessarium cum circumstantiis; vel non nisi veniale, si non propter causam ne-

cessariam : si tamen verbum non sit grave, nec notabiliter famam lædat in his quæ pertinent ad honestatem vitæ.

Vtrum detractio sit gravior omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur. ℞. *Negativè*, ita quod detractio sit quidem majus quàm furtum; sed minus quàm adulterium, & homicidium. *Primum est*, quia cùm illud peccatum in proximum gravius sit, quod majus inducit nocumentum, & tanto majus inducat, quanto majus bonum diminuit; ideò cùm bonum corporis præmineat bono exteriorum rerum, gravius proinde est homicidium, quod tollit vitam, deinde adulterium, quod est contra debitum humanæ generationis ordinem, quàm detractio, quæ solùm tollit exteriorem famam, quæque etiam quantum ad circumstantias ex eo minuitur, quod peccata loquutionis quandam important levitatem, in quantum de facili ex lapsu linguæ provenire solent absque magna præmeditatione. Imò detractores, qui quidem dicuntur homicidæ solùm occasionaliter, sicut etiam intelligitur illud, *Qui odit fratrem suum homicida est*, minùs peccant quàm contumeliosi, upote qui ex manifesta contumelia magis contemnunt proximum; & quidem quanvis detractio, quia in occulto, oriatur ex invidia, quæ est majus peccatum irâ, à qua est contumelia, utpote cùm ex minore vitio possit oriri majus peccatum, eo quòd origo peccatorũ ex parte conversionis sit, gravitas autem ex parte aversionis. Cum quo tamen stat quod inducat detractio in gravissimum defectum, qui est excæcatio mentis, quatenùs quia lætatur ART. 3.

homo in sententia oris sui, inde est quod qui detrahit, incipiat magis amare & credere quod dicit, & consequenter magis odisse proximum, & recedere à cognitione veritatis, quod tamen sequi potest ex aliis etiam peccatis, quæ pertinent ad odium proximi. *Secundum est*, quia cùm privet detractio majore bono, unde sumitur ratio culpæ peccatorum in proximum, quàm furtum, quandoquidem melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ, ut
Prov.22. ait Scriptura, ideò & gravior est detractio furto.

ART.4. *Vtrum audiens, qui tolerat detrahentem, graviter peccet.* ℞. *Affirmativè*, si tamen non ex timore, aut negligentia, vel verecundia solùm toleret; sed ut ei placeat detractio ex odio. *Primum est*, quia qui ita detrahentem tolerat, sicut & qui inducit ad detrahendum, ita quod ei placeat detractio ex odio illius cui detrahitur, non minùs peccat, quàm detrahens, & quandoque magis: propter quod dicit Bernardus, *Detrahere, vel detrahentem audire, quorum damnabilius sit, non facile dixerim.* Quanvis enim in arbitrio sit cujuslibet detrimentum pati suæ famæ, nisi vergat in periculum aliorum, in quo sensu potest commendari sustinentia detractionum; non tamen est sui arbitrii ut patiatur detrimentum famæ alterius, & quidem quanvis proveniat ex detractione aliquando utilitas, utpote quæ non est ex detrahentis intentione, sed ex Dei ordinatione. Vnde licèt qui scit verum esse, quod dicitur, non debeat tunc arguere detrahẽtem de falsitate; benè tamen de hoc, quod peccat fratri de-

trahendo, aut ostendendo sibi detractionem displicere. *Secundum est*, quia quanvis peccet qui detractiones audit absque resistentia, utpote qui videtur detractori consentire, unde fit particeps peccati illius, quod est peccatum, ex Paulo; qui tamen sic tolerat, non quòd ei placeat peccatum, sed ex timore, negligentia, aut verecundia, multò minùs peccat, quàm detrahens, & plerumque venialiter, esto quod possit aliquando esse mortale, vel quia debet ex officio corrigere, vel propter periculum, quod inde novit consequuturum, vel etiam quia mundanus timor est quandoque peccatum mortale. Rom. 1.

IN QVÆSTIONEM LXXIV.

De susurratione.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum susurratio sit peccatum distinctum à detractione. ℞. *Affirmativè*, non quòd non conveniant in materia, imò & in forma; sed ita quod cum hoc adhuc in fine differant. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm utraque malum occultè de proximo dicat, unde aliquando una pro alia ponitur, juxta illud, Non appellaberis susurro, id est, ut exponit Glossa, detractor; ideò in materia conveniunt, atque in forma, seu modo loquendi; sed quia intendit detractor denigrare famam proximi, susurro verò amicitiam separare, ut dicit Glossa, adeò ut non intendat simpliciter dicere malum, sed illud, quidquid sit, quod possit discordiam gignere; ideò adhuc in fine differt à detractore, sicut & à criminatore, qui quidem ita dicitur, quia publicè aliis crimina imponit. Unde & propriè *Bilinguis*, susurro dicitur, quatenus volens

amicitiam rumpere inter duos, duabus linguis utitur, uni scilicet dicens malum de altero.

ART. 2. *Vtrum susurratio sit majus peccatum quàm detractio.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod majus inferat nocumentum, quàm detractio, immò & quàm contumelia. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm peccatum illud gravius sit, quod aufert majus bonum; & amicus, quem tollit susurratio directè, non autem solùm dispositivè, ut detractio tollendo famam, præemineat inter cætera exteriora bona, quia sine eo

Lib. 8. Ethic. cap. 1. nemo vivere potest, ut ait Arist. sitque melior quàm fama, quæ scilicet deservit ad amicitiam comparandam; nec est melior, quàm honor, quem tollit contumelia, sicut & melius est amari, quàm honorari, ut idem docet: ideò licèt detractor, & contumeliosus quandoque peiora dicant, est tamen susurratio gravior ratione finis. Et quidem quanvis qui detrahit fratri, videatur detrahere legi, prout scilicet præceptum contemnit de dilectione fraterna, utpote contra quod directiùs agit qui amicitiam disrumpere nititur, ut susurro, qui propterea maximè peccat contra Deum, qui etiam ex Scriptura seminantes discordias detestatur.

IN QVÆSTIONEM LXXV.

De derisione.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum derisio sit speciale peccatum ab aliis præmissis distinctum. ℞. *Affirmativè*, ita quod & differat à convitio, detractione, & susurratione in fine, & à subsannatione in modo. *Primum est*, quia cùm peccata verborum sint pensanda secundùm

intentionem proferentis, & secundùm diversa, quæ intenduntur, diversificentur; per convitium autem intendamus honorem deprimere, per detractionem famam minuere, per susurrationem amicitiam tollere, & per derisionem ut qui irridetur erubescat; ideò quanvis communicet derisio cum prædictis vitiis in materia, quia dicit turpia, adhuc tamen differt in fine, cùm dicat tantùm, ut generet confusionem, & erubescentiam in eo quem irridet. Vnde & inducit derisio speciale nocumentum, quandoquidem inquietat irrisi conscientiam, cujus securitas est maximum bonum. *Secundum est*, quia cùm derisio solùm differat à subsannatione, quia fit ore, id est verbis, & cachinnis; subsannatio autem naso rugato, sed utrumque ad eundem finem erubescentiæ, ideò non nisi in modo differunt, non autem in specie.

Vtrum derisio possit esse peccatum mortale. ℞. *Affirmativè*, non quidem quando quis malum alterius in risum ponit, quia parvum secundùm se; sed quando in risum vertit, quasi parvum ratione personæ. *Primum est*, quia cùm aliquem irridere, ejus accipiendo malum, quasi parvum ratione personæ, sicuti defectus puerorum, & stultorum parum ponderare solemus, sit eum parvipendere, ut ejus malum sit quasi ludo habendum; ideò & est hujusmodi derisio peccatum mortale, quandoquidem Deus hujusmodi illusores deridet, & deridere Dei, est æternaliter punire pro peccato mortali: imò & est hoc modo gravius peccatum, quàm contumelia, quæ quidem malum alterius recipit seriosè, & ideò ART. 2.

cum minori contemptu, quàm derisio, q
propterea tanto gravior est, quanto ma
debetur reverentia personæ irrisæ. Vnd
potest ludus aliquid importare contrari
charitati, si non respectu ejus, cum q
luditur, saltem respectu ejus, de quo
ditur, propter contemptum. *Secundum*
quia cùm derisio, quæ malum alterius
risum ponit, quia parvum secundùm
non tam dicat contemptum, quàm ludu
ad differentiam detractionis, & contun
liæ; ideò est ex se, seu ex genere suo le
seu veniale peccatum: ita tamen, qu
venialiter peccando non propterea dicat
quis recidivare, vel simulare, nisi dispo
tivè; nec consequenter Deum irridere, n
interpretativè, ad modum scilicet deride
tis se habendo.

IN QVÆSTIONEM LXXV

De maledictione.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum liceat maledicere aliquem. R. A*
firmativè, non quidem per se loque
do de maledictione, scilicet cum inte
tione mali; sed loquendo per accidens, s
intentione boni. *Primum est*, quia cùm
maledictione, quâ quis vel imperat, v
optat alterius malum sub ratione boni, f
ratur principaliter intentio in bonum;
hoc vel ratione boni justi, quo modo j
dex licitè maledicit illum, cui præcipit j
stam inferri pœnam, & Ecclesia anathem
tizando, & sic Prophetæ imprecantur pe
catoribus mala; vel ratione boni utilis,
cùm quis optat peccatorem pati aliqui
ut vel ipse melior efficiatur, aut ab alioru
nocumento cesset; ideò ita sumpta mal
dictio, quæ quidem talis non est nisi p

accidens, est licita; optare namque malum sub ratione boni non contrariatur, sed potiùs conformitatem habet cum affectu, quo simpliciter desideratur bonum. Ita tamen, quod in diabolo non sit maledicenda natura, & sic intelligitur illud Eccles. 21. sed ejus culpa; quod cùm facit peccator, etiam judicat se esse maledictione dignum; immò & quanvis sciri non possit, quem Deus maledicat secundùm finalem reprobationem, utpote cùm adhuc sciri possit, quis sit maledictus à Deo secundùm reatum præsentis culpæ. *Secundum est*, quia maledicere, quod quidem propriè loquendo est, cùm quis optat, vel imperat malum alterius, ut malum est, & contrariatur affectui virtutis desideranti bonum, & prohibetur per illud Apost. Benedicite, & nolite maledicere. Rom. 12.

Vtrum liceat creaturam irrationalem maledicere. ℞. *Affirmativè*, non quidem in quantum est creatura Dei, aut secundùm se considerata; sed secundùm quod ordinatur ad rationalem creaturam. *Primum est*, quia potest esse ad nos ordinata, vel per modum subventionis, prout ex ea subvenitur humanæ necessitati; & sic Dominus maledixit terram: vel per modum significationis, & sic Christus maledixit ficulneam in significationem Iudææ; vel per modum continentis, scilicet temporis, vel loci; & sic Iob maledixit diei suæ, propter originalem culpam, quam contraxit nascendo; & David montibus Gelboë, propter cædem populi ibi factam. *Secundum est*, quia maledicere creaturis irrationalibus, ut sunt creaturæ Dei, est peccatum blas- ART. 2.

phemiæ; & ut in se consideratum, est otiosum & vanum, & consequenter illicitum.

ART.3. *Vtrum maledicere sit peccatum mortale.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ex genere suo sit mortale, quanvis non ita, quin propter parvitatem mali, vel etiam ex parte affectus possit esse veniale. *Primum est*, quia maledictio, de qua loquimur, est per quam pronunciatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando, quod quidem est contra charitatem, quâ diligimus proximum volentes ei bonum. *Secundum est* quia cùm peccata verborum maximè ex affectu pensanda sint, ideo non nisi venialis erit maledictio, si vel ex levi animi motu vel ludo, aut surreptione proferatur; sed & propter parvitatem mali, quod quis imprecatur, ob quam scilicet, etiam quæ in aliis generibus mortalia sunt, fiunt plerumque venialia.

ART.4. *Vtrum maledicere sit gravius peccatum quàm detractio.* ℞. *Negativè*, non quòd maledictio facta ad modum imperii non possit esse gravior; sed ita quod secundùm communem rationem gravior sit detractio maledictione desiderium simplex exprimente. *Primum est*, tum quia ad detractorem, contumeliosum, susurronem, & derisorem pertinet dicere malum culpæ, quod quidem peius, & gravius est, quàm solùm dicere malum pœnæ, aut culpæ sub ratione pœnæ, ut facit maledictio: tum quia ista sunt peccata, prout inferunt proximo nocumentum, quod etiam gravius est quando infertur, quàm quando solùm desideratur, ut fit per maledictionem desiderium simplex exprimentem. Modò tamen non

fiat de creatura, ut creatura eſt, quia ſic redundat in Deum, & eſt maledictio blaſphemia, ſed propter culpam; nec deſiderium quod exprimit, ſit de occiſione alterius, quandoquidem non differt tunc ab homicidio, eſto quod exterior actus adjiciat aliquid voluntati. *Secundum eſt*, quia maledictio, quæ fit per modum imperii, cùm habeat rationem cauſæ, poteſt tunc eſſe detractione gravior, ſi nimirum majus inferat nocumentum, quàm denigratio famæ.

IN QVÆSTIONEM LXXVII.

De fraudulentia in emptionibus, & venditionibus contingente.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum licitè poſſit aliquis vendere rem plus quàm valeat. ℞. Negativè; ſi tamen conſiderentur emptio, & venditio, non ſecundùm quod cedunt per accidens in utilitatem unius, & detrimentum alterius; ſed prout introductæ ſecundùm ſe in utriuſque utilitatem. *Primum eſt*, quia cùm inter ementes, & vendentes debeat ſecundùm æqualitatem rei contractus inſtitui, utpote cùm quod eſt pro communi utilitate inductum, non debeat eſſe magis in gravamen unius, quàm alterius, & quantitas rei commenſuretur ſecundùm pretium datum; ideò ſi pretium excedat quantitatem valoris rei, vèl è converſo, tollitur juſtitiæ æqualitas, proindeque peccatum eſt, ſive fiat hoc fraudulenter, quia tunc decipitur proximus in damnum ipſius, ſive fiat ſine fraude. Vnde non ideò viliùs emere, & cariùs vendere eſt commune multis, ut dicit Auguſt. quaſi ſit naturale; ſed potiùs quia quamplurimi per latam vitiorum viam in- Lib. 13. de Trin. c. 3.

cedunt: & quanvis lex humana, quæ quidem solùm intendit auferre quæ corrumpunt commercium, non puniat vendentes plus æquo, nisi nimius sit excessus, ut si sit deceptio ultra dimidium justi pretii; quia tuc cogit ad restitutionem, seu recompensationem, quæ fieri debet non secundùm utilitatem perceptam, ut in amicitia, sed secundùm æqualitatem rei; nihilominus secundùm legem Dei, quæ nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium, reputatur illicitum, quoties ex notabili additione, vel minutione pretii tollitur æqualitas justitiæ. *Secundum est*, quia considerata emptione ut cedit in utilitatem emptoris, & damnum venditoris, qui læditur, si eâ careat, cùm tunc haberi possit respectus non solùm ad rem, sed & ad damnum quod incurritur, potest etiam tunc plus vendi, non quàm valeat habenti, sed plus quàm ex se valeat; quanvis non ita, si nihil patiatur venditor, & emptor multùm juvetur, utpote cùm hæc utilitas non sit ex venditione, sed ex conditione ementis; & nemo possit vendere quod non est suum.

ART. 2. *Vtrum venditio reddatur illicita propter defectum rei venditæ.* ℞. *Affirmativè*, & quidem sive sit defectus in specie, sive in quantitate, aut qualitate; si tamen scienter, non ignoranter cum tali vendatur defectu. *Primum est*, quia contra defectum secundùm speciem rei afferri potest illud

Isai. 1. Scripturæ, Argentum tuum versum est in scoriam, & vinum tuum mixtum est aquâ; quandoquidem defectum patitur in specie, quod est permixtum: & contra defectum

in quantitate, qui committitur dum quis mensura utitur deficiente, affertur illud Deuteron. Non habebis in sacculo diversa pondera; non quòd non sint mensuræ diversæ in diversis locis, sed quia mensuras publicâ authoritate, vel consuetudine institutas non licet præterire; & contra defectum in qualitate afferri potest, quod vendere non licet infirmum animal, quasi sanum. Cum quo tamen stat, quantum ad defectum in specie, quod si per alchimiam fieret verum aurum, esset quidem licitum pro vero vendere; sed aliter esset fraudulenta, & injusta venditio, quia aliquæ sunt utilitates, & proprietates veri auri, quas non habet aurum per alchimiam sophisticatum, ut proprietatem lætificandi, & contra quasdam infirmitates juvandi. *Secundum est*, quia si quis inscienter vendat cum his defectibus (quos tamen de facili potest quisque cognoscere, cùm ad hoc non oporteat occultas rei qualitates cognoscere, sed illas per quas redditur humanis usibus apta) excusatur, quantum potest ignorantia excusare; ita tamen quod teneatur damnum emptori recompensare, sicut & quando scienter facit, cùm ad ejus notitiam pervenerit. Deut. 25.

Art. 3. ***Utrum venditor teneatur dicere vitium rei venditæ.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ubi manifestum est vitium, subtrahiturque de pretio, quod oportet; sed ubi tale est vitium, quod ex eo damnum incurri possit, vel periculum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm semper illicitum sit dare alicui occasionem damni, vel periculi; & venditor qui rem cum vitio occulto emptori of-**

fert, nihil de pretio ſubtrahendo, det ei occaſionem vel damni, ſi propter vitium ſit minoris pretii; vel periculi, ſi uſus rei reddatur impeditus, vel noxius; ideò quanvis non teneatur vitium manifeſtare, ubi manifeſtum eſt vitium, & propter illud de pretio detrahit quantum oportet; bene tamen ubi ita occultum eſt vitium, quod ex eo aliquid damni incurri poſſit: nec enim tunc venditor ſufficienter ſupponit rem emptoris judicio, cùm judicium non fiat, niſi de manifeſto. Vnde quanvis nemo teneatur per præconem vitium rei venditæ cuique manifeſtare, bene tamen ei ſingulariter qui accedit ad emendum (præſertim cùm nec propter hoc impediatur venditio, quandoquidem poteſt res aliàs eſſe utilis,) ſicut & quanvis ſimpliciter loquendo nemo teneatur veritatem dicere circa ea, quæ ſpectant ad virtutes; tenetur tamen cùm ex ejus facto alteri periculum immineret in detrimentum virtutis, niſi diceret veritatem. Cum quo tamen ſtat, quod adhuc poſſit quis de præſenti carò vendere, non manifeſtando futurum eventum, in quo viliùs vendetur; cùm non propterea fiat res de præſenti minoris valoris, ſicut fit per vitium rei.

ART. 4. *Vtrum liceat negotiando aliquid cariùs vendere, quàm emere.* ℟. *Affirmativè*, ita quod nihil prohibeat ad aliquem honeſtum, & neceſſarium finem ordinari; quanvis non ita quod etiam liceat clericis. *Primum eſt*, quia licèt commutatio denariorum, vel quorumcunque ad denarios propter lucrum, quæ quidem propriè ad negotiatores pertinet, juſtè vituperetur, ut-

pote deserviens cupiditati lucri, quæ terminum nescit, ad differentiam commutationis rei ad rem, vel rerum & denariorum propter necessitatem vitæ, quæ quia deserviens naturali necessitati, propterea laudabilis est; quia tamen hujusmodi lucrum, quanvis non importet ex se quid honestum, sicut nec aliquid vitiosum, & virtuti contrarium, ordinari potest in aliquem necessarium, & honestum finem, putà ad sustentationem domus, vel indigentium, vel in publicam utilitatem,& taliter quod non expetatur ut finis,quod damnat Christus,sed ut stipendium laboris; ideò & potest negotiatio fieri honesta. Neque enim rationi repugnat,quod pluris vendatur res, quàm empta sit, cùm quis eam melioraverit, vel quando pretium ejus secundùm diversitatem loci, vel temporis immutatum est, aut propter periculum, cui se exponit transferendo de loco in locum, vel propter laborem. *Secundum est*, quia quanvis negotiatio mala non sit,quia tamen speciem habet mali, tum propter lucrum terrenum, & peccata labiorum, tum etiam quia à spiritualibus retrahit; ideò & clericis debet esse prohibita.

IN QVÆSTIONEM LXXVIII.

De peccato usura, quod committitur in mutuis.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum accipere usuram pro pecunia mutuata sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*,non quod non possit mutuans recompensationem accipere ejus,quod fecit; sed ita quod secundùm se illicitum sit pro usu pecuniæ mutuatæ pretium accipere. *Primum est*, quia cùm in rebus, quarum usus est ipsa-

Lib. 5. Ethic. cap. 5. rum rerum consumptio, qualis quidem est pecunia, ex Arist. utpote quæ ad hoc inventa est, ut in commutatione expendatur, cùm non possit usus seorsum computari à re ipsa, seu ex eo quod conceditur res, concedatur & usus, ad differentiam aliarum rerum, quæ usu non consumuntur, putà in mutatione domus, & equi; consequenter fit quod pretium accipere pro usu pecuniæ, præter id quod redditur pro ipsa mutuata pecunia, sit idem bis vendere, aut vendere quod non est, seu petere duas recompensationes pro eodem; quod quidem manifestè injustum est, & quidem quanvis qui dat usuram videatur voluntariè dare, quippe qui non simpliciter voluntariè, sed potiùs cum quadam dat necessitate, in quãtum indiget accipere pecuniam mutuo, quĩ qui habet, non vult sine usura mutuare. Vnde illud: Ego veniens cum usuris, &c. non Luc. 19. nisi de usura metaphoricè sumpta intelligitur pro excrescentia bonorum spiritualium, quam Dominus exigit ad utilitatem nostram: sicut nec nisi pro mutuo fœnus accipitur, cùm dicitur: Fœneraberis gentibus multis. Neque quia Iudæis permissum Deut. 28. fuit à Gentibus usuras accipere, sequitur esse licitum, cùm solùm ad majus vitandum malum, ne scilicet à confratribus acciperent, permissum fuerit: sicut nec concessit lex humana quasi justas, sed ne impedirentur utilitates multorum. Quin immò quia prohibitum fuit Iudæis usuras accipere à fratribus, colligitur esse simpliciter Deut. 23. malum, cùm omnem hominem debeamus habere veluti fratrem. *Secundum est,* quia cùm ille, qui mutuat, non semper mutuare teneatur,

teneatur, unde & inter alia consilia ponitur illud, *Mutuum date*; ideò fit quod possit mutuans licitè accipere recompensationem ejus quod fecit, sed taliter, quod quia recompensatur secundùm æqualitatem justitiæ, si tantum ei reddatur, quantum mutuavit, non amplius debeat exigere, adeò ut quod lucrum de mutuo non quærat, hoc cadat sub præcepto.

Vtrum liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere. ℟. *Negativè*, non quòd non possit sicut gratuitum donum accipere, aut etiam in his recõpensari, quæ pecuniâ non mensurantur; sed ita quod peccatum usuræ incurrat quicumque inde ex pacto exigit aliquid pecuniâ mensurabile. *Primum est*, quia cùm pro pecunia habeatur quidquid pecuniâ mensurari potest, ut notat Arist. ideò & idem tunc peccatum incurrit, ac si pecuniam acciperet. Vnde quia munus ab obsequio, vel lingua ex benevolentia non cadit sub æstimatione pecuniæ, licet accipere, & exigere: sed ex obligatione rei nequaquam, utpote tunc pecuniâ æstimabile; sicut nec obligare licet ad mutuum in posterum faciendum, cùm hoc pecuniâ æstimari possit, esto quod mutuanti liceat aliud mutuum spontaneè ab eo qui mutuat accipere: & idem dicendum quando usus pignoris pro mutuo accepti potest pretio æstimari, qui quidem tunc computari debet in restitutionem mutui, nisi sit usus rei, qui gratis concedi soleat inter amicos. Cum quo tamen stat, quod quanvis qui pecuniam mutuat, quia transfert dominium in eum, cui mutuat, qui quidem tenetur integrè restituere, non possit ultra summam aliud exi- ART. 2.

gere, poſſit tamen qui dat mercatori per modum ſocietatis, partem lucri expetere, cùm ei non transferat dominium ſuæ pecuniæ, ſed ſi pereat, ſibi ipſi ut domino pereat. *Secundum eſt*, quia cùm poſſet antequam mutuaret, licitè aliquid accipere ut gratuitum donum, præſertim in his, quæ pecuniâ non menſurantur, ut eſt amor, benevolentia,&c. ideò & idem ſimiliter poteſt poſt mutuum factum, cùm nō ſit factus deterioris conditionis. Imò poteſt qui mutuat de damno paciſci, cùm tunc uſum non vendat, ſed damnum evitet, eſto quod recompenſationem damni, ex eo quod de pecunia non lucratur, non poſſit in pactum ducere, utpote cùm debeat id vendere, quod nondum habetur, & poteſt impediri multipliciter ab habendo: ſicut nec cariùs vendere, quàm ſit juſtū pretium, ut de pecunia ſolvēda emptorē expectet; vel viliùs emere ratione anticipatæ ſolutionis, eſto quod illud poſſit ſine uſura, ſi ſcilicet velit de pretio diminuere, ut pecuniā priùs habeat.

ART. 3 *Vtrum quidquid de pecunia uſuraria quis lucratus fuerit, reddere teneatur.* ℞. *Negativè*, ſi tamen quæ fuerunt per uſuram lucrata, extorta non ſint de his, quæ habent uſūfructum, ſed potiùs quorum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia quando id quod per uſuram acquiritur, eſt de his quæ uſu conſumuntur, ut pecunia, vinum, &c. cùm tunc quod ex tali affertur, non ſit fructus rei, ſed potiùs induſtriæ humanæ, ad differentiam rerum, quæ uſu non conſumuntur, ut eſt ager, vel domus; proinde fit quod quanvis qui per uſuram habet domum, vel agrum, &c.

teneatur restituere non solùm domum, sed etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, non tamen ubi res usurâ acquisitæ sunt de his, quæ usu consumuntur, nisi fortè per talis rei detentionem sit alter damnificatus aliquid amittendo de bonis suis, in quo casu tunc teneretur ad recompensationem. Vnde quanvis si radix mala, ita & rami, ut dicitur, quia scilicet radix non solùm habet rationem materiæ, ut pecunia usuraria, sed etiam causæ effectivæ; non tamen si usura mala, etiam quidquid ex illis proficiscitur, utpote cùm acquirenti ex pecunia usuraria debeatur aliquid propter suam industriam, sicuti propter principalem causam; sicque possessiones emptæ ex usuris sunt ementium, obligatæ tamen illis, à quibus fuerunt usuræ acceptæ, quibus quidem dandæ non sunt, sed vendendæ, ut pretia restituantur secundùm quantitatem usuræ.

Vtrum liceat pecuniam accipere mutuò sub usura. ℞. *Affirmativè*, non quòd ullo modo liceat inducere ad mutuandum sub usuris, sed ita quod ab eo, qui paratus est facere, liceat mutuum accipere. *Ratio utriusque partis est*, quia sicut nullo modo licet aliquem inducere ad peccandum, sic nec inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; sed quia uti peccato alterius ad bonum, licitum est, quia hoc etiam facit Deus, ut ait Aug. sicuti etiam licet ei, qui in latrones incidit, manifestare thesaurum, quem habet, ne occidatur. Neque qui sic ad usuram accipit, dat occasionem usurario accipiendi usuras, sed mutuandi, unde deinde sumit ipse occasionem peccandi ex sua ma-

ART. 4.

In Ench. cap. 13.

litia, adeò ut sit scandalum passivum ex parte dantis, non autem activum ex parte petentis; ideò fit, quod liceat ab eo, qui paratus est usuras facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quale est subventio suæ necessitatis, vel alterius; nec enim qui sic accipit, consentit peccato, sed eo utitur ad bonum, ut dictum est.

IN QVÆSTIONEM LXXIX.

De partibus integralibus justitiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum declinare à malo, & facere bonum sint partes justitiæ. ℞. *Affirmativè*, non quidem loquendo de bono, & malo in communi; sed de bono, & malo in ordine ad alium, seu proximum. *Primum est*, quia cùm ad justitiam pertineat constituere æqualitatem in his, quæ sunt ad alterum, quod fit faciendo bonum, id est reddendo cuique, quod ei debetur; & insuper ejusdem sit conservare bonum constitutum, cujus est constituere, quod quidem fit in præsenti declinando à malo, id est à nocumento; ideò loquendo de bono, & malo in ordine ad proximum, facere bonum, & malum vitare sunt partes quasi integrales specialis justitiæ, quæ scilicet bonum respicit sub ratione debiti, & malum sub ratione nocivi: immò & dici etiam possunt partes generalis justitiæ, utpote quæ ista duo respicit in ordine ad communitatem, vel ad Deum. Vnde & ponuntur hæc duo partes justitiæ secundùm aliquam propriam rationem boni, & mali, ad differentiam aliarum virtutum moralium, in quibus bonum facere, est attingere medium, & facere malum, recedere ab illo. Ita tamen quod ex his duobus fa-

cere bonum ſit actus completivus juſtitiæ, & pars principalis; declinare autem à malo, quod quidem ibi ſumitur non purè negativè, ſed pro motu voluntatis à malo, quod eſt meritorium, ſit ſolùm actus imperfectior, & minùs principalis. *Secundum eſt*, quia facere bonum, & malum vitare, ſi accipiantur in communi, pertinent ad omnem virtutem, ſicque non ſunt ita accepta partes juſtitiæ, niſi inquantum hæc quandoque accipitur pro omni virtute.

Vtrum tranſgreſſio ſit ſpeciale peccatum. ART. 2.
℟. *Affirmativè*, non quidem ſi ſumatur materialiter, ſed ſumpta formaliter, ſecundùm quod eſt facere ſpecialiter contra præceptum negativum. *Primum eſt*, quia ſumpta tranſgreſſio propriè, & formaliter, quo modo ſumitur, ut eſt contra præceptum negativum, utpote cùm tranſgreſſio ſit, quâ quis terminum tranſgreditur, ut patet in motibus corporalibus, qui quidem terminus in moralibus præfigitur homini per præceptum negativum, habet ita ſumpta eſſe ſpeciale peccatum dupliciter, & quia opponitur ad genera peccatorum oppoſita aliis virtutibus; ut enim ad juſtitiam legalem, quæ eſt ſpecialis virtus, pertinet attendere debitum præcepti, ita ad tranſgreſſionem, præcepti contemptum, & quia diſtinguitur ab omiſſione, quæ contrariatur præcepto affirmativo: licèt enim extendatur tranſgreſſio ad omnia, non tamen ad omiſſionem, quæ omninò ab illa diſtinguitur. Cum quo tamen ſtat, quod peccatum definiatur per tranſgreſſionem, quanvis peccati ſpeciem, quia injuſtitia legalis eſt materialiter omne peccatum; necnon &

quod possit transgressio esse contra inclinationem naturæ, utpote pertinentem ad præcepta legis naturalis; & contra consuetudinem honestam, quæ quidem habet ex Aug. vim præcepti. *Secũdum est*, quia transgressio materialiter sumpta est communis speciebus omnibus peccatorum, cùm per quamlibet peccati mortalis speciem aliquod transgrediamur præceptum divinum.

ART. 3. *Utrum omissio sit speciale peccatum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod distinguatur & à peccatis, quæ aliis à justitia virtutibus opponuntur, & à peccato transgressionis, quod justitiæ opponitur. *Primum est*, quia cùm omissio importet prætermissionem *boni*, non cujuscumque, sed debiti; & bonum sub ratione debiti pertineat ad justitiam, vel legalem, si sit in ordine ad leges; vel specialem, si sit in ordine ad proximum: ideò eo modo, quo justitia est specialis virtus, omissio est speciale peccatum distinctum à peccatis, quæ aliis opponuntur virtutibus, & quidem actuale, non quòd dicat aliquem actum, qui etiam non requiritur, esto quod requiratur ad meritum justitiæ, cùm plus requiratur ad meritum, quàm ad demeritum; sed prout negatio actus reducitur ad genus actus. Ita tamen quod nemo peccet per omissionem, si non faciat quod non potest, quia nemo ad impossibile tenetur; & omissio non est nisi ejus, quod quis facere potest, & debet: nec incipiat peccatum omissionis, nisi pro eo tempore, in quo per præceptum affirmativum est aliquis obligatus ad operandum; sed tamen etiam quãdo esset impotens propter culpam præcedentem, utpote cùm omissio sequens sit

tunc voluntaria propter causam quæ voluntariè præcessit. *Secundum est*, quia ut facere bonum, cui opponitur omissio, est specialis pars justitiæ distincta à declinatione mali, cui opponitur transgressio, ita & omissio à transgressione distinguitur.

Vtrum peccatum omissionis sit gravius, quàm peccatum transgressionis. ℞. *Negativè*, nō quòd aliqua omissio non possit esse gravior aliqua transgressione, sed ita quod transgressio simpliciter loquendo sit gravior. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm quod est contrarium virtuti, magis distet ab illa, quàm simplex ejus negatio, & per consequens sit gravius peccatum, utpote quod ideò est grave, quia distat à virtute; ideo cùm transgressio sit contraria actui virtutis, sive ei, quod est facere bonum, & omissio solùm negationem ejus importet, poterit quidem omissio aliqua gravior esse aliqua transgressione, ex aliqua circumstantia aggravante, non tamen ex ratione omissionis, sed ex hac ratione, proindeque & simpliciter habet transgressio esse gravior; & quidem quanvis delictum, ad quod reducitur omissio, quasi derelictum, olim haberet gravitatem quandam, unde majori expiatione indigebat, utpote quod tunc solùm dicebatur delictum, quando scienter, & cum contemptu omittebat homo facere quod debebat. Cum quo tamen stat, quod ut transgressioni debetur pœna damni & sensus, ita & omissioni, & hoc propter radicem, ex qua procedit, licèt non habeat necessariò actualem conversionem; ita tamen, quod quanvis & transgressio, & omissio, si propriè accipiantur, habeant Art. 4. Levit. 5.

utraque rationem peccati mortalis, cùm transgressio negativis præceptis contrarietur, & omissio affirmativis; nihilominus si largè accipiantur, pro eo scilicet quod sit præter præcepta, ad oppositum ipsorum disponens, possint esse tãtummodò veniale.

IN QVÆSTIONEM LXXX.

De partibus potentialibus justitiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum convenienter assignentur virtutes justitiæ annexæ. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod in aliquo cum justitia conveniant religio, pietas, observantia, veritas, gratia, vindicatio, liberalitas, & affabilitas; & in aliquo ab ejus ratione deficiant; sed aliæ per defectum à ratione æqualis, & *aliæ* à ratione debiti. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virtutes alicui principali virtuti annexas oporteat ut in aliquo cum ea conveniant, & in aliquo à perfecta ejus ratione deficiant; & à justitiâ, quæ in quadam æqualitate in ordine ad alium consistit, possit aliqua virtus, quæ sit ad alterum, dupliciter deficere, vel ratione æqualis, vel ratione debiti; ideò ratione æqualis meritò justitiæ adjungitur religio erga Deum, quia quod Deo reddimus, debitum est, sed non æquale: tum pietas erga parentes, quibus secundùm æqualitatem recompensare non possumus; & observantia propter virtutem, quia etiam virtus non potest secundùm æquale præmium ab homine recompensari: ratione autem debiti, quia aliud est legale, quod per leges determinatur, & hoc justitia directè concernit; aliud morale, & hoc aut quasi necessarium, sine quo conservari non potest morum honestas, aut solùm conferens ad majorem honestatem; ideò si

primum, & hoc attendatur ex parte debentis, sic annectitur justitiæ veritas, per quam homo talem se alteri exhibet in verbis, & in factis, qualis est: si autem attendatur ex parte ejus, cui debetur, quando scilicet redditur alicui prout fecit, sic si reddatur in bonis, adjungitur justitiæ gratia, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur; si verò in malis reddatur, sic adjungitur vindicatio, in qua quidem jus, aut injuria, & omninò quidquid obscurum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur; licèt enim vindicta, quæ fit per sententiam judicis, pertineat ad justitiam commutativam; ea tamen, quam quis facit proprio motu, non tamen contra leges, pertinet ad virtutem justitiæ adjunctam. Denique si debitum illud non nisi ex honestate sit, ad hoc ponuntur liberalitas, affabilitas, sive amicitia, & alia hujusmodi, quæ quidem à Tullio non enumerantur, quia parum habent de ratione debiti, atque ita convenienter assignantur annexæ justitiæ partes, sed & sufficienter, cùm quæ afferuntur ab aliis, in his contineantur, ut obedientia in observantia, fides in veritate, æquitas sub amicitia, disciplina sub humanitate; eusebia, quasi bonus cultus, quam ponit Andronicus sub religione, ad quam etiam reducitur sanctitas; eucharistia, quæ idem est ac bona gratia, sub ipsa gratia; benignitas sub affectu, liberalitas sub humanitate. Quibus omnibus addit idem Andronicus, tum legispositivam, tanquam pertinentem ad legalem justitiam in communi; tum quantum ad ea, quæ occurrunt agenda præter communes

leges, eugnomosynam, quæ est talium benè directiva, & ad quam reducitur epicheia.

IN QVÆSTIONEM LXXXI.

De Religione.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Religio hominẽ ordinet in Deum. ℟. *Affirmativè*, & quidem sive dicatur religio à frequenti relectione, sive ex reelectione iterata ejus quod negligenter amissum est, sive etiam à religatione dicatur, ut vult Aug. *Ratio cujusvis partis est*, quia & per religionem quasi relegimus ea, quæ sunt divini cultus, & Deum quasi iterum reeligimus, quem negligentes amiseramus; & ut ait Aug. Deo religari principaliter debemus, tanquam indeficienti principio, quò omnis nostra electio dirigi debet; sicque undequaque dicatur religio, solùm ad Deũ ordinat, esto quod extenso nomine religionis, dici etiam possit ad propinquos, ut insinuat Aug. Vnde quantum ad actus proprios, ut sunt adorare, sacrificare, &c. non nisi Deum respicit, quanvis quoad secundarios, qui fiunt à virtutibus, quibus ipsa tanquam principalior imperat, ut visitare pupillos, &c. ad aliud tendat: neque latria interpretatur quæcumque servitus, sed secundum specialem rationem, quæ tantùm Deo convenit: sicut nec cultus qui ad religionem pertinet, est erga alios, sed solùm erga Deum. Ita tamen, quod quanvis omnes, qui Deum colunt, possint dici religiosi, specialiter tamen dicantur tantùm illi, qui totam vitã suam divino cultui dedicãt.

Lib. 10. de civit. cap. 1.

ART. 2. *Vtrum religio sit virtus.* ℟. *Affirmativè*, ita scilicet, quod ejus sit bonum facere habentem, & opus ejus bonum reddere, esto quod ejus sit servum facere per latriam,

Primum eſt, quia Deo reddere honorem debitum, quod ſpectat ad religionẽ, eſt actus bonus, utpote cùm per hoc convenienter ordinemur ad Deum, & ordo ad rationem boni pertineat, ex Aug. Vnde non eſt religio donum timoris, cujus actus eſt revereri, ſed ad illud ordinatur tanquam ad principalius; eſtque tanquam virtus de dictamine rationis naturalis, in quantum naturaliter dictatur, quod homo aliqua faciat ad Dei reverentiam; quanvis quod deinde hæc aut illa faciat, ſit de inſtitutione juris divini, vel humani. *Secundum eſt*, quia ſicut poteſt ſervus voluntariè exhibere domino ſuo quod debet, & ſic facere de neceſſitate virtutem; ita & Deo debitam exhibere ſervitutẽ poteſt eſſe actus virtutis, ſecundùm quod homo voluntariè hoc facit. Lib. de nat. boni, c. 55.

Vtrum religio ſit una virtus. ℞. *Affirmativè*, ita quod non diverſificetur per hoc, quod Deum colit, in quo ſunt tres perſonæ, & plura attributa; ſed neque per hoc cultum exhibet imaginibus. *Primum eſt*, quia cùm habitus diſtinguantur ſecundùm rationem diverſam objecti, & ad religionem pertineat reverentiam exhibere uni Deo ſecundùm unam rationem, quanvis ſint in eo plures perſonæ, & plura attributa, ſcilicet ut eſt primum principium creationis, & gubernationis rerum, quia tanquam pater, cui debetur honor, ex Scriptura, omnia gubernat; ideò ſit quod adhuc una ſit virtus, & tribus perſonis, tanquam uni principio creationis, & gubernationis, una religione ſerviatur. Vnde & eodem actu homo ſervit Deo, & colit ipſum, quandoquidem reſpicit cultus excellentiam Dei, Art. 3. Malach. 1.

servitus verò subjectionem hominis, ad quæ quidem duo pertinent actus omnes, qui religioni attribuuntur, utpote per quos vel Dei excellentiam protestamur, vel subjectionem nostri ad Deum. *Secundum est*, quia cùm cultus religionis non exhibeatur imaginibus consideratis in seipsis, sed ut sunt imagines ad Deum ducentes incarnatum, ideò nec ex hoc diversificatur virtus religionis.

ART. 4. *Vtrum religio sit specialis virtus ab aliis distincta.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non se extendat imperativè ad alias virtutes, sed quia elicitivè respicit speciale bonum. *Primum est*, quia cùm in Deo sit singularis excellentia, ratione cujus ei exhibemus honorem debitum, qui quidem debetur alicui ratione excellentiæ, unde & diversis personarum excellentiis diversos tribuimus honores; ideò & est in religione ratio boni sufficienter specialis, ut sit specialis virtus, & eliciat specialia bona, ea scilicet, quæ secundùm rationem suæ speciei spectant ad reverentiam Dei. Vnde est quidem eadem charitas, quâ Deum diligimus, & proximum, quia bonitas Dei cõmunicatur creaturis; non tamen eadem religio, cùm non ita cõmunicetur excellentia bonitatis ejus. *Secundum est*, quia ex eo quod omne opus virtutis dicitur sacrificium, ut ordinatur ad Dei reverentiam, quanvis non sequatur quod sit religio generalis virtus; bene tamen quod imperet aliis omnibus virtutibus, sicut & ex eo quod ad religionem pertinent omnia, quæ fiunt in gloriam Dei.

ART. 5. *Vtrum religio sit virtus theologica.* ℞. *Negativè*, ita scilicet quod non habeat religio

Deum, seu finem ultimum pro objecto, sicut virtus theologica; sed circa ea sit, quæ sunt ad finem, sicut moralis. *Primum est*, quia cùm duo considerentur in religione, scilicet id quod Deo offert, quod quidem se habet ad illam ut materia, & objectum; & id cui cultus exhibetur, scilicet Deus, quanvis non ita, quod actus Deum attingant, ut actus fidei, quo Deo credimus; ideo cùm ita Deo cultum afferat, ut tamen versetur circa actus quibus colitur Deus, non circa Deum ut est materia & objectum, esto quod hunc respiciat ut finem cui, proinde quod non habeat, sicut habet theologica, finem ultimum tanquam objectum. Vnde colitur quidem Deus fide, spe, & charitate, ex Aug. sed prout istæ virtutes suo imperio actum causant religionis, utpote quia virtutes circa finem movent alias, quæ sunt ad finem. *Secundum est*, quia religio & est circa Dei cultum, putà sacrificia, oblationes, &c. quæ quidem sunt ad finem; & in religione, in qua etiam potest esse superfluum, prout secundùm aliquas circumstantias exhibetur cultus aliter quàm debet, potest sicut in moralibus, accipi medium secundùm quandam æqualitatem inter operationes, quæ sunt ad Deum, non quidem absolutè, cùm Deo reddi non possit quantum debetur; sed secundùm quandam considerationem humanæ facultatis, & divinæ acceptationis. In Enchir. c. 3.

Vtrum religio sit præferenda aliis virtutibus moralibus. ℞. *Affirmativè*, non quidem in gloria supererogationis, sed in hoc undè sortiuntur morales bonitatem. *Primum est*, quia cùm virtutes morales eo meliores ART. 6.

sint, quo sunt fini propinquiores; & religio magis de propinquo accedat ad Deum, utpote quia operatur ea, quæ directè, & immediatè ordinantur in honorem divinum; ideò & habet quod præemineat, unde sortiuntur morales bonitatem, & quidem quãvis deficiat in attingendo medium justitiæ, quod est æquale reddere, utpote cùm defectus ille sit non ex defectu voluntatis, in qua consistit laus virtutis, sed ex defectu potestatis; vel etiam quanvis sit exhibitio eo laudabilior, quo sit magis indigenti, utpote quod locum non habet, nisi ubi alteri exhibetur propter ejus utilitatem; cùm tamen Deo non exhibeatur aliquid propter ipsius utilitatem, sed propter ejus gloriam ad nostram utilitatem. ***Secundum est***, quia ubi est necessitas, sicut est in eo, quod Deo ex religione exhibemus, utpote maximè debitum, tollitur gloria supererogationis, quanvis quia adest voluntas, non proterea tollatur meritum virtutis.

ART. 7. *Vtrum religio habeat aliquem exteriorem actum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem tanquam principalem, sed quasi secundarium, & ad exteriores actus ordinatum. ***Ratio utriusque partis est***, quia cùm Deo honorem exhibeamus, non propter seipsum, cùm sit ex se gloriâ plenus, sed propter nostram utilitatem, quia ex hoc mens nostra ei subjicitur, in quo quidem ejus consistit perfectio, quandoquidem perficitur unumquodque ex hoc quod suo superiori subjicitur, ut videre est in corpore respectu animæ vivificantis, & in aëre respectu solis illuminantis; ideò cùm mens humana, ut Deo conjungatur, indigeat sensibilium manudu-

ctione, opus etiam est in divino cultu, quod aliquibus corporalibus utatur homo, quibus excitetur ad spirituales actus, non quidem tanquam principale, & primò intentum, juxta illud, *Deus spiritus est, & in spiritu, & veritate oportet adorare*; vel etiam quasi Deus his ita inferioribus indigeat, sed tanquam signa quædam interiorum, & spiritualium operum, quæ per se Deus acceptat, ut ait Aug. unde & deridentur idololatræ, quia non exhibebant exteriora tanquam signa excitantia, sed tanquam per se idolis accepta, sicut & quia erant vana, & turpia. Ioan. 4.

ART. 8. *Vtrum religio sit idem sanctitati.* ℞. *Affirmativè*, & quidem sive dicatur sanctum à munditia, sive dicatur à firmitate, quasi sancitum, & lege firmatum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm & munditia, & firmitas requirantur ut mens Deo conjungatur, tanquam primo principio, & ultimo fini, juxta illud, Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum; necnon & illud, Certus sum, quod neque mors, neque vita separabit me à charitate Dei; ideò fit quod sive importet sanctitas munditiam, unde Græcè *agios* dicitur, id est sine terra; & Latinè sanctus, quasi sanguine tinctus, eo quòd antiquitus qui mundari volebant, sanguine hostiæ tingebantur; sive importet firmitatem, non differat à religione quoad essentiam, & quidem quamvis & temperantia, & virginitas munditiam maximè operentur, utpote quæ nedum rationem habent sanctitatis, nisi referantur in Deum. Cum quo tamen stat, quod sanctitas, quæ etiam habet generali-

tatem quandam, ut scilicet omnes virtutum actus per imperium ordinat ad bonum divinum, adhuc ratione differat à religione, sub qua etiam ratione ei cōdividitur, utpote cùm dicatur religio, prout specialiter Deo debitum exhibet famulatum in sacrificiis, &c. sanctitas verò, ut homo hæc, & aliarum virtutum opera refert in Deum, & per ea se disponit ad cultum divinum.

IN QVÆSTIONEM LXXXII.
De Devotione.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum devotio sit specialis actus. ℞. *Affirmativè*, non quòd non inveniatur devotio in diversis actuum generibus, non tamen sicut species illorum generum, sed sicut motio in motibus mobilium. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm devotio nihil aliud sit, quàm voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, unde dicitur quod filii Israël obtulerunt mente promptissima, & devota primitias Domino, & hic sit specialis actus appetitivæ partis animæ, consequenter fit quod sit devotio specialis actus, non quidem taliter, quod nec etiam in diversis actuum generibus inveniatur, utpote cùm sit devotio actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei serviendum, ex quo, utpote fine ultimo, habet consequenter modum imponere aliis actibus, sive sint voluntatis, sive aliarum potentiarum; sed ita quod in his inveniatur, non sicut species horum generum, quod tolleret specialitatem actus, sed sicut motio moventis invenitur virtute in motibus mobilium.

ART. 2. *Vtrum devotio sit actus religionis.* ℞. *Affirmativè*, ita quod immediatè pertineat ad

religionem, esto quod mediatè causetur à charitate. *Primum est*, quia cùm ad eandem virtutem pertineat velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud, ex Arist. & facere quæ pertinent ad divinum cultum, spectet propriè ad religionem, ideò & ad eam etiam pertinet promptam habere voluntatem ad hujusmodi exequenda: quod præstat devotio, & quidem quanvis etiam habeatur devotio in Sanctos, utpote quæ in Deum transit, quem scilicet in suis Ministris veneramur, esto quod devotio quæ habetur ad Dominos temporales, sit alterius rationis. *Secundum est*, quia sicut calor generat pinguedinem, eaque nutritur, sic & charitas devotionem generat, & per devotionem nutritur: ita tamen quod tradere seipsum Deo, ei adhærendo spirituali unione, pertineat quidem ad charitatem; sed tradere seipsum ad opera divini cultus, in quo est devotio, immediatè pertineat ad religionem.

Lib. 5. Ethic. cap. 1.

Vtrum contemplatio, seu meditatio sit devotionis causa. ℟. *Affirmativè*, si tamen sermo sit, non de causa extrinseca, & principali; sed intrinseca, & ex parte nostra. *Primum est*, quia cùm devotio sit actus voluntatis, quâ homo promptè se tradit ad cultum Dei; & omnis actus voluntatis, quantum est ex parte nostra, ex aliqua consideratione procedat, quandoquidem voluntatis objectum est bonum intellectum, & ut ait Aug. voluntas oritur ex intelligentia; ideò & est meditatio causa intrinseca ex parte nostra devotionis, prout scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio, adeò ut ad hoc in-

ART. 3.

ducat duplex consideratio, altera quæ est ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum Dei; & hæc excitat dilectionem, quæ est causa proxima devotionis: altera ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur; quæ quidem impedit præsumptionem, per quam homo impeditur, ne se Deo subjiciat, esto quod aliquando scientia occasio sit, ut homo confidat de seipso, & non totaliter se Deo subjiciat, & sic occasionaliter devotionem impediat: in quo quidem occasionali sensu admitti debet, simpliciores, & mulieres majorem habere devotionem. Vnde ea solùm contemplatio devotionem impedit per se loquendo, quæ est earum rerum quæ ad dilectionem Dei non pertinent; & quanvis ea quæ pertinent ad Christi humanitatem per modum cujusdam manuductionis maximè devotionem causent, licèt non tam altæ sint contemplationis, ac Deus ipse: ea tamen quæ sunt divinitatis, sunt secundùm se maximè excitantia dilectionem, & per consequens devotionem, cùm sit Deus super omnia diligendus. *Secundum est*, quia causa devotionis extrinseca, & principalis est Deus ipse, de quo quidem dicit Ambr. super Luc. quod Deus quos dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit; & si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset.

ART. 4. *Vtrum lætitia sit devotionis effectus.* ℞. *Affirmativè*, ita scilicet, quod per se quidem, & principaliter lætitiam causet mentis; sed etiam ex consequenti, & per accidens causet tristitiam. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm devotio ex duplici consideratione

oriatur, ut dictum eſt; & ex prima per ſe ſequatur delectatio, juxta illud, Memor fui Dei, & delectatus ſum; necnon per accidens in viatoribus triſtitia quædam, juxta illud, Sitivit anima, &c. & poſtea, Fuerunt mihi lacrymæ: ex ſecunda autem conſideratione, ſcilicet defectuum noſtrorum, per ſe ſequatur triſtitia, per accidens verò lætitia propter ſpem divinæ ſubventionis, adeò ut idem ſpiritus, qui ex una parte contribulatur propter defectus præſentis vitæ, ex alia delectetur ex ſpe divini auxilii, & bonitatis; ſicut & in paſſione Chriſti eſt aliquid, quod contriſtet, & aliquid quod lætificet, ſcilicet defectus humani, & bonitas Dei, ac benignitas; conſequenter fit, quod devotio per ſe & principaliter ſpiritualem lætitiam mentis cauſet, & ex conſequenti, ac per accidens triſtitiam, quæ eſt ſecundùm Deum; & quidem quanvis ex devotione aliqui prorumpant in lacrymas, utpote quæ non ſolùm ex triſtitia oriuntur, ſed etiam ex affectus teneritudine, cùm conſideratur aliquid delectabile, & ſic lacrymæ ex devotione oriuntur.

Artic. 3. Pſal. 76. Pſal. 41.

IN QVÆSTIONEM LXXXIII.

De oratione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Trum oratio ſit actus appetitivæ virtutis. ℞. *Negativè*, non quòd non poſſit tendere in finem charitatis, qui eſt Deo uniri; ſed ita quod cum hoc ſit rationis actus, ut eſt petitio quædam. *Primum eſt*, quia cùm ad rationem pertineat imperare non ſolùm inferioribus potentiis corporis, ſicut neceſſitatem imponendo, utpote ſibi perfectè ſubditis, ſed etiam hominibus ſubjectis imperando, vel inducendo, & depre-

cando respectu eorum, qui non sunt subjecti, sive sint superiores, sive æquales; ideò cùm utrumque horum, scilicet imperare, & petere, seu deprecari, ordinationem importet, prout scilicet homo disponit aliquid faciendum per aliud, quod quidem pertinet ad rationem, cujus est ordinare, non quidem speculativam, ad quam pertinent simplicium apprehensio, compositio, & discursus, sed practicam, quæ simul apprehendit & causat; propterea fit quod oratio, ut est petitio quædam, seu petitio decentium à Deo, ut definit Damasc. sit
Psal. 9. actus rationis. Vnde illud, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*, vel dicitur, quia desiderium est causa petendi, vel propter velocitatem exauditionis, quatenus Deus quandoque exaudit antequam aliquis orationem proponat. *Secundum est*, quia cùm voluntas moveat rationem in finem suum, ideò nihil prohibet, movente voluntate, quod actus rationis tendat in finem charitatis: quod quidem in oratione accidit, vel cùm petimus ut Deo uniamur; vel ex parte petentis, quem oportet accedere ad eum, à quo petit.

ART. 2. *Vtrum sit conveniens orare*. R. *Affirmativè*, non quidem ut divinam dispositionem immutemus orando, sed ut impetremus, quod disposuit Deus per orationem implendum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ex divina providentia non solùm disponatur qui effectus fiant, sed etiam à quibus causis, & quo ordine, & inter hujusmodi causas sint actus humani; ideò & oportet homines aliqua agere, ut orando & deprecando, non quidem ut per actus, divinam dispositionem

immutent, utpote quæ quia ex causa universalissima, & efficacissima, est invariabilis; sed potiùs ut impleant, & impetrent, quod disposuit Deus per orationes Sanctorum esse implendum. Deus namque, etsi multa det ex sua liberalitate antequam rogetur, vult tamen propter nostram utilitatem, ut orando aliqua impetremus, quia per hoc fiducia ad eum in nobis augetur. Vnde nec ad hunc finem est oratio necessaria, ut aliquid Deo aperiamus, sed ut consideremus ad divinum recurrendũ esse auxilium.

Vtrùm oratio sit actus religionis. ℞. *Affirmativè*, ita quod & proprius sit actus religionis, & aliis religionis actibus præeminens. *Primum est*, quia cùm omnia illa, per quæ Deo reverentia exhibetur, propriè pertineant ad religionem; & per orationem homo Deo reverentiam exhibeat, prout ei subjicitur, & profitetur orando se eo indigere: ideo & est oratio propriè religionis actus, adeò ut & petere quæ desideramus, & rectè desiderare cadant sub præcepto; sed istud charitatis, illud religionis, quod præceptum habetur apud Matth. 7. quando scilicet dicitur: Petite, & accipietis. Cum quo tamen stat, quod adhuc oratio sit in ratione, & religio ut pars justitiæ in voluntate, utpote cùm voluntas cæteras moveat potentias, & maximè intellectum, cui est propinquior, nimirum ordinando per religionem actus omnium ad Dei reverentiam. *Secundum est*, quia quod per orationem traditur Deo, scilicet mens, quæ ei subjicitur, cùm præemineat exterioribus rebus, etiam præeminet oratio aliis actibus exterioribus religionis. ART. 3.

ART.4. *Vtrũ solus Deus debeat orari.* ℞. *Negativè*, ita scilicet, quod ad solum quidem Deum porrigatur oratio, quasi per ipsum implenda; sed etiam porrigatur ad Sanctos, sicut per ipsos impetranda. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm dicatur Apocal. 8. quod ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo; & Iob 5. Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere; evidens est & ad Sanctos porrigendas esse orationes, non quidem per ipsos implendas, cùm impleantur per consequutionem gloriæ, & gratiæ, pro quo oramus; & gratiam & glo-

Psal.83. riam det Dominus, ut ait Scriptura; sed ut eorum precibus & meritis orationes nostræ effectum impetrent. Licèt enim mortui ex se non cognoscant cogitationes nostras, unde nec eorum suffragia imploramus; Beatis tamen manifestatur in Verbo, quod decet eos cognoscere; & ad eos, seu beatificum eorum statum pertinet, ut cognoscant orationes ad eos vel voce factas, quo modo à vivis petimus colloquendo, sive solo corde. Cum quo tamen stat, quod non propterea Sanctis impendamus orando religionis cultum, sed soli Deo, utpote à quo solùm quærimus obtinere quod oramus, proindeque est quem solum protestamur in hoc bonorum nostrorum Authorẽ.

ART.5. *Vtrum in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere.* ℞. *Affirmativè*, non quidem quantum ad ea, quæ possunt malum habere eventum, sed quantum ad illa, quibus malè uti nõ possumus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm docuerit Dominus discipulos petere ea, quæ continentur in

Oratione Dominica, quæ scilicet sunt ea quibus beatificamur, & beatitudinem meremur; tum peteret David, *Ostende faciem, & deduc me, &c.* ideo quanvis divitias, honores, &c. quia possunt malum habere eventum, non liceat petere, quia aliquando non impetrasse melius foret; benè tamen bona gratiæ & gloriæ, quibus malè uti non possumus, præsertim cùm in hoc conformemus voluntatem nostram voluntati divinæ, quæ vult omnes homines salvos fieri; & quidem licèt ex nobis non sciamus quid petendum sit, ex Apost. vel étiam quãvis ad bona nos invitet Deus, utpote cùm spiritus in illo adjuvet infirmitatem nostram, nos rectè faciens postulare; nec invitet nos Deus ad bona, nisi ut ad ea piis desideriis, & devotis orationibus accedamus, sicque non frustra eum rogemus. Matt. 6. Rom. 8.

Vtrum homo debeat temporalia à Deo petere orando. ℞. *Affirmativè*, non quidem tanquam bonum nostrum, seu principaliter; sed tanquam necessarium nostrum, seu secundariò. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm id ex Aug. liceat orare, quod licet desiderare; & liceat desiderare ea, quibus vita sustentatur, cujusmodi sunt ista bona, quæ necessaria sunt ad salutem corporis, & congruentem habitum personæ, non quidem cum solicitudine superflua, & inordinata, juxta illud, Nolite solliciti esse; vel etiam sicut finem nostrum, sed tanquam instrumenta virtutis, & necessaria adminicula ad beatitudinem desideranda: ideò & hoc modo debet homo temporalia petere, non principaliter, juxta illud, Primùm quærite Regnum Dei; sed secundariò, ut no- Art. 6. Matt. 6.

bis expediunt ad salutem: nec enim mens nostra, quando intendit temporalibus in ordine ad beatitudinem, ab eis propterea deprimitur, sed magis elevatur.

ART.7. *Vtrum debeamus pro aliis orare.* ℞. *Affirmativè*, ita quod hoc requirat charitas, & quidem tum pro peccatoribus, tum etiam pro iustis. *Primum est*, quia cùm illud debeamus orare, quod debemus desiderare; & bonum non solùm debeamus desiderare nobis, quod necessitatis est, ex Chrysost. sed etiam aliis ex charitatis fraternitate; ideò & debemus similiter pro his orare: unde & dicimus in Oratione Dominica, *Pater noster*; & *Da nobis*, ut inde discamus, ait Cyprianus, orationes non esse tantùm privatim faciendas, sed pro omnibus: ita tamen, quod adhuc ponatur, ut conditio orationis, pro se orare, non quidem tanquam necessaria ad effectum merendi, sed ad indeficientiam impetrandi, utpote cùm contingat, ut oratio pro alio facta non impetret ob defectum illius, pro quo oratur, quanvis oranti sit meritoria. *Secundum est*, quia pro peccatoribus orandum est, ut convertantur; pro iustis autem, ut perseverent, & proficiant, necnon & ut à multis gratia agatur Deo de beneficiis collatis, vel etiam ut faciliùs exaudiantur multorum preces; ut enim dicit Glossa, minimi dum congregantur unanimes ad orandum, fiunt magni, & multorum preces impossibile est, quod non impetrent, scilicet quod est impetrabile.

Homil. in Matt. Lib. de Orat. Dom. Gloss. Ambr. ad 15. c. ad Rom.

ART.8. *Vtrum debeamus pro inimicis orare.* ℞. *Affirmativè*, ita tamen, quod sit quidem necessitatis inimicos non excludere in communibus

munibus orationibus; at pro eis specialiter orare, non nisi perfectionis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm pro aliis orare charitatis sit, & inimicos diligere in generali sit in præcepto, ut scilicet in eis diligamus naturam, quæ à Deo est, non culpam; in speciali autem eos diligere non nisi perfectionis sit, adeò ut non sit hoc modo in præcepto, nisi secundùm præparationem animi, & in aliquo speciali, ut in necessitatis articulo, vel si veniam peterent; ideo in speciali quidem orare est perfectionis, sed tamen necessitatis est eos in generali à communibus orationibus non excludere. Vnde imprecationes contra inimicos in Scriptura, vel dicuntur per modum prophetiæ, vel in correctionem, vel contra peccatum, vel conformando se voluntati divinæ: neque postulant sancti Martyres, se vindicari voce, sed ratione, sicut nec gaudent de vindicta propter seipsam, sed propter divinam justitiam. Cum quo tamen stat, quod ut licet impugnare inimicos, ut compescantur à peccato; sic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, ut corrigantur. Psal. Apoc.

Vtrum convenienter septem petitiones Orationis Dominicæ assignentur. ℞. *Affirmativè*, ita quod & in ea petantur omnia, quæ rectè desiderare possumus; & etiam eo ordine, quo sunt desideranda. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm primò in desiderio nostro cadat finis, deinde ea quæ sunt ad finem; ad finem autem, qui Deus est, affectus noster tendat, vel ut volumus gloriam Dei, quod pertinet ad ejus dilectionem in seipso, unde prima petitio, *Sanctificetur nomen tuum*, ART. 9.

id est, sanctum habeatur, non quòd non sit; vel ut volumus frui gloria ejus, quod quidem pertinet ad dilectionem, quâ diligimus nos in Deo, unde secunda, *Adveniat Regnum tuum*, id est, ut nos in eo regnemus, non quòd Deus modò non regnet; insuper cùm ad hunc finem aliquid nos ordinet, vel per se, ut bonum utile ad finem, quod quidem contingit primò directè, & principaliter secundùm meritum, quod consistit in obediendo Deo, unde ponitur, *Fiat voluntas tua, &c.* id est, obediatur ab hominibus ut fit ab Angelis, quæ petitiones in vita futura perficientur: secundò instrumentaliter, & quasi coadjuvans ad meritum, unde ponitur, *Panem nostrum, &c.* sive intelligatur de pane sacramentali, & aliis Sacramentis, sive de pane corporali, scilicet de omni sufficientia victus; vel denique per accidens per remotionem prohibētis, quod quidem primò est peccatum, *Dimitte nobis debita nostra*; secundò tentatio, ad quod est illud, *Ne nos inducas in tentationem*, id est ne à tentatione vincamur; tertiò præsens pœnalitas, unde dicitur, *Libera nos à malo*: ideò fit quod & in ea Oratione petantur omnia, quæ rectè desiderare possumus, & eo ordine quo sunt desideranda; non enim respondet oratio ordini exequutionis, in quo prius est recedere à malo; sed ordini desiderii, in quo prior est finis, unde consequutio boni; ita tamen quod non ideò in ea dicamus, *Pater noster*, quasi ad Deum flectendum, sed ut in nobis ipsis fiduciam excitemus ejus considerando charitatem; &, *Qui es in cœlis*, considerando excellentiam.

Vtrum orare sit proprium rationalis creaturæ. ℟. *Affirmativè*, non quòd non comprehendantur & Angeli, sed ita quod excludantur divinæ personæ, & bruta. *Primum est*, quia cùm illi propriè competat orare, cui competit & rationem habere,& superiorem, quia per orationem superiorem deprecamur; ideo cùm hoc non competat divinis personis, quæ non habent superiorem, sed neque brutis, quæ rationem non habent, est consequenter orare proprium rationalis creaturæ per exclusionem divinarum personarum, atque brutorum. Vnde quod dicatur Filius orare,non nisi secundùm naturam humanam intelligitur; nec aliter dicitur postulare, nisi quia postulantes nos facit: sed neque pulli corvorum dicuntur invocare Deum,nisi propter naturale desiderium, quo omnia suo modo desiderant consequi bonitatem divinam. *Secundum est*,quia cùm intellectus, & ratio non sint in nobis diversæ potentiæ, ideò & sub rationali creatura comprehendi possunt intellectuales, quales sunt Angeli; & de facto in præsenti comprehenduntur, cùm de illis dicatur: Adorent eum omnes Angeli ejus. ART. 10. Psal. 96.

Vtrum Sancti,qui sunt in patria, orent pro nobis. ℟. *Affirmativè*, & quidem magis, quàm in via, & oratione ad impetrandum efficaciori. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm oratio pro aliis facta ex charitate proveniat,ideò quanto Sancti perfectioris sunt charitatis, tanto etiam magis pro viatoribus orant, qui eorum orationibus juvari possunt, juxta illud Hieron. contra Vigilant. Si Martyres & Apostoli, quando ad- ART. 11.

huc pro seipsis soliciti, in hac vita pro nobis orabant, quanto magis post coronas? sed & oratione ad impetrandum efficaciori, utpote cùm ordo divinus sit, ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, proindeque & quanto sunt Sancti Deo conjunctiores, tanto efficaciores sint eorundem orationes, cùm aliunde ea solùm petant quæ vult Deus fieri per eorum orationes, esto quod quandoque efficacius sit orare, non quidem eos qui sunt in purgatorio, utpote qui inferiores sunt nobis quoad pœnas, unde nec sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis; sed quandoque inferiores Sanctos, & hoc vel quia devotiùs implorantur, vel quia vult Deus eorum inde sanctitatem declarare. Cum quo tamen stat, quod & inferiores, & superiores, quanvis non nisi quoad animam adhuc beatos, invocemus tamē nominibus, quibus hîc secundùm se totos nominabantur: tum quia viventes meruerunt, ut pro nobis orarent, unde & habent eorum orationes efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, sicut & ex divina acceptatione: tum etiam ad fidem resurrectionis insinuandam, juxta illud: Ego sum

Exod. 3. Deus Abraham, &c.

ART. 12. *Vtrum oratio debeat esse vocalis.* ℞. *Affirmativè*, & quidem in communi oratione de necessitate, in singulari autem rationabiliter, & congruenter. *Primum est*, quia cùm hujusmodi communis oratio, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur, debeat innotescere populo, pro quo profertur; ideò & debet de necessitate esse vocalis, non quidem ut

Deo ignotum manifestemus, sed ut mens orantis excitetur in Deum, utpote cùm verba significantia aliquid ad devotionem pertinens, non distrahant, sed excitent mentes, præcipuè minùs devotas. Vnde cùm dixit Dominus: Tu autem cum oraveris, Matt.6.
&c. non propterea prohibuit in conventu orare, sed ne quis oret, ut à conventu videatur; non enim videri ab hominibus nefas est, sed ideò hoc agere, ut ab hominibus videaris, ait Aug. *Secundum est*, quod orationi Lib. de
singularis personæ, sive pro se, sive pro aliis serm.
adjungatur oratio, congruum est, & ad excitandam Dom.
interiorem devotionem, ut ait cap.6.
Aug. & ad redditionem debiti, ut scilicet homo serviat Deo, non solùm mente, sed etiam corpore; necnon & ex quadam redundantia ab anima in corpus.

Vtrum de necessitate orationis sit quod sit attenta. ℟. Necessarium quidem esse ad tertium orationis fructum, qui est spiritualis quædam refectio mentis; non ita tamen, quod tollat evagatio mentis involuntaria duos alios fructus, qui sunt mereri, & impetrare. *Primum est*, quia refectio illa spiritualis est fructus ille, quem oratio præsentialiter efficit, & quidem per actualem attentionem; unde & de illo intelligitur dictum Apost. Si orem linguâ, mens mea sine fructu est. Ita tamen quod triplex sit attentio, quæ potest orationi vocali adhiberi: una ad verba, ne quis in eis: erret: secunda ad sensum verborum: tertia, quâ attenditur ad orationis finē, scilicet Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria, & quam etiam idiotæ habere possunt. *Secundum est*, quia cùm in

ART. 13.

1.Chor. 14.

ſpiritu, & veritate oret, qui ex inſtinctu & intentione ſpiritus ad orandum accedit, licèt poſtea ex infirmitate evagetur mens, & in illo aſcenſu ad Deum propter infirmitatem diu ſtare non poſſit; ideò & ſat eſt ad primum illum orationis effectum, atque communem actibus charitate informatis, ſcilicet mereri, prima illa intentio, quâ quis accedit ad orandum, nec requiritur ut adſit attentio per totum, ſicut nec ad ſecundum ſeu proprium effectum, qui eſt impetrare, ad quem ſufficit prima intentio, quam quidem Deus reſpicit, modò evagatio quæ ſequitur, non ſit voluntaria; quia aliàs peccatum eſſet, & tolleret meritum.

ART. 14. *Vtrum oratio debeat eſſe diuturna.* ℞. *Affirmativè*, non quidem per ſermonem multum, quod eſt oratio in ſeipſa conſiderata; ſed per diuturnum affectum, quod eſt oratio conſiderata in ſua cauſa. *Primum eſt*, quia cùm deſiderium charitatis debeat eſſe in nobis continuum, vel actu, vel virtute, quod accidit, cùm aliquid facimus in gloriam Dei, ad quod quidem ex Paulo, & Aug. ſemper tenemur; ideo oratio ſecundùm ſuam cauſam conſiderata, quæ eſt deſiderium charitatis, ex quo debet procedere, debet eſſe continua. Vnde non in hoc conſiſtit prolixitas orationis, quod multa petantur, ſed quod affectus continuetur ad unum deſiderandum, adeò ut aliquis continuè oret propter continuum deſiderii affectum, ſicut & quando non intermittit, quin temporibus ſtatutis oret; vel etiam propter effectum, quia poſt orationem remanet magis devotus. *Secundum eſt*, quia cùm cujuſcumque rei quantitas debeat eſſe

proportionata fini, conveniens est, ut oratio quantum ad sermonem, seu in seipsa tantum duret, quantū est utile ad excitandum interioris desiderii feruorem, & non amplius, secundùm Aug. adeò ut cùm sine tædio durare non potest, cessandum sit. Nec enim oportet orantem diu multùm loqui, cum plerumque hoc negotium plus gemitibus, quàm sermonibus agi debeat; quanvis non propterea Dominus instituerit Orationem Dominicam, quasi ut his tantùm verbis oremus, sed ut doceret quæ essent petenda. Epist. 121. cap. 9.

Vtrum oratio sit meritoria. ℟. *Affirmativè*, ita quod efficaciam habeat merendi, sicut & quilibet actus virtutis; quanvis non ita, quod semper mereatur quilibet quod pro se petit, aut semper audiatur unus pro alio. *Primum est*, quia habet oratio, sicut & quilibet actus virtutis, procedere ex radice charitatis, ex qua quidem habetur efficacia merendi: sicut & ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit, habet oratio efficaciam impetrandi, ut Aug. & Chrysost. docent. Ita tamen quod per orationem (quæ quidem etiam ex gratia aliqua, quasi gratuito dono procedit, quando gratiam gratum facientem impetrat,) possit quis mereri vitam æternam, & tamen non mereri illud obtinere, quod petit; putà cùm aliquid necessarium non est ad salutem, nec manifestè saluti contrarium. Qua quidem de causa non fuit Paulus exauditus, petens sibi amoveri stimulum carnis. *Secundum est*, quia quanvis qui petit quod est saluti suæ utile, illud mereatur, & quidem non solùm orando, sed etiam alia bona opera faciendo; non tamen ART. 15.

indubitanter accipit, nisi ubi adsunt hæ quatuor conditiones: ut pro se petat, ne scilicet alius, pro quo peteret, impediret: ut necessaria petat ad salutem: ut piè petat: & ut perseveranter.

ART. 16. *Vtrum peccatores orando impetrent aliquid à Deo.* ℟. *Affirmativè*, non quidem quando orant ut peccatores, sed quando ex bono naturæ desiderio procedit oratio. *Primum est*, quia cùm oratio peccatoris ex bono naturæ desiderio procedens sit pia, non quidem ex habitu virtutis, sed quia petit quæ ad pietatem pertinent; ideò quãvis non sit meritoria, quia non ex habitu charitatis, potest tamen esse impetrativa, cùm impetratio innitatur gratiæ, adeò ut audiat Deus peccatorem, servatis tamen quatuor cõditionibus suprà positis, nõ quidem quasi ex justitia, sed ex misericordia, ut Aug. & Chrysost. docent, aliàs frustra orasset Publicanus. Neque propterea mentitur, unde fiat exauditione indignus, quando non vult debita proximo dimittere, utpote cùm Oratio Dominica proferatur, seu proferri possit ex persona communi totius Ecclesiæ. *Secundum est*, quia quod dicitur Ioan. 9. *Scimus quia peccatores Deus non exaudit*, hoc quidem intelligitur quando peccator petit aliquid ut peccator, id est secundùm desiderium carnis peccati; esto quod qui in hoc non exauditur à Deo ex misericordia, exaudiatur quandoque ad vindictam; quia Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus.

ART. 17. *Vtrum convenienter dicantur hæ esse orationis partes, obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones.* ℟. *Affirma-*

tivè, non quòd non includantur hæc omnia in oratione communiter sumpta, sed ita quod hæc quatuor distingui possint secundùm ea, quæ ad orationem requiruntur. *Primum est*, quia ad orationem tria requiruntur: primò quod orans accedat ad Deũ, & sic ponitur oratio, quæ est ascensus mentis in Deum: secundò quod petat, unde postulatio, cùm determinatè quid poscit; vel supplicatio, si solùm indeterminatè quid petat, ut quod juvetur à Deo: tertiò demùm requiritur ratio impetrandi, & hoc vel ex parte Dei, & est ejus sanctitas, per quam petimus exaudiri, unde obsecratio; vel ex parte petentis, unde gratiarum actio, per quam meremur accipere potiora. Vnde non sumitur ibi obsecratio ut adjuratio ad compellendum, sed ad misericordiam implorandam; poniturque gratiarum actio in fine, licèt sit de præteritis, quia in uno & eodem prius est futurum, quàm præteritum; proindeque & prius postulatur idem beneficium, & cùm acceptum fuerit, gratiæ aguntur. *Secundum est*, quia cùm oratio communiter sumpta sit petitio decentium à Deo, ideò & includit hoc modo omnia, quæ hîc dicuntur, adeò ut non nisi ut propriè importat ascensum in Deum contra alia dividatur.

IN QVÆSTIONEM LXXXIV.

De exterioribus actibus latriæ.

Vtrum adoratio sit actus latriæ, seu religionis. ℞. *Affirmativè*, loquendo scilicet de adoratione, non secundùm reverentiam, quæ debetur creaturæ; sed secundùm eam, quæ debetur Deo. *Primum est*, quia cùm adoratio ordinetur ad reverentiam, ejus ARTICVLVS PRIMVS.

qui adoratur,& reverentiam exhibere Deo ſit proprium religionis ; ideo & eſt adoratio, quâ adoratur Deus,religionis actus.Ita tamen quod quia ſub majeſtate divinâ intelligitur omnis Dei excellentia , ideò nec tollitur quin adoratio , quæ ejus debetur majeſtati, ſit actus religionis, quæ debetur Deo,ut eſt Beatitudo noſtra : immò & quia una eſt excellentia trium perſonarum, ideò & unus honor, una reverentia , & una adoratio eis debetur. *Secundum eſt*, quia cùm Deo debeamus reverentiam propter ejus excellentiam,quæ quidem in creaturis non eſt, niſi per participationem ; ideò aliâ veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam , & aliâ excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam ; unde quod legitur, aliquos adoraſſe Angelos, non intelligitur de latria,aut dicitur quia adorarunt Deum in illis.

ART.2. *Vtrum adoratio importet actum corporalem.* ℞.*Affirmativè*, ita tamen quod principaliter quidem in interiori Dei reverentia conſiſtat,ſed ſecundariò in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis. *Ratio utriuſque partis eſt* , quia cùm ex duplici natura ſimus compoſiti , ſcilicet intellectuali , & ſenſibili , debemus etiam duplicem adorationem Deo offerre, mentalem ſcilicet , & corporalem , quæ quidem etiam in ſpiritu fit,quatenus & ex ſpirituali devotione procedit,& ad eam ordinatur.Ita tamen,quod hæc exterior adoratio fiat propter interiorem , ut ſcilicet per ſigna humilitatis corporaliter exhibita excitetur mens , & affectus ad ſe Deo ſubjiciendum ; quandoquidem in actibus latriæ, ſicut & in oratione,

quod exterius est, refertur ad id quod est interius. Vnde & genu flectimus, ad ostendendam infirmitatem nostram; & prosternimus nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis. Licèt enim per sensum Deum attingere non possimus, tamen per sensibilia signa provocatur mens nostra, ut tendat in Deum.

Vtrum adoratio requirat determinatum locum. ℟. *Affirmativè*, non quidem principaliter, quasi sit de necessitate ipsius; sed secundùm quandam decentiam. *Ratio utriusque partis est*, quia quanvis mens apprehendat Deum quasi non comprehensum aliquo loco, quo fit ut determinatio loci non requiratur ad adorationem principaliter; quia tamen corporalia signa, quæ secundariò requiruntur ad adorationem, necesse est quod in determinato loco & situ sint, proinde fit quod decenter eligatur determinatus locus orandi, non quidem propter Deum, quasi loco claudatur, sed propter ipsos adorantes; & hoc propter loci consecrationem, propter sacra mysteria, & propter concursum orantium, ex quo oratio fit magis exaudibilis. Vnde cùm Dominus dixit: *Venit hora, in qua veri adoratores, &c.* solùm inde prænunciat cessationem adorationis secundùm ritum Iudæorum, & Samaritanorum; non autem propterea locum excludit adorationis, qui quidem decenter est versùs orientem: tum quia divinitas manifestatur ex motu cœli, qui est ab oriente; tum propter paradisum ibi constitutum, tum etiam propter Christum, qui oriens nominatur, qui ascendit ad orientem, & inde expectatur venturus.

Art. 3. Ioan. 4. Gen. 2. Zach. 6. Matt. 24.

IN QVÆSTIONEM LXXXV.

De his, quæ Deo à fidelibus dantur.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum offerre sacrificium Deo sit de lege naturæ. ℞. *Affirmativè*; si tamen sermo sit de oblatione sacrificii in communi, non de determinatione sacrificiorum. *Primum est*, quia cùm naturalis ratio dictet homini secundùm naturalem inclinationem, ut ei qui est supra se, cujus auxilio eget, subjectionem, & honorem exhibeat secundùm modum suum; & modus conveniens homini sit, ut sensibilibus signis utatur ad aliquid exprimendum; ideò & naturaliter utitur homo sensibilibus rebus, in offerendo eas Deo in signum subjectionis, & honoris; quod quidem pertinet ad rationem sacrificii. Vnde & Adam, & Isaac, & alii olim sacrificia Deo obtulerunt, licèt non legatur in Scriptura, utpote quæ tantùm mentionem de illis facit, in quibus aliquid speciale accidit. *Secundum est*, quia licèt oblatio sacrificii in communi sit de lege naturali, unde & in hoc omnes conveniunt; determinatio tamen sacrificiorum non nisi de lege humana est, vel divina: sicut & quanvis significare conceptus suos sit naturale; determinatio tamen signorum est solùm ad placitum.

ART. 2. *Vtrum soli Deo sit sacrificium offerendum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ex ratione premii ejus, quod sacrificatur exteriùs; sed ratione ejus, quod interiùs significatur. *Primum est*, quia cùm illi debeatur exterius sacrificium, cui debetur spirituale interius, quod significat; & spirituale debeatur soli Deo, quia anima se offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis, &

fini suæ beatificationis, quod quidem soli Deo convenit; ideò propter id quod per sacrificium significatur, soli Deo est offerendum: in omni namque republica summus Rector aliquo privato signo honoratur, quo nefas esset alios honorare; & hoc maximè in præsenti, cùm aliis à Deo non cõmunicetur nomen divinitatis per æqualitatem, sed per participationem. Vnde nec construimus, inquit Aug. Sanctis, & Martyribus templa sacerdotalia, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. *Secundum est*, quia ex ratione pretii occisi pecoris multo majora munera offerunt subditi terrenis Principibus, quibus tamen Principibus Sancti & Angeli sunt multò majores.

8. de civit. Dei c. ult.

ART. 3. *Vtrum oblatiò sacrificii sit specialis actus virtutis.* ℞. *Affirmativè*, non quòd actus aliarum virtutum non possint dici aliqualiter sacrificia; sed ita quod quæ propriè dicuntur sacrificia, non nisi ad virtutem spectent religionis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm actus unius virtutis ordinatus ad finem alterius sumat quandam rationem illius, ut patet in furto propter fornicationem facto, quod si aliàs non esset peccatum, fieret; & sacrificium sit specialis actus in reverentiam Dei, unde laudem habet, quod quidem est finis virtutis religionis: ideò actus quidem aliarum virtutum possunt etiam dici sacrificia, quando ordinantur ad divinam reverentiam, ut dare eleemosynã propter Deum, vel etiam quia hoc ipsum, quod Deo quadam spirituali societate volumus adhærere per virtutum actus, ad divinam reverentiam pertinet; verùm

propriè sacrificia dicuntur illi actus, qui non habent aliunde laudem, nisi quòd fiunt propter divinam reverentiam, quòd quidem solius est religionis. Cum quo tamen stat, quod sacrificia adhuc dicantur magis propriè, quando scilicet circa res oblatas aliquid fit, ut cùm animal occiditur, panis frangitur, &c. ad differentiam oblationis, quæ est cùm aliquid simpliciter Deo offertur: unde & primitiæ oblationes sunt, quia Deo offerebantur; non sic decimæ. Tum insuper, quòd principale sacrificium illud sit, quo offertur Deo interiori sacrificio per devotionem bonum animæ, ad quod sequitur illud quo offertur bonum corporis per martyrium, & abstinentiam. Tertium denique sit illud quo offeruntur bona exteriora, vel quando immediatè Deo offeruntur, vel quando communicantur proximo propter Deum.

ART. 4. *Vtrum omnes teneantur ad sacrificia offerenda.* ℞. *Affirmativè*, loquendo scilicet de sacrificiis, non quidem in lege præceptis, sive determinatis; sed vel interioribus, vel exterioribus in protestationem divinæ subjectionis. *Primum est*, quia cùm omnes teneantur devotam Deo mentem offerre, tenentur consequenter & ad interius sacrificium; cumque exterius sacrificium, quod quidem est vel quando offertur aliquid in protestationem divinæ subjectionis, quod ex hoc solùm laudem habet, vel quando exteriores actus aliarum virtutum, de quibus aliqui sunt qui cadunt sub præcepto, in divinam reverentiam assumuntur, fit de dictamine rationis naturalis, dictantis scilicet, ut ei quod est supra se subjectionem &

honorem exhibeat homo secundùm modum suum, & consequenter sensibilibus signis; ideò & ad exterius tenentur similiter omnes, & quidem licèt non omnes sciant explicitè virtutem sacrificiorum, aut non omnes sint Sacerdotes, cùm ex præfato dictamine, quod superioribus inferiora subdi debent, adhuc implicitè sciant, sicut & implicitè fidem habent; nec Sacerdotum sit specialiter offerre sacrificia, nisi ea quæ specialiter ordinantur ad cultum divinum. *Secundum est*, quia cùm ex Apostolo quæcumque lex loquitur, his qui sunt in lege loquatur, ideò qui olim erant sub lege veteri tenebantur ad determinata sacrificia juxta legis præcepta, non autem alii, qui proinde solùm tenebantur ad quid exterius faciendum in honorem divinum, secundùm condecentiam ad eos, inter quos habitabant. Rom.

IN QVÆSTIONEM LXXXVI.

De oblationibus & primitiis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum homines teneantur ad oblationes ex necessitate præcepti. ℞. *Affirmativè*, non quòd oblationes, quæ sacrificia non sunt, petant de se cadere sub præcepto; sed ita quod possit ex quibusdam causis contingere, quod ad eas ex præcepto teneantur. *Ratio utriusque partis est*, quia etsi de ratione hujusmodi oblationis sit, quod voluntariè offeratur, juxta illud, Ab homine qui offert ultroneus accipietis eam; & ideò de se non cadat sub præcepto, quadruplici nihilominus ratione potest cõtingere, quod aliquis teneatur ad oblationes. 1. ex præcedenti conventione, ut cùm datur fundus, ut certo tempore offerat aliquid. 2. propter præcedentem deputationem, seu promissio- Exod. 25.

nem,ut ex donatione,vel testamento,in quo casu currit obligatio, & antequam fiant,& postquam factæ sunt. 3.propter Ecclesiæ necessitatem.4. propter consuetudinem,ut ait Greg.unde & qui non reddunt in lege nova oblationes debitas , non quidem causâ solennitatum legalium , sed præfatis de causis,puniri possunt per subtractionem Sacramentorum ; non tamen per ipsum Sacerdotem , sed per superiorem aliquem.

De consec.dist.1. c. omnis Christianus, &c.

Art.2. *Vtrum solis Sacerdotibus debeantur oblationes.* ℞. *Affirmativè*,non quòd non possint & religiosi,& pauperes oblationes recipere; sed ita quod propriè dictas oblationes non recipiant ex debito,nisi vel Sacerdotes,vel Sacerdotum vicem gerentes. *Primum est*, quia cùm Sacerdos,seu vicem gerens Sacerdotis, constitutus sit quodammodo sequester & medius inter populum,adeò ut dogmata & Sacramenta debeat populo exhibere ex parte Dei ; sic & quæ sunt populi, scilicet preces, sacrificia, & oblationes,per eum debent Domino exhiberi ; ita quod quæ à quolibet dantur pauperibus,non sint oblationes propriè dictæ , utpote quæ in usum pauperum cedunt , non per offerentium dispensationem , sed Sacerdotum, ex quorũ etiam dispensatione possunt in usum laïcorum cedere oblationes , non quidem consecratæ , sicut vasa & vestimenta sacra, quod prohibet Damasus Papa ; sed quæ consecratæ non sunt,& hoc vel per modum donationis, vel venditionis, &c. *Secundum est*,quia debentur Sacerdotibus oblationes, non solùm ut in proprium usum convertant , sed ut fideliter dispensent,& quidem nedum ad ea quæ pertinent ad cultum divi-

10.q.1.c. hanc cõsuetudinem,

num, aut proprium victum, sed partim etiã in usus pauperum, in quorum quidem usum Dominus loculos habebat, ut ait Hieron. unde & eas ut pauperes possunt religiosi ex dispensatione Sacerdotum recipere, sed insuper si sint ministri Altaris, vel etiam ut Ecclesiæ Rectores, si parochiæ sint eorum. In Matt. cap. 7.

Vtrum homo possit oblationes facere de omnibus rebus licitè possessis. R. *Affirmativè*, in hoc scilicet sensu, quod de quolibet licitè possesso, quantum est de se, possit oblatio fieri, sed tamen de aliquo per accidens fieri non possit. *Primum est*, quia etsi in lege veteri, in qua figuræ serviebatur, quædam propter significationem reputarentur immunda, quæ offerre non licebat; at in lege nova omnis creatura Dei reputatur munda, ex Scriptura: & ideò quantum est de se, de quovis licitè possesso potest oblatio fieri, ad differentiam iniquè possessi, cujus oblatio est maculata, ex Scriptura, propterea quod tanta vis est justitiæ, ait Aug. ut & tibi displiceret, si pro te judicaret judex, cui de spoliis ejus dares, quem deprædareris invalidum. *Secundum est*, quia potest per accidens contingere, quod oblatio quæ fieret de licitè possesso, vergat in detrimentum alterius, ut si filius Deo offerat id unde debet patrem nutrire, quod Dominus improbat; vel propter scandalum, qua de causa etiam in lege nova prohibetur oblatio de mercede prostibuli, ne videatur Ecclesia peccato favere; vel etiam propter contemptum, ex quo quidem illicita erat oblatio animalis cæci, & claudi, sicut & ratione ejus ad quod offerebatur, necnon & ex voto præcedenti, ex quo obligabatur homo ad in- ART. 3. Ad Titum 1. Eccl. 1. Serm. 35. Matth.

tegrum : quæ quidem causæ manent etiam in nova lege, quibus propterea cessantibus, non est hujusmodi oblatio illicita; & ita de omnibus offerre licebit, etiam de animalibus immundis, ut erat canis, ob significationem rapacitatis, utpote quorum prohibitio cessat in nova lege, ut dictum est.

ART. 4. *Vtrum ad primitias solvendas homines teneantur.* ℞. *Affirmativè*, & quidem ex jure naturali, quantum ad hoc quod ex rebus à Deo datis aliquid ad ejus honorem exhibeamus; sed ex jure solùm divino, vel ex determinatione Ecclesiæ, quantum ad primitias, vel quantitatem. *Primum est*, quia ad jus pertinet naturale, ut homo aliquid Deo ad ejus honorem exhibeat de bonis sibi à Deo concessis, cùm ex hac causa olim in recognitionem beneficii offerrētur, quasi homo profiteretur, se fructus terræ à Deo accepisse, propter quod & offerebantur cum quadam professione, & erant quoddā oblationis genus. Vnde cessarunt quidem ceremonialia, quia erant in signum futuri; non tamen oblatio primitiarum, saltem in communi, utpote quæ fuit in signum præteriti beneficii, quæ quidem recompensatio est secundùm dictamen naturalis rationis; nec solùm oblatæ fuere propter beneficium fructuum terræ Promissionis, sed simpliciter propter beneficium terræ fructuum à Deo datorum. *Secundum est*, quia etsi Deo debeamus exhibere id quod est præcipuum, cujusmodi sunt primitiæ; quia tamen dantur per modum oblationis, de cujus ratione est quod sit voluntaria, ideò determinatio quantitatis, & quod de primis fructibus fiant, non nisi de jure divino erant statuta

in veteri Testamento, sicut & in novo ex determinatione Ecclesiæ, ex qua quidem homines tenentur primitias solvere secundùm consuetudinem patriæ,& indigentiam ministrorum Ecclesiæ.

IN QVÆSTIONEM LXXXVII.

De decimis.

VTrum homines teneantur dare decimas ex necessitate praecepti. ℞. Affirmativè, & quidem quantum ad aliquid de jure naturali; non nisi tamen ex institutione Ecclesiæ quantum ad aliud quid. *Primum est*, quia dictat naturalis ratio, ut iis, qui divino cultui ad salutem totius populi ministrant, victus nessarius debeatur à populo, juxta illud Apost. Quis militat suis stipendiis? & illud Christi, Dignus est operarius mercede sua: quod quidem etiam patet in militibus & Principibus. Vnde & ante tempus veteris legis, etsi non esset determinatum quid daretur, eo quòd nondum determinati erant ministri divini cultus; ubi tamen aliquis occurrebat, unusquisque dabat ei quod sibi videbatur, quo modo Abraham & Iacob dederunt decimas. Cum quo tamen stat, non habere locum in nova lege decimas illas, quæ conservabantur ad sacrificia offerenda; benè tamen illas, quas cum pauperibus comedere debebant, quæ quidem etiam augentur, cùm Dominus non solùm partem decimam, sed etiam omnia superflua jubeat pauperibus exhiberi: esto quod rationabiliter decimas non requirant ministri Ecclesiæ, ubi sine scandalo requiri non possunt, ut propter dissuetudinem, vel aliam causam; nec peccent in hoc casu qui non solvunt, nisi fortè propter obstinatio-

ARTICVLVS PRIMVS.

1. Chor. 9. Matt. 10.

nem animi, si nimirum parati essent non solvere, etiam dũ peterentur. *Secundum est*, quia quantum ad hoc quod dari debeat pars decima potiùs quàm alia, sicut in lege veteri non nisi ex institutione divina judicialiter præceptum erat, (esto quod etiam ceremoniale fuerit, non quidem per se primò, aliàs non posset nunc observari, sed ex consequenti, eo quòd omnia illis in figura contingerent,) utpote quatenus ad æqualitatem servandam conveniens fuit, ut tribus Levitica, quæ erat mancipata cultui divino, & possessiones non habebat, ita reciperet ab aliis tribubus necessaria ad victum, ut honorabiliùs viveret: sic & in lege nova, quamvis debeat populus superare Iudæorum justitiam, & majoris sint dignitatis Ministri novi Testamenti; tamen Ecclesia quasi humanitate quadam instituit, ut non minus fidelis populus daret suis Ministris: ita tamen, quod pensatis & temporibus, & personis posset aliam partem solvendam determinare.

ART. 2. *Vtrum de omnibus teneantur homines decimas dare.* ℞. *Affirmativè*, ita quod etiam ad personales decimas teneantur in nova lege, non tamen in veteri, sicut neque in nova de minutis, seu minutioribus rebus. *Primum est*, quia cùm radix solutionis decimarum sit debitum, quo spiritualia seminantibus debentur carnalia, ut Paulus docet; & omnia quæ homo possidet, sub carnalibus contineantur; ideò & de omnibus possessis, nisi fortè per rapinã præter culpam ablata sint, sunt decimæ solvendæ, ut etiam dicitur Gen. 28. adeò ut & de malè acquisitis, non quidem quando acquisitio est injusta, sed

1. Cor. 9.

quando est ex causa turpi, ut accidit in meretricibus, debeantur decimæ; quanvis non debeat Ecclesia eas recipere quandiu personæ, quæ sic lucrantur, sunt in peccato: & quando venditur triticum non decimatum, possit Ecclesia exigere vel ab emptore, qui habet rem Ecclesiæ obligatam, vel ab ipso venditore, qui sic Ecclesiam defraudavit: & debeant decimæ solvi ex integris fructibus ante omnia, seu antequam solvantur tributa, &c. cùm debeantur de illis decimæ, in quantum ex divino proveniunt munere; & ideò cadere non debeant sub tributo, nec esse mercedi operariorum obnoxiæ. *Secundum est*, quia cùm modò multi non vivant ex possessionibus terræ, benè quidem in lege veteri; & Ministris novæ legis interdicatur ne se ingerant negotiis lucrativis, ideò nunc tenentur homines ad decimas personales, seu de negotiis & artificiis persolvendas secundùm consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum; non autem in lege veteri, quæ etiam nec determinavit ut de minutis rebus darentur decimæ, sed reliquit hoc arbitrio, eo quòd minima pro nihilo reputentur, nec honestati Ministrorum Ecclesiæ conveniens sit, ut minima requirant.

Vtrum decimæ sint Clericis dandæ. ℞. *Affirmativè*, in hoc scilicet sensu, quod soli Clerici jus habeant decimas accipiendi, sed tamē res acceptæ possint etiam in usum cedere laïcorum. *Primum est*, quia cùm hujusmodi jus spirituale sit, & consequatur debitum, quo ministris Altaris debeantur sumptus de ministerio, & seminantibus spiritualia debeantur carnalia; ideò & hoc est **Art. 3.**

Clericorum curam animarum habentium, etiam aliunde habentium unde vivant, cùm non propterea superfluæ sint, sicut nec oblationes, nec primitiæ, eo quòd non tantùm propter sustentationem dentur, sed etiam ut ex eis subveniatur pauperibus. Ita tamen quod decimæ prædiales potiùs debeantur Ecclesiæ in cujus territorio sunt prædia; personales verò illi, in cujus Parochia aliquis est: Pastor autem, qui in duabus Parochiis diversis temporibus oves pascit, utrique proportionaliter debeat, sed magis illi in cujus territorio pascit, quàm in cujus territorio ovile locatur. ***Secundum est***, quia cùm res quæ nomine decimæ dantur, corporales sint, ideò & potest Ecclesia concedere laïco, ut dandas decimas recipiat (jure tamen sibi reservato) sive pro necessitate Ecclesiæ, sicuti quibusdam militibus dantur in feudum; sive in subventionem pauperum.

ART. 4. *Utrum etiam Clerici teneantur decimas dare.* ℟. *Negativè*, si tamen sermo sit de Clericis, non quidem ut propria possident prædia, sed prout Clerici sunt, seu Ecclesiasticas habentes possessiones. *Primum est*, quia cùm idem non possit esse causa dandi & recipiendi, nisi respectu diversorum, & Clericis ut ministris Altaris debeantur decimæ à fidelibus, ad differentiam pauperum, in quorum quidem subventionem cedunt decimæ, sed per dispensationem Clericorum; non possunt consequenter in quantum Clerici, seu quantum ad prædia Ecclesiæ ad decimas teneri, etiamsi sint intra alterius Parochiæ terminos; si tamen curam habeant animarum, ad differentiam Religiosorum,

qui quidem ubi talem non habent curam, tenentur de jure communi decimas dare, esto quod habeant aliunde à Sede Apostolicas immunitates quasdam. Cum quo tamen stat, quod sicut olim Levitæ Sacerdotibus, sic & Clerici teneantur ad decimas Summo Pontifici, si exigeret, utpote cui cùm curam habeat de communi multitudinis statu, naturale est provideri de communibus bonis, ut possit ipse communi providere saluti. *Secundum est*, quia cùm aliud sit habere aliquid ut proprium, & aliud ut commune; ideò Clerici de propriis prædiis, quæ scilicet possident ex successione parentum, vel quocumque hujusmodi modo, tenentur solvere decimas Parochiali Ecclesiæ, sicut & alii, etiamsi ipsi sint ejusdem Ecclesiæ Clerici.

IN QVÆSTIONEM LXXXVIII.

De voto, per quod aliquid Deo promittitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum votum consistat in proposito voluntatis. ℟. Negativè, non quòd non præexigatur voluntatis propositum, sed ita quod in promissione perficiatur ratio voti. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm votum quandam importet obligationem ad aliquid faciendum vel dimittendum, & obliget se homo ad aliquid per modum promissionis, quæ quidem est rationis actus, ad quam pertinet ordinare, utpote qui promittendo ordinat quid ipse pro alio facere debeat, sicut & imperando aut deprecando, quid sibi ab aliis fieri debeat; ideò movet quidem voluntas rationem ad promittendum aliquid circa ea quæ ejus voluntati subduntur, & pro tanto votum à voluntate accipit, quasi à primo movente; adeò ut ad

votum præexigatur & propositum, & prævia aliqua deliberatio, cùm sit actus voluntatis deliberatæ: non nisi tamen in promissione rationis perficitur ratio voti, sicut nec firmatur conceptio boni propositi ex animi deliberatione, nisi sequatur promissio. Vnde nec dicitur manum mittere ad aratrum ex solo proposito, cùm ille jam faciat aliquid; sed qui solùm proponit, nondum aliquid faciat.

ART. 2. *Vtrum votum debeat semper fieri de meliori bono.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit de omni actu virtutis, quantumvis saluti necessario fieri votum, sed ita quod melius bonum, sive supererogationis, propriissimè cadat sub voto. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm votum sit promissio Deo facta, & consequenter voluntaria, cùm quidem Deo nihil sit acceptum, nisi sit virtuosum; ideo non debet esse de re illicita, nec indifferenti, sicut nec de impossibili, vel absolutè necessaria. Quia tamen necessaria solùm ex fine, sine quibus salus haberi nequit, habent aliquid de voluntario in volitione finis, sicut & aliquid de necessario ex suppositione finis; ideò & ex ea parte quâ voluntaria sunt, possunt sub voto cadere, & hac ratione sub voto Baptizatorum cadit abrenuntiare pompis, &c. sicut & in voto Iacob habere Dominum in Deum; non tamen totaliter, & prout necessaria sunt: ex quo proinde fit, quod illud solùm cadat totaliter, & propriissimè sub voto, quod nec sub necessitate absoluta cadit, nec sub necessitate finis, quod quidem non aliud est, quàm majus bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis.

salutis. Vnde nec maceratio proprii corporis habet sub voto cadere, nisi quando est actus virtutis, & cum discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, nec corpus nimis gravetur, ita quod in hoc superiores sint consulendi, & simpliciter servari non debeat, ubi manifestum sentitur gravamen. Nec nisi stultus fuit Iephte in vovendo, ut ait Hieron. quia discretione caruit; & in reddendo impius, quandoquidem quæ ex se bona sunt, quanvis ut sic possint sub voto cadere, ut tamen possunt malum habere eventum, non sunt observanda. Cum quo tamen stat, adhuc poni in catalogo Sanctorum, propter scilicet victoriam quam obtinuit, vel etiam quia probabile est, cum pœnituisse. Iudic. 11. Ad Hebr. 11.

Vtrum omne votum obliget ad sui observationem. ℟. *Affirmativè*, ita quod maximè obligatorium sit hoc ipso quod Deo factum; sed tamen juxta propriam voluntatem, seu intentionem voventis. *Primum est*, quia cùm ad fidelitatem hominis pertineat ut id solvat quod promisit, adeò ut secundùm honestatem juris, seu rationis naturalis homo homini obligetur, esto quod ad obligationem civilem alia insuper requirantur; ideò cùm maximè debeat homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum ratione suscepti beneficii, ei etiam maximè obligatur per simplicem voti promissionē, ita quod quando votum ex quacumque causa redditur impossibile, teneatur vovens voluntatem habere promptā faciendi quod potest; & ita tum qui vovit monasterium ingredi debet operam dare quantum potest, ut ibi recipiatur, quanvis si vovit Re- ART. 3.

ligionem,non ſimpliciter, ſed unam principaliter in particulari, ſi ibi recipiatur, non propterea teneatur ad aliam. Tum etiam puella quæ vovit virginitatem, & poſtea corrumpitur,nõ ſolùm debet ſervare quod poteſt,perpetuam ſcilicet continentiam,ſed etiam pœnitere de eo,quod peccando amiſit. *Secundum eſt*, quia cùm ligatio voti ex propria cauſetur voluntate; ideò ſi vovens intendit ſe obligare ad ſtatim ſolvendum, ſtatim quidem tenetur; ſecus ſi retro tempore, aut certa conditione.

ART. 4. *Vtrum expediat aliquid vovere.* ℞. *Affirmativè*, ita quod votum ad noſtram conducat, & expediat utilitatem,nec ex imminente periculo propterea ruinoſum ſit.*Primum eſt*,quia cùm aliter homini promittamus, adeò ut homini promittatur in ejus utilitatem, ut ſcilicet aliquid ei exhibeamus, & eum de futura exhibitione certificemus; Deo autem, qui ut ait Aug. benignus exactor eſt, non creſcens ex redditis, ſed in ſe creſcere faciens redditores, nequaquam in ejus utilitatem promittamus, nec indigeat certificari à nobis; ideò fit quod ſicut id quod Deo damus, non ſit ei utile, ſed nobis quatenus additur reddenti quod ei redditur;ſic & in noſtram refundatur utilitatem quod ei voveamus, utpote quod non vovemus ad Deum certificãdum, ſed ad noſtram potiùs firmandam voluntatem ad illud quod expedit facere. Vnde & Apoſtoli intelliguntur voviſſe, pertinentia ſcilicet ad ſtatum perfectionis, quando relictis omnibus Chriſtum ſunt ſequuti, eſto quod Chriſtus ipſe propter firmatam voluntatem in bono non voverit: nec neceſſi-

Epiſt. 45.

tas voti,seu firmatæ voluntatis in bono minuit propterea libertatem,sicut nec minuit in Deo libertatem non posse peccare. *Secundum est*, quia licèt ruinosum potius sit quàm expediens, quando imminens periculum ex ipso facto nascitur, putà quod quis per pontem ruinosum transeat fluvium ; non tamen quando ex eo imminet quod deficit homo ab illo facto,quo modo imminet voventi,dum scilicet ex culpa sua voluntatem mutat transgrediendo ; aliàs ab omnibus oporteret cessare bonis , quæ etiam per accidens possunt esse periculosa.

Vtrum votum sit actus latriæ, sive religionis. ℞. *Affirmativè*,ita quidem,quod ratione promissionis Deo factæ,quæ est essentia voti , ad religionem pertineat ; non tamen semper ratione rei promissæ , quæ est voti materia. *Ratio utriusque partis est*,quia cùm votum sit ordinatio quædam eorum , quæ quis vovit in divinum cultum,& obsequiũ, cũm sit promissio facta Deo , quæ quidem ordinatio quædam est , ut diximus ; & ordinare aliquid ad divinam reverentiam,seu cultum ad religionem pertineat , sive latriam,per modum scilicet imperii;ideò materia quæ cadit sub voto est quidem quandoque actus alterius virtutis, ut jejunare, sicut & quandoque religionis , ut orare ; utrorumque tamen promissio ad ipsam spectat religionem , ex qua quidem qui promittit , in quantum se obligat ad dandum, jam quodam modo dat, & religiosè offert, cùm effectus virtute contineatur in causa. Vnde non nisi materialiter cadit sub voto promissio quæ fit hominibus , in quantum scilicet homo Deo vovet , se impletu-

ART. 5.

Art. 1. & 2.

rum quod Sanctis, vel Prælatis promittit.

ART. 6. *Vtrum magis sit laudabile & meritorium facere aliquid ex voto, quàm sine voto.*

℞. *Affirmativè*, & quidem nedum, quia tunc facit actum latriæ, quæ inter virtutes morales est præcipua; sed & quia se magis tunc Deo subjicit, & magis firmatur in bono. *Primum est*, quia cùm actus inferioris virtutis melior sit ex hoc, quod à superiori imperatur virtute, cujus quidem actus fit per imperium, sicut & melior est actus fidei & spei, si à charitate imperetur; ideò & actus aliarum virtutum moralium, si fiant ex voto, seu latria, in quo casu jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia, magis etiam sunt meritorii. *Secundum est*, quia cùm vovens se Deo subjiciat, non solùm quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem quæ ligatur; & insuper per votum firmetur voluntas immobiliter in bono, etiam in futurum, ad differentiam illius, qui facit sine voto, qui quidem non habet immobilem voluntatem, nisi quando actu facit; ideò & insuper ex hoc duplici capite fiunt actus ex voto meliores. Vnde & illud Prosperi, quod non debemus nos necessitati subdere jejunandi; & illud Philos. quod scilicet necessitas contristans est, non de alia intelliguntur necessitate, quàm coactionis, quæ involuntarium causat, atque devotionem excludit, non autem de necessitate voti, quæ potiùs & devotionem auget, cùm sit per voluntatis immobilitatem, seu firmitatem, quæ quidem est de perfectione virtutis, ut dicitur, sicut & peccare mente obstinata, peccatum facit gravius; & insuper gaudium causat in benè

Lib. 2. de vita cō templ. c. 24.

In 5. Metaph. text. 6.

5. Ethic.

dispositis, juxta illud Aug. Non te vovisse pœniteat; imò jam gaude, tibi non licere, quod cum detrimento licuisset; felix necessitas, quæ te ad meliora compellit.

Utrum votum solennizetur per susceptionem sacri Ordinis, & per professionem ad certam regulam. R. *Affirmativè*, non quòd non possint alia vota quandam habere solennitatem; sed ita quod solennitatem non habeant spiritualem & divinam, nisi quæ fiunt præfato modo. *Primum est*, tum quia solennitas, quæ rei unicuique adhibetur, secundùm rei conditionem attenditur in voto; quod est promissio Deo facta secundùm aliquid spirituale ad Deum pertinens, idest secundùm aliquam spiritualem benedictionem, vel consecrationem, quæ quidem non nisi in professione certæ regulæ secundo gradu post Ordinis susceptionem adhibetur ex institutione Apostolorum, ut ait Dionys. tum quia non consuevit adhiberi solennitas pro aliquo particulari opere, sed solùm quando totaliter quis mancipatur alicui statui; sicut nec nuptialis solennitas adhibetur nisi in ipsa celebratione Matrimonii: quæ quidem mancipatio non fit nisi vel per susceptionem sacri Ordinis, vel in professione certæ regulæ, cùm per abrenuntiationem sæculi, & propriæ voluntatis assumit aliquis statum perfectionis. *Secundum est*, quia quanvis aliud sit votum esse publicum, & aliud solenne, si nimirum deficiat in publico præfata spiritualis solennitas; ex hoc tamen quod fiunt in publico, possunt quandam habere solennitatem humanam; ita tamen quod non tantam habeant apud Deum vim obligandi, quam so-

Art. 7.

2. cap. Eccles. Hier.

lenne, non quòd non peccet mortaliter utrorumque transgressor, in quo quidem conveniunt in obligando; sed quia solennitas non solùm pertinet ad hominem, sed etiam ad Deum, ut habet aliquam spiritualem benedictionem, seu consecrationem, cujus quidem Deus est author, quantumvis homo sit minister.

ART. 8. *Utrum illi, qui sunt alterius potestati subjecti impediantur à vovendo.* ℞. *Affirmativè*, ita quod in his, in quibus subjiciuntur, non possint absque consensu superioris se voto obligare, quanvis non propterea peccent vovendo. *Primum est*, tum quia nemo potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed ad id tantùm, quod est omninò in sua potestate, nec consequenter subjectus alteri, quantum ad id in quo subjectus, in quo quidem non potest facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius; tum quia ratio voti, quæ scilicet est ut sit de aliquo virtuoso, non potest servari quando quis vovet quòd est in potestate alterius, cùm sit contra virtuté. Vnde licèt Religiosus possit ad horam aliquid facere, cùm non occupatur à Prælato; nihilominus quia nullum est tempus exceptum, in quo non possit à Prælato occupari, nullum propterea illius votum firmum est, nisi de consensu Prælati, sicuti nec puellæ sine consensu patris, & mulieris sine consensu viri: ita tamen quod cùm filius venerit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, quia est suæ potestatis, ad differentiam servi, quantum ad ea, quæ pertinent ad suam personam; ideò de ea possit vovere, esto quod non possit sine

consensu patris, quantum ad ea quæ spectāt ad dispensationem domesticam. *Secundum est*, quia cùm in hujusmodi subditorum votis semper intelligatur conditio, si superioribus placuerit, ideo fit quod quamvis non sint firma, non tamen peccent voventes.

Vtrum pueri possint voto se obligare ad religionis ingressum. ℞. *Affirmativè*, in hoc tamen sensu, quod si tunc rationis usum attigerit, possit quidem quantum in ipso est, & voto simplici, non solenni se obligare; sed tamen irritabili per parentes. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm deliberatio animi, ex qua quidem votum simplex obligationem habet, impediri possit vel propter defectum rationis, ut in amentibus, vel quia qui vovet est sub alterius potestate; ideo fit, quod si in pueris acceleretur quandoque rationis usus, ut fit quando reperiuntur doli capaces, non possint quidem se astringere voto non irritabili, cùm non propterea eximantur à cura parentum, quæ subjacet legi humanæ respicienti id quod frequentiùs accidit; bene tamen quantum est ex parte illorum licito & obligatorio, si adsit præfata deliberatio, utpote cùm vota eorum, qui sunt in potestate aliorum, hanc habeant conditionem implicitam, scilicet si non revocentur, adeò ut si conditio extet, valida reddantur & licita: cum quo tamen stat se voto solenni obligare posse, etiam quanvis sint doli capaces, propter scilicet statutum Ecclesiæ, sub cujus dispensatione cadit solennizatio voti. ART. 9.

Vtrum possit in voto dispensari. ℞. *Affirmativè*, non quidem per hoc quod dispensetur in præcepto juris, sive naturalis, sive divini ART. 10.

de voto servando; sed per hoc, quod determinetur, non ampliùs contineri sub materia voti, quod antea continebatur. *Ratio utriusque partis est*, quia licèt votum obliget secundùm se, quia tamen in casu legitimo accidit ipsum non esse observandum, sicut & in legibus quandoque accidit, vel quia est simpliciter malum in tali casu, aut certè inutile, aut majoris boni impeditivū, in quo quidem casu non ampliùs cadit sub materia voti; ideò fit, quod cùm dicatur dispensatio, si tunc determinetur non esse servandum, sicut & commutatio, si aliud imponatur servandum, quod fiat consequēter dispensatio, non quidem dispensando in jure humano, vel divino, sed solùm determinando talem materiam in hoc casu non cadere sub voto, adeo ut id quod erat lex, aut votum, non amplius tale sit in hoc casu. Vnde non propterea facit dispensatio contra fidelitatem Deo debitam, utpote ad quam non pertinet, ut id faciat homo, quod ad vovendum est malum, vel inutile: cum quo tamen stat, quod ubi consecratio intervenit, nec etiam commutatio fieri possit in voto; & ideo nec olim commutari poterat animal, quod poterat immolari, ut
Lev. 27. scriptum est, utpote reputatum sanctum ex hoc ipso, quod vovebatur; sicut & modò accidit in vovente rem consecratam, ut Calicem.

ART. II. *Vtrum in voto solenni continentiæ possit fieri dispensatio.* ℟. *Negativè*, si nimirum solennizatum sit, non quidem solùm per susceptionem Ordinis sacri, sed per professionem Religionis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm per votum religionis homo Deo

consecretur, & quod semel est Deo consecratum, non possit in alios commutari usus, ut etiam scriptum est, sicuti non potest facere Pontifex, ut Calix consecratus non sit consecratus, si maneat integer; ideo multò minùs fieri potest etiam authoritate Pontificis, ut homo Deo consecratus, qualis quidem est ex voto solenni Religionis, consecratus non sit quandiu vivit, sive Religiosus; proindeque cùm continentiæ debitum sit annexum statui Religionis, non quidem solùm ex statuto Ecclesiæ, sicut annexum est Ordini sacro, sed etiam essentialiter, utpote cùm per hunc statum totaliter renunciet homo sæculo, & Dei servitio mancipetur, quod non potest simul stare cum Matrimonio, in quo scilicet incumbit necessitas procurandæ uxoris, prolis & familiæ, consequenter fit, posse quidē per Ecclesiæ Pontificem dispensari in voto solennizato susceptione Ordinis sacri, non tamen solennizato professione Religionis; adeò ut non sint Religiosi revocandi ad vitam humanam occasione cujuscumque eventus: nec enim periculis rerum humanarum est aliter obviandum quàm per humana, non autem per hoc quod res divinæ in usum convertantur humanum. Vnde nec Religiosus, qui fit Episcopus, absolvitur propterea à voto paupertatis, cùm nihil debeat habere quasi proprium; sicuti nec à voto obedientiæ, licèt per accidens, ex defectu scilicet Superioris, obedire non teneatur. Cum quo tamen stat, quod votum abstinentiæ cibi possit recipere dispensationem, hac scilicet ratione, quia potest directè vergere in periculum personæ, ad

Levit. ult.

differentiam abstinentiæ coïtus, quæ non nisi per accidens contra personam vergere potest, & cui insuper potest aliter subveniri, putà per abstinentiam, vel alia corporalia remedia.

ART. 12. *Vtrum ad commutationem, vel dispensationem voti requiratur Prælati authoritas.* ℞. *Affirmativè*, non ex eo quidem, quod in voto quolibet includatur authoritas Prælati; sed quia ad Prælatum spectat dijudicare, quid sit magis Deo acceptum. *Primum est*, quia quod aliquid sit acceptum in aliqua promissione, cùm pendeat ex arbitrio illius cui promittitur; & votum sit promissio Deo facta, geratque Prælatus Ecclesiæ vicem Dei; ideò & requiritur in commutatione, aut dispensatione voti authoritas Prælati, qui in persona Dei determinet quid sit Deo acceptum, juxta illud Apostoli: Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. Vnde quia summus Pontifex gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia, habet etiam plenitudinem dispensandi in omnibus dispensabilibus votis, non autem Prælati inferiores, quibus propterea solùm committitur dispensatio votorum, quæ frequenter fiunt, & frequenti indigent dispensatione. Cum quo tamen stat, quod in manifestis dispensatio Prælati sine causa non excusaret à culpa, ut si dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis, nulla apparente causa, esto quod ubi apparens esset causa, per quam in dubium verteretur, posset tunc stare judicio Prælati commutantis, vel dispensantis; non autem judicio proprio, cùm ipse non gerat vicem Dei. *Se-*

cundum est, quia cùm potestas Prælati spiritualis, qui quidem non est Dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non in destructionem, ut scriptum est; ideò sicut non potest imperare quæ secundùm se Deo displicent, scilicet peccata; ita nec potest prohibere quæ secundùm se Deo placent, putà virtutis opera, proindeque & potest homo absolutè ea vovere, etiam introitum religionis, quo absolvitur ab aliis votis, utpote quæ sunt quorundam particularium operum, quæ quidem includuntur in universali religionis voto, quo scilicet homo totam vitam suam Dei obsequio deputat. 2. ad Cor. 10.

IN QVÆSTIONEM LXXXIX.

De juramento.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum jurare sit testem Deum invocare. ℞. *Affirmativè*, non quidem testimonio Dei utendo, prout jam dato, sed testimonium Dei implorando ut exhibendum. *Primum est*, quia cùm juramentum, ut ait Paulus, ordinetur ad veritatis confirmationem, & hæc in scibilibus quidem ratione fiat, quatenus procedente ex naturaliter notis; sed cùm facta humana contingentia & singularia, utpote non habentia rationem necessariam, soleant probari per testes, nec sufficiens sit humanum testimonium, tum quia plurimi labuntur in mendacium, tum propter defectum cognitionis, quandoquidem nec cognoscit homo futura, nec cordium abscondita; ideò necessarium fuit testimonium Dei implorare exhibendum, qui scilicet mentiri non potest, & omnia cognoscit: in quo quidem reddit quis juramenta Deo, ut dicitur, quatenus Deum te- Hebr. 6. Matth.

ſtem vocans, recognoſcit eum habere omnium cognitionem, & infallibilem veritatem. Vnde quia dupliciter aliquid Deus manifeſtat, tum revelando, inſpirando, vel manifeſtando occulta; tum etiam puniendo mendacem, & ſic etiam eſt judex; ideò & duplex eſt modus jurandi, & per ſimplicem Dei conteſtationem, qui iterum duplex eſt, vel aſſertorius, ſi de præſenti; vel promiſſorius, ſi de futuro; & per execrationem, cùm judex ad pœnam ſe obligat. *Secundum eſt*, quia teſtimonio Dei utimur prout jam dato, quoties authoritaté ſacræ Scripturæ inducimus, in quo tamē non eſt juramentū.

ART. 2. *Vtrum ſit licitum jurare.* ℟. *Affirmativè*; non quòd non poſſit juramentum alicui per accidens cedere in malum; ſed ita quod ſecundùm ſe ſit honeſtum, & licitum. *Primum eſt*, quia cùm introductum ſit ex fide, qua ſcilicet homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & omnium cognitionem; & finis ejus ſit ad homines juſtificandos, & terminandas controverſias; ideò & ex origine, & ex fine eſt licitum ſecundùm ſe. Vnde nec malum facit qui benè utitur juratione, ut ſcilicet perſuadeat quod utiliter perſuadet; ſed à malo eſt illius, cujus infirmitate quis cogitur jurare, ut ait Aug. neque tentat Deum qui jurat, cùm non ſic imploret divinum teſtimonium abſque utilitate, & neceſſitate. Vnde illud, *Non jurare omninò*, de quo Matth. 5. ideò ſolùm dicitur, ne jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate ad cōſuetudinem, & à conſuetudine in perjurium deveniatur. *Secundum eſt*, quia cùm ſit contra reverentiam Dei, ſi in re levi vocetur teſtis, tum

Lib. 1. de ſerm. Dom. cap. 30.

Aug. lib. de mendacio, cap. 15.

etiam propter periculum perjurii; ideo & cedere poteſt juramentum in malum alicui, ſi malè eo utatur, putà ſine neceſſitate, & debita cautela; unde & ſcriptum eſt; Iurationi non aſſueſcat os tuum. Eccl. 23.

Vtrum convenienter ponantur tres comites juramenti, videlicet juſtitia, judicium, & veritas. ℞. *Affirmativè*; ſi tamen ſumatur juſtitia non pro exequutione juſtitiæ, ſed pro judicio diſcretionis; ſicut nec veritas prout pars eſt juſtitiæ, ſed pro conditione loquutionis. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm juramentum non ſit bonum niſi ei, qui benè utitur juramento; & ad hoc requiratur primò, ut ex neceſſaria cauſa, & diſcretè juret, & ſic ponitur judicium diſcretionis ex parte jurantis; in quo quidem ſubintelliguntur devotio, fides, & hujuſmodi, quæ exiguntur ad debitum modum jurandi: deinde ut id quod confirmatur, falſum non ſit, neque illicitum, & ſic requiritur veritas, & juſtitia; ideò & hæc tria convenienter ponuntur comites juramenti, non quòd non requirantur ad alios humanos actus, ſed quia maximè requiruntur in juramento, propter ejus periculum, ratione ſcilicet magnitudinis divini teſtimonii ex una parte, & labilitatis humanæ linguæ ex altera. Ita tamen quod hîc non ſumitur judicium pro executione juſtitiæ, nec veritas ut pars eſt juſtitiæ, cùm ſic ſumpta non connumerentur tanquam diverſa; ſed pro judicio diſcretionis, & veritas, ut eſt quædam loquutionis conditio. Art. 3.

Vtrum jurare ſit actus religionis, ſive latriæ. ℞. *Affirmativè*, non quidem ratione illius, ſuper quo inducitur juramenti teſti- Art. 4.

monium; sed ratione testimonii, quod inducitur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm in hoc ipso, quod homo per Deum jurat, profiteatur Deum potiorem, etiam quanvis ex hoc ipso intendat solum hominem certificare, cùm nihil confirmetur, nisi per aliquid certius & potius; sicque Deo aliquo modo reverentiam exhibeat, offeratque ex hoc aliquid Deo, scilicet reverentiam & honorem, profitendo scilicet Deum meliorem; nec enim qui jurat, aliter quàm per majorem jurat, ut ait Paulus, quem vel veneratur, vel diligit, ut Hieronymus scribit; ideò cùm ad religionem pertineat Deo exhibere reverentiam, ejus etiam est juramétum; non quidem ratione ejus quod facit necessitatem testimonium inducendi, quod est humanum quid; sed ratione ipsius testimonii, quod est divinum.

Hebr. 6. In Matt. cap. 5.

ART. 5. *Vtrum juramentum sit appetendum & frequentandum tanquam utile & bonum.* ℞. *Negativè*, ita quod non sit habendum inter ea, quæ per se appetenda sunt, sed inter ea solum quæ intra terminos necessitatis appetuntur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm id quod non quæritur nisi ad subveniendũ alicui defectui, non numeretur inter ea, quæ per se appetuntur, sed inter solùm appetibilia, quantum necessitas exposcit, ut patet de medicina; & juramentum afferamus ad huic subveniendum defectui, quo unus homo discredit alteri, ideò nec frequentari, nec appeti debet nisi juxta necessitatem, adeò ut licèt aliquid præstare ex voto sit laudabilius, quàm facere sine voto, non eadem tamen sit ratio de juramento; & quidem etiamsi qui jurat, utatur veneratione

ejus per quem jurat, utpote cùm per votum aliquid in Dei reverentiam ordinemus; & in juramento è contra reverentia divini nominis aſſumatur ad promiſſi confirmationem, nec ordinet juramentum ad eum, per quem jurat, venerandum, in quo caſu per ſe expeteretur, ſed ad aliud confirmandum; imò quanto magis eſt juramentum venerandum, tanto eſt magis periculoſum, niſi debitè inducatur; quādoquidem ſi per ſimulationem falſum juraverit, dupliciter delinquit, ex Scriptura, quatenus ſcilicet ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas; nec juſtificabitur ſi juraverit in vacuum, id eſt ſine neceſſitate. Eccl. 15.

Vtrum liceat per creaturas jurare. ℞. *Affirmativè*, non tamen principaliter, & ſecundùm ſe ſumptas, ſed in quantum in eis divina relucet veritas in judicio conteſtationis, vel ut in quibus divinum exerceatur judiciū in judico execrationis. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm juramentum, præſertim conteſtationis divinæ innitatur veritati, ſicut fides, & fides per ſe & principaliter ſit de Deo, ſecundariò autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet; ideò ubi juratur per ſimplicem conteſtationem, aſſumi poſſunt non principaliter, & ſecundùm ſe, ſed ſecundariò aliquæ creaturæ in quantum in eis divina manifeſtatur veritas, quo quidem modo juratur per Evangelium, id eſt per Deum, cujus veritas eſt in Evangelio; & per Reliquias, & per Sanctos, qui ſcilicet hanc veritatem crediderunt: aut certè in juramento per execrationem, in quantum inducitur creatura, ut in qua divinum exerceatur judicium, juxta illud ART. 6.

1. Cor. 1. Pauli: Testem Deum invoco, &c. quo etiam modo solet homo jurare per animam, per caput, & filium suum, vel aliam rem, quam similiter diligit. Vnde nec alio modo prohibuit Dominus jurare per creaturas, nisi eo quo adhiberetur cultus latriæ, sive divina reverentia; sub qua quidem ratione
22. q. 1. c. Si quis. jurans Clericus per creaturas, punitur secundùm Canones.

ART. 7. *Vtrum juramentum habeat vim obligandi.*

℞. *Affirmativè*, ad id scilicet, quod ut veritas impleatur, fieri debet; si tamen alii duo adsint comites, judicium scilicet, & justitia. *Primum est*, quia cùm teneatur aliquis, ut faciat verum esse id quod juravit, alioquin deest veritas juramento; nec eadem sit ratio de juramēto, utpote quod propter divinam reverentiam non debet adhiberi, nisi in re de qua quis certus est; ac de simplici verbo, ad cujus scilicet veritatem sufficit, ut quis id dicat, quod proponit se facturum; ideò ubi obligatio refertur ad aliquid faciendum vel dimittendum, ut refertur in juramento, non quidem assertorio, quod est de præterito, vel præsenti; sed in juramento de futuro, seu faciendo per eundemmet qui jurat, obligatur qui jurat, ad id quod, ut veritas impleatur, fieri debet; aliter tamen quàm in juramento assertorio, in quo quidem obligatio est respectu actus jurandi, id est ut juretur verum, quod est, vel fuit; non super rem juramento firmatam, ut est in juramento de futuro. Vnde tollitur quidem per coactionem in juramēto quod quis coactus facit, obligatio quâ obligatur homini; non tamen ea quâ obligatur Deo, sicut nec ab his absolverunt ju-

ramentis Romani Pontifices, quasi decernentes non esse obligatoria, utpote cùm quilibet magis debeat temporale damnum sustinere, quàm juramentum Deo factum violare; sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes. Ex quo etiam fit, quod si jurans dolum adhibeat, debeat juramentum servari secundùm sanum intellectum non jurantis, qui tunc dupliciter fit reus, & quia Dei nomen in vanum sumit, & quia proximum dolo capit; sed ejus cui juramentum præstatur, esto quod si dolum non adhibeat, obligetur solùm secundùm intentionem jurantis, ut Greg. ait. *Secundum est*, quia excusatur ab obligatione & ubi deest judicium discretionis, putà si res in ejus non esset potestate, dummodo faciat quod in se est, ut impleat; & ubi deest justitia, quia scilicet res est per se mala, in quo casu peccaret etiam adimplendo; aut quia est impeditiva majoris boni, utpote quod Spiritui sancto obicem poneret, si impleretur.

De jurejur. cap. verùm, &c.

Lib. 27. mor. c. 7.

Vtrum major sit obligatio juramenti, quàm voti. ℞. *Negativè*, ita quod habeat votum majorem firmitatis causam, sed ex parte Dei, non ex parte voventis. *Primum est*, quia cùm obligatio voti causetur ex fidelitate, quam Deo debemus, obligatio autem juramenti ex reverentia; & omnis infidelitas irreverentiam contineat, sed non omnis irreverentia infidelitatem, immò infidelitas sit maxima irreverentia; ideò votum, quod est quidem simplex promissio, sed facta Deo, cui infidelem esse gravissimum est, est ex sua natura magis obligatorium, quàm juramentum. Vnde nec additur voto jura-

ART. 8.

mentum, quasi quid firmius, sed ut per duas res immobiles major firmitas habeatur. *Secundum est*, quia votum non aliunde habet firmitatem ex parte voventis, quàm ex deliberatione animi, quæ quidem minor est eâ quæ est ex parte Dei.

Art. 9. *Vtrum aliquis possit in juramento dispensare.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ad hoc, ut contra juramentum aliquid fiat, sed ad hoc ut quod sub juramento cadebat, amplius non cadat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm possit contingere, ut quod in se, & universaliter est honestum & utile, possit secundùm aliquem particularem evētum esse inhonestum & nocivum; & quod est hujusmodi, repugnet his quæ debent attendi in juramento, quandoquidem inhonestum justitiæ repugnat, & nocivum judicio; ideò & potest in juramento fieri dispensatio, non quidem ad hoc se extendens, ut contra juramentum aliquid fiat, aliàs divino contrariaretur præcepto de juramēti observatione, sed respiciens materiam, & declarans ut id non amplius sit debita materia juramenti, quod antea erat. Ita tamen quod si quis sub juramento promiserit aliquid alicui in utilitatem illius, possit absolvi à tali promissione ab eo, cui facta est promissio; secus si promiserit quod spectat vel ad honorem Dei, vel ad aliorum utilitatem, utpote cùm tunc promissio non sit ei principaliter facta, sed Deo. Vnde solus Episcopus potest tunc dispensare, casu scilicet quo fit de re, de qua dubium est an sit licita & utilis; vel solus Summus Pontifex, si res sit manifestè licita, & quidem vel commutando, si occurrat quid melius; vel absolutè

relaxando, in rebus ſcilicet Eccleſiaſticis, utpote ſupra quas plenitudinem habet poteſtatis erga ſuos ſubditos.

Vtrum juramentum impediatur per aliquam conditionem perſonæ. ℟. *Affirmativè*, ita quod nec pueris, neque perſonis magnæ dignitatis conveniat jurare; ſed in pueris ex defectu ad dictum juramento confirmandum; & in aliis, quia confirmatione non egent. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm juramento debeatur maxima reverentia ex parte Dei, cujus ſcilicet teſtimonium inducitur, ideo jure excluduntur pueri ante annos pubertatis, ſeu perfectum rationis uſũ, quandoquidem ex retroactis præſumi poteſt quod juramento reverentiam non exhibebunt debitam: cúmque non adhibeatur, niſi in confirmationem eorum, de quorum fide dubitatur, ideò & dignitati derogat perſonæ jurantis, proindeque & ab eo meritò excluduntur Clerici, ſeu Sacerdodes, non quidem per modum defectus, ſicut pueri, & perjuri; ſed magis per modum abundantiæ, quatenus ſcilicet majoris ſunt authoritatis, quàm quod eos jurare deceat. Vnde nec juramentum Angeli inducitur, Apocal. 10. propter ipſius defectum, ſed ad oſtendendum, ex infallibili Dei diſpoſitione procedere illud quod dicitur; quo etiam modo Deus aliquando jurans inducitur, ad ejus ſcilicet oſtendendam immobilitatem. Cum quo tamen ſtat, quod etiam Sacerdotibus in aliqua neceſſitate, aut magna utilitate jurare liceat; & præcipuè pro ſpiritualibus negotiis, pro quibus etiam ſolennibus diebus licet jurare; eſto quod id non liceat pro temporalibus, niſi ex maxima neceſſitate.

ART. 10.

Hebr. 6.

IN QVÆSTIONEM XC.

De assumptione divini nominis per modum adjurationis.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum liceat adjurare. ℞. *Affirmativè*, & quidem sive ad seipsum adstringendum, sive ad alios; quanvis non pari necessitate ad alios, nisi inferiores sint, quâ ad seipsum. *Ratio utriusque partis est*, quia sicut homo potest seipsum ordinare ad aliquid agendum, ità etiam alios, superiores quidem deprecando, inferiores autem imperando. Vnde cùm utraque ordinatio per aliquid divinum confirmata sit adjuratio, adjurare namque non est aliquem in juramentum inducere, sed per quandam similitudinem juramenti à se inducti, putà per reverentiam divini nominis, vel rei alicujus sacræ alium ad aliquid agendum provocare; ideò & licita est adjuratio, & quidem respectu quorumlibet, si sit absque necessitatis impositione, juxta quod Apostolus obsecrare solet fideles per misericordiam Dei; vel etiam cum impositione necessitatis respectu sui ipsius, aut sibi subditorum; non tamen respectu aliorum, quo modo Princeps Sacerdotum præsumpsit Dominũ nostrum adjurare, cùm hoc sit usurpare potestatem in alium, quam non habet; unde & hunc adjurationis modũ damnat Origenes.

ART. 2. *Vtrum liceat dæmones adjurare.* ℞. *Affirmativè*, non quidem per modum deprecationis, vel inductionis, sed per modum compulsionis. *Primum est*, quia cùm dæmones in cursu hujus vitæ nobis adversarii constituantur, & eos adjurando repellere, hoc sit ab eorum societate recedere; ideò & possumus, non quidem propria potestate,

quia ut ait Aug. spiritus desertor solùm per spiritum justum regitur; sed per virtutem divini nominis eosdem adjurando, tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant corporaliter, vel spiritualiter, juxta illud: Ecce dedi vobis potestatem supra omnem virtutem inimici. *Secundum est*, quia cùm adjurare dæmones per modum deprecationis, vel inductionis ad aliquid, scilicet addiscendum, vel obtinendum, quo modo solent necromantici adjurare, id videatur ad aliquam cum ipsis societatem pertinere, qua quidem non licet uti, ideò nec licitum est hoc modo dæmones adjurare, sed hoc potiùs est Iudaïcum, ut ait Orig. cum quo tamen stat, quod speciali instinctu, aut revelatione divina possimus ad aliquos effectus uti operatione dæmonum, sicut legitur de B. Iacobo, quod per dæmones fecit Hermogenem ad se adduci.

In 2. de Trin. cap. 4.

Luc 10.

ART. 3.

Vtrum liceat irrationalem creaturam adjurare. ℞. *Affirmativè*, non quidem ut referatur adjuratio ad ipsam creaturam secundùm se, sed ad eum à quo irrationalis creatura agitur, & movetur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm creaturæ irrationales, quæ quidem non sunt dominæ sui actus, agantur & moveantur ab alio, sive ab intelligentia ad operandum; proindeque earum operationes non solùm ipsis, sed principaliter Deo tribuantur, necnon ex permissione divina etiam dæmonibus, qui movent creaturas ut hominibus noceant; ideò & possumus irrationalia adjurare, non quidem ad ipsa referendo adjurationem, utpote quam non intelligunt, sed referédo ad eum, à quo moventur, & quidem deprecativè,

si referatur ad Deum directè, quo modo adjurare solent, qui divina invocatione miracula faciunt; vel per modum compulsionis, si ad diabolum, quo quidem modo uti solet Ecclesia in exorcismis. Vnde & legitur, Simonem, & Iudam, hoc scilicet postremo modo dracones adjurasse.

IN QVÆSTIONEM XCI.

De assumptione divini nominis ad invocandum per orationem, vel laudem.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum Deus sit ore laudandus. ℞. *Affirmativè*, non tamen propter Deum, sive ipsius utilitatem, sed propter ipsum laudãtem. *Primum est*, tum quia excitatur & affectus noster in Deum per oris laudem, juxta illud, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quò ostendam illi salutare Dei; & etiam affectus aliorum, secundùm illud, Semper laus ejus in ore meo: audiant mansueti, & lætentur. Tum quia in quantum per divinam laudem ascendit affectus in Deum, in tantum ab his quæ sunt contra Deum per hoc retrahitur. *Secundum est*, quia etsi Deo debeatur laus, non quidem quantum ad essentiam, sub qua ratione est est ineffabilis, & major omni laude, nec ei debetur nisi reverentia & latriæ honos, juxta illud: Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum, &c. quod exponit Hieron. Tibi silet laus, ratione primi; & tibi reddetur votum, ratione secundi: sed debeatur quantum ad effectus, qui quidem in nostram ordinantur utilitatem, juxta illud, Et laudem Deo super omnibus quæ reddidit nobis Dominus; ideò nec propter semetipsum, sed propter nos est ore laudandus, sicut etiam nec ad Deum sermo-

(Psal. 49.) (Psal. 64.) (Isai. 63.)

ne utimur, ut ei aliquid manifestemus.

Vtrum in Divinis laudibus sint cantus assumendi. ℟. *Affirmativè*, non quidem more theatrico, sed propter devotionem excitandam. *Primum est*, quia cùm convenienter assumantur in divinas laudes quæcumque ad hoc utilia esse possunt, ut affectus hominis provocetur in Deum, ut suprà dictum est; & secundùm diversas melodias sonorum animi hominum diversimodè disponantur, ut Arist. & Boët. docent, necnon & Aug. qui se his commotum fuisse testatur: neque qui cantat propter devotionem, abstrahat propterea animum à consideratione eorum quæ cantat, sed magis ea consideret; auditores autem, licèt non intelligant quid cantatur, nihilominus sciant propter quid cantetur, quod sufficit ad devotionem excitandam: ideò & ad hunc finem excitandæ devotionis convenienter assumuntur cantus, unde & dicuntur cantica spiritualia, non solùm quæ interiùs canuntur spiritu, sed etiam quæ exteriùs ore cantantur, prout per ea spiritualis devotio provocatur. Cum quo tamen stat, quod quia nobilior est modus provocandi homines ad devotionem per doctrinam, & prædicationem, quod pertinet ad Diaconos, & Prælatos, quàm per cantus; ideò non debeant illi cantibus insistere, ne à majoribus retrahantur, ut ait Greg. *Secundum est*, quia cantatur more theatrico, quando scilicet fit ad ostentationem, aut ob delectationem provocandam, quod quidem reprehendit Hieron. necnon & Aug. qui ait: Cùm mihi accidit ut me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moveat, pœnaliter me

ART. 2.

Art. præc.

Lib. 4. Reg. cap. 88.

In 10. Conf.

peccare confiteor, & mallem non audire cantantem.

IN QVÆSTIONEM XCII.

De vitiis religioni oppositis: & primò de superstitione.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *superstitio sit vitium religioni contrarium.* ℞. *Affirmativè*, & quidem oppositione secundùm excessum, quanvis nō plus exhibeat in divinum cultum, quàm vera religio. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm religio sit virtus moralis, quæ in medio consistit, cui quidem opponitur aliquid vel secundùm defectum, vel secundùm excessum; & hoc non solùm secundùm circumstantiam, quæ dicitur *Quantum*, sed etiam secundùm alias; transcendit enim virtus non solùm secundùm multum & parvum, sed etiam cùm facit aliquid cui non debet, vel quando non debet; ideò & potest esse superstitio vitium religioni oppositum secundùm excessum, non quia plus exhibeat in cultu divino, quàm vera religio, sed quia exhibet cui non debet, vel eo modo, quo non debet; in quo quidem habetur excessus non secundùm quantitatem absolutam, in qua non potest religio excedere; sed secundùm quantitatem proportionis, prout scilicet in cultu divino fit aliquid, quod fieri non debet. Vnde non nisi metaphoricè dicitur superstitio esse religio, sicut prudentia in Scriptura quandoque ponitur pro suo contrario, seu pro astutia; neque propterea desinit opponi virtuti religionis, etsi nomen superstitionis ab illis dicatur, qui tota die etiam religiosè deprecabantur, ut eorum liberi fierent superstites, utpote cùm non oporteat, ut idem nunc

In Glos. ad Coloss. 2. Luc. 16.

nunc significet, quia aliud est etymologia nominis, sive à quo imponitur, & aliud ad quod significandum imponitur.

Vtrum sint diversæ superstitionis species. ℞. *Affirmativè*, & quidem primò ex parte objecti, tum etiam propter diversos fines. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm possit divinus cultus exhiberi vel cui exhibendus est, scilicet Deo vero, modo tamen indebito, in quo consistit simulata religio; vel ei cui non debet exhiberi, nempe cuicumque creaturæ; ideò & primò diversificatur superstitionis genus ex parte objecti, sicut & alii morales actus; cúmque diversi sint fines divini cultus, putà vel ad reverentiam Deo exhibendam, vel ad hoc quod instruatur homo à Deo quem colit, vel ad quandam directionem humanorum actuum secundùm instituta Dei qui colitur; ideo & secundùm varios illos fines in varias dividitur species secundùm superstitionis genus, quod scilicet exhibet creaturæ: primò quidem in idololatriam, quæ ad hoc ordinatur, ut divinam reverentiam exhibeat creaturæ: tùm in superstitionem divinativam, quæ dæmones consulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expressa: tum denique superstitio observationum, quæ quidem observationes & divinationes, in quantum ex aliquibus pendent operationibus dæmonum, dicuntur pertinere ad superstitionem; unde est quidem religio una: cum hoc tamen stat, quod plures adhuc sint superstitionis species, cùm uni virtuti plura opponantur vitia, nec locum habeat dictum illud Aristotelis, *Si unum oppositerum dicitur multipliciter, etiam &* ART. 2.

aliud, nisi in oppositis, in quibus est eadem multiplicationis ratio.

IN QVÆSTIONEM XCIII.

De speciebus superstitionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum. ℟. *Affirmativè*, & quidem tum ex parte rei significatæ, quando ab ea discordat significatio cultus; tum etiam ex parte colentis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm mendacium sit maximè perniciosum in his quæ spectant ad divinam religionem, ex August. & mendacium sit quando facto, in quo cultus religionis ponitur, aliquid significatur, quod veritati religionis contrariatur; ideò cùm hoc contingat dupliciter: primò ex parte rei significatæ, à qua scilicet discordat significatio cultus, qua ratione peractis jam Christi mysteriis mendacium esset, & consequenter perniciosum uti ceremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria præfigurabantur futura, ut dicit August. tum etiam ex parte colentis, & præcipuè in cultu communi, qui per Ministros in persona totius Ecclesiæ exhibetur; quo modo mendacium est si aliquis ex parte Ecclesiæ cultum Deo exhibeat contra modum divina authoritate ab Ecclesia constitutum, & in ea consuetum, ut ait Ambros. propterea fit quod in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum, nec pertineat tunc cultus ad Dei invocationem, quæ salvat, utpote cùm Deus sit veritas, & hujusmodi cultus contineat falsitatem. Vnde nec qualitercumque eis placebat, colebant justi ante tempus legis, sed de modo Deum colendi instruebantur per interiorem instinctum; sicut & nunc de

Lib. 1. de mend. cap. 14.

Epist. ad Hieron.

In 1. ad Cor. 11.

hoc extant præcepta, quæ quidem præterire illicitum est. Cum quo tamen stat, quod adhuc licitè sustineat Ecclesia diversas in cultu divino consuetudines, utpote quæ in nullo veritati repugnant.

Vtrum in cultu Dei possit esse aliquid superfluum. ℞. *Affirmativè*, non quidem secundùm quantitatem absolutam, sed secundùm quãtitatem proportionis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm id omne reputandum sit superfluum, quod in exterioribus solùm consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet, ut ait August. juxta illud Christi, Regnum Dei intra vos est; & hujusmodi sit quid quid ad finẽ gloriæ Dei non pertinet, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, & caro dometur moderatè; vel si est contra Dei, atque Ecclesiæ institutionem, seu communem consuetudinem, quæ pro lege habetur: ideò licèt in his quæ pertinent ad Dei gloriam, non detur superfluum, juxta illud, Glorificantes Deum quantum poteritis; sicut nec in his, quæ pertinent ad fidem, spem, & charitatem, utpote quibus Deum interiori cultu colimus; bene tamen in exterioribus actibus, non quidem secundùm quantitatem absolutam, cùm nihil possit homo facere, quod non sit minus eo, quod Deo debet, qui omnia bona sua à Deo accepit; sed secundùm quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini cultus proportionatum.

ART. 2.

In lib. de vera Relig. c. 3.

Eccl. 43.

IN QVÆSTIONEM XCIV.

De altera superstitionis specie, scilicet de idololatria.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum idololatria rectè ponatur species superstitionis. ℞. *Affirmativè*, si tamen

sumatur latria, non prout significat humanum actum ad Dei cultum pertinentem, sed prout est idem religioni. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm excedere debitum modum divini cultus pertineat ad superstitionem, & hoc maximè fiat per idololatriam, utpote quâ exhibetur divinus cultus cui non debetur, scilicet creaturæ; & quidē sive exhibeatur imaginibus, ut olim fieri solebat ab aliquibus, qui contra Apostoli dictum dicentis, idolum nihil esse in mundo, seu nullam habere virtutem spiritus & divinitatis, imagines adorabant, eo quòd habebant effectus quosdam virtute dæmonum; sive exhibeatur cum aliis, non imaginibus, sed creaturis, quas repræsentabant; & hoc vel quia existimarunt aliquos homines, Iovem, Mercurium, &c. Deos esse; vel totum mundum esse unum Deum, propter animam quam in eo colebant, tanquam motu & ratione omnia gubernantem; vel cum Platonicis ponentes unum summum Deum, deinde substantias quasdam spirituales ab eo creatas, quas Deos participativè appellabant, sub quibus ponebant animas cœlestium corporum; deinde dæmones, quos animalia aërea vocabant; & sub his animas hominum, quas per virtutis meritum ad supradictorum societatem assumi credebant, hæc omnia colentes divino cultu: consequenter fit, quod quoquo modo fiat idololatria, cujus quidem nomen est impositum ad significandum quemcunque cultū creaturæ, etiamsi sine imaginibus fieret, quòd species sit non infidelitatis, quandoquidem religio cui adversatur, non est fides, sed quædam fidei protestatio per exteriora

figna, fed fpecies fuperftitionis; fi tamen accipiatur latria, non ut fignificat humanum actum ad Dei cultum pertinentem, cùm fic univocè dicatur & fecundùm quod pertinet ad veram religionem, & fecundùm quod pertinet ad idololatriam; fed prout eft idem religioni, quæ virtus eft exhibens cultum cui debet exhiberi, fub qua quidem ratione non nifi æquivocè dicitur latria de latria veræ religionis, & de idololatria.

Vtrum idololatria fit peccatum. ℞. *Affirmativè*, ita quod aliis à sũmo Deo offerre facrificium, & alia ad latriam pertinentia, nec debitum fit, & per fe bonum, nec licitum, tanquam vulgari confuetudini confonum. *Primum eft*, quia etfi fuperiores revereri debeamus; quia tamen non eadem reverentia debetur omnibus, fed aliquid debetur fpeciale fummo Deo, qui fingulari ratione omnes excellit, quod quidem fpeciale vocamus latriæ cultum; ideò non nifi erroneè olim afferuere quidam, debitum effe & per fe bonum offerre aliis à Deo pertinentia ad cultum latriæ. Vnde nec in Ecclefia imagines inftituuntur, ut eis exhibeatur cultus latriæ, fed ad quandam fignificationem, ut fcilicet per eas mentibus hominum imprimatur, & confirmetur fides de excellentia Angelorum & Sãctorum; fecus tamen de Chrifti Domini imagine, cui quidẽ ratione divinitatis debetur latria. *Secundum eft*, quia fi fic liceret tanquam confuetudini confonum offerre aliis à Deo latriæ cultum, ut exiftimavit Seneca, ei confequẽter liceret, qui effet perfequutionis tempore deprehenfus, idola colere, modò fidem in mente fervaret, ut erroneè putarunt qui- ART. 2.

dam hæretici: quod tamen falsum,& erroneum est; quandoquidem sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium ejus,quod per veram fidem tenet in corde:ita & perniciosa falsitas,si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra
Lib. 6. de civ. c. 10. id quod sentit in mente. Vnde & ait Aug. contra Senecam, quod eo damnabiliùs idola colebat, quo illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.

ART. 3. *Vtrum idololatria sit gravissimum peccatorum.* ℞. *Affirmativè*, si tamen subintelligatur ex parte ipsius peccati, non autem semper ex parte peccantis. *Primum est*,quia cùm idololatra quantum est in se constituat ex ratione sui peccati alium Deum,minuens principatum divinum,in quoquidem includitur & magna blasphemia, per hoc quod Deo subtrahitur dominii singularitas; tum præsuppositivè & interior infidelitas,cui tunc additur indebitus cultus; vel si sit tantùm infidelitas exterior, additur culpa falsitatis: consequenter fit gravissimum esse quod quis divinum honorem ita impendat creaturæ, sicut & in communitate gravissimum esset aliis regium honorem impendere. Vnde & minus est peccatum
Rom. 8. cõtra naturam,quàm idololatria,esto quod quia est manifestius, ponatur in Scriptura quasi conveniens pœna peccati idololatriæ, ut sicuti per idololatriam homo pervertit ordinem honoris divini, ita per hoc peccatum patiatur confusibilem propriæ naturæ perversitatem. Neque observatio veteris legis tempore gratiæ æqualis est idololatriæ secundùm genus peccati,sed in

hoc ſolùm, quod utrumque eſt peſtiferæ ſuperſtitionis ſpecies. *Secundum eſt*, quia conſideratâ peccati enormitate ex parte peccantis, ſic peccatum hæretici ſcienter fidem corrumpentis gravius eſt quàm peccatum ejus, qui ignoranter idololatrat, ſicut & poſſunt alia peccata ratione majoris contemptus eſſe majora.

Vtrum cauſa idololatriæ fuerit ex parte hominis. ℟. *Affirmativè*, loquendo ſcilicet de cauſa non conſummativa idololatriæ, ſed diſpoſitiva. *Primum eſt*, tum quia diſpoſuit ad idololatriam inordinatio affectus, prout aliqui nimium alios amantes divinũ eis honorem impederunt, ut ex Sapiente colligitur: tum quia ex eo quod homo naturaliter repræſentatione delectetur, ut ait Ariſt. ideò videntes à principio per diligentiam artificum imagines hominum expreſſivè factas, eos divino cultu coluerunt, ut ait Sapiens: tum denique, quia ad hoc diſpoſitivè duxit & ignorantia veri Dei, & pulchritudo creaturarum, ut idem Sapiens docet. Vnde fuit cauſa idololatriæ diſpoſitiva ex parte hominis naturæ defectus, vel per ignorantiam intellectus, vel per inordinationem affectus, quod etiam ad culpã pertinet. Neque dicitur idololatria eſſe cauſa, initium, & finis omnis peccati, niſi quia non eſt aliquod peccati genus, quod interdũ idololatria non cauſet aliquo modo; quanvis ab aliis, ut dictum eſt, præcedi debeat ad eam diſponentibus. Cum quo tamen ſtat, non fuiſſe in prima ætate idololatriam, propter ſcilicet recentem memoriam creationis mundi; ſed neque in tertia, utpote in qua excluſa eſt per virtutem &

ART. 4.

Sap. 14.

In poëtica ſua, cap. 2.

Sap. 13.

doctrinam Christi, qui de diabolo triumphavit. *Secundum est*, quia causa idololatriæ consummativa fuit ex parte dæmonũ, dum scilicet se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis responsa dando, & aliqua quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo. Vnde & in psal. dicitur: Omnes dii gentium dæmonia.

IN QVÆSTIONEM XCV.

De superstitione divinativa.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum divinatio sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, non quòd peccatum sit ordinatè participare aliquod divinum; sed quia non nisi ab indebita divinorum usurpatione dicitur divinatio. *Primum est*, quia cùm divinationis nomine intelligatur prænuntiatio futurorum, non quorumcunque, cùm artes ad præcognoscendos futuros eventus, qui ex necessitate, vel frequenter, & ut in pluribus eveniunt à suis causis, ut sunt eclipses, aut siccitates, pluviæ, morbi, &c. non pertineant ad divinationem; sed futurorum effectuum, qui non in suis causis, utpote ad eos indeterminatis, sed in seipsis cognoscuntur ab hominibus quidem, ut sunt actu præsentes, à Deo autem antequam fiant, quatenus scilicet in sua æternitate futura videt quasi præsentia; ideò cùm hujusmodi ex divina revelatione prædicere non sit divinatio, quandoquidem qui sic prædicit, non ipse est qui quod divinum est facit, sed potiùs quod divinum est suscipit; consequenter fit, quod tunc solùm dicantur aliqui divinare quando indebito modo per vanas & fallaces artes ex deceptione dæmonum introductas prænunciationem fu-

Isai. cap. 41. turorum, quæ ex Scriptura Dei propria est,

sibi usurpant, proindeque & quod semper peccaminosa sit divinatio, & semper in malam partem accipiatur, ut ait Hier. propter quod & in Scriptura, & in Decretis interdicitur; neque sit inclinatio naturalis in homine ad futura, nisi secundùm humanum modum, non autem secundùm indebitam divinationis rationem. *Secundum est*, quia ea quæ divina sunt, & consequenter ordinata divinorum participatio, magis ad sanctitatem pertinent, quàm ad peccatum.

Vtrum divinatio sit species superstitionis. ART. 2.
℞. *Affirmativè*, non quidem quantum ad finem in divinatione intentum, sed quantum ad operationis modum. *Primum est*, quia cùm ad superstitionem, quæ importat indebitum divinitatis cultum, non solùm pertineat, quod sacrificium dæmonibus offeratur per idololatriam, sed etiã quod aliquis assumat in modo operandi auxilium dæmonum ad aliquid faciendum vel cognoscendum, quod quidem pertinet ad quendam cultum, atque societatem dæmonum; ideò cùm omnis divinatio ex operatione dæmonum proveniat, vel quia ad hoc expressè invocantur, vel quia se tunc ingerunt, ut mentes hominum implicent vanitate, qualis est inquisitio futurorum, unde prænosci non possunt, de qua quidem dicitur in Scriptura, Non respexit in vanitates, & insanias falsas; propterea fit quod divinatio ex modo operandi sit species superstitionis. Vnde & est in vera religione aliquid per contrarium divinationi respondens, quatenus & in veteri lege erant consultationes de futuris ad religionem pertinentibus, utpote quæ promittebat terrena; & in nova fuere à Psal. 39. Isai. 8.

principio, qui futura prædicerent. *Secundum est*, quia quantum ad finem in divinatione intentum, qui quidem est præcognitio futurorum, potiùs pertinet ad curiositatẽ, quæ est alterius generis à superstitione.

ART. 3. *Vtrum sit determinare plures divinationis species.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit in omnibus una generalis ratio peccandi, sed quia reperitur unde multiplicetur, & distinguatur specialis. *Primum est*, quia cùm triplex sit divinationis genus, & quidẽ taliter, quod in iis diversificentur objecta, sive materiæ, utpote cùm primum sit per manifestam dæmonum invocationem, quod pertinet ad negromanticos, & fit vel præstigiosis quibusdam apparitionibus dæmonum aspectui, & auditui hominum, & vocatur præstigium, quia oculi præstringuntur; vel per somnia, & vocatur divinatio somniorum; vel per mortuorum apparitiònem, aut loquutionem, & vocatur necromãtia; vel per homines vivos, ut patet in arreptitiis, & vocatur divinatio per Pythones; vel per aliquas figuras, vel signa, quæ in rebus inanimatis apparent, & tunc si in corpore terrestri, vocatur geomãtia; si in aqua, hydromantia; si in aëre, aëromantia; si in igne, pyromantia; & aruspicium, si in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum: secundum autem divinationis genus fit per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures; & quidem ad astrologos, si præcognoscantur futura ex consideratione motus & situs syderum; ad augurium, si per motus & voces avium, vel aliorum animalium, ac etiam hominum; ad omen, si per

verba hominis absque intentione dicta; ad spatulamātiam, si ex signis in spatula alicujus animalis; & ad chiromantiā, si ex lineamentis manus, aut per dispositiones figurarū in aliquibus corporibus: tertiā denique divinationis genus fit quando aliquid facimus seriò, ut nobis aliquid manifestetur occultum, sine expressa dæmonis invocatione, quod quidem pertinet ad sortes; & hoc vel per protractionem punctorum, & pertinet ad geomantiam; vel per considerationem figurarum, quæ ex plumbo provenit liquefacto, & in aquam projecto; vel ex festucis inæqualibus propositis, dū scilicet consideratur quis majorem vel minorem accipiat; vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat, & aliis similibus modis, quæ omnia sortium nomen habent: cùm, inquam, in hoc triplici divinationis genere objecta, seu materiæ diversæ sint, ex quo quidem specierum distinctio; ideò & oportet ponere plures divinationis species, maximè cùm res illæ quas attendunt divinantes, non considerentur ab eis ut signa, sed magis ut principia cognoscendi, ex quorum diversitate desumitur & specierum diversitas. *Secundum est*, tum quia cognitio futurorum vel occultorum est ubique finis ultimus, unde sumitur generalis ratio divinationis: tum quia in omni divinatione utitur aliquis dæmonum pacto, magis tamen, vel minùs culpabiliter; cùm multò gravius sit dæmones invocare, quàm aliqua facere, quibus dignum sit ut se dæmones ingerant.

Vtrum omnis divinatio per invocationes dæmonum sit illicita. ℞. *Affirmativè*, & qui- ART. 4.

dem tum ex parte principii divinationis, tum etiam ex parte finis, seu futuri eventus. *Ratio utriusque partis est*, quia ex parte principii est pactum expresse cum dæmone initum per ipsam dæmonis invocationem, quod quidem est omninò illicitum, esto quod aliquando liceat aliquid inquirere à dæmone sponte occurrente, propter scilicet aliorum utilitatem, maximè quando potest divina virtute compelli ad vera
Marc. 5. dicenda, ut narrat Scriptura de Christo dæmonem interrogante; sed est similiter illicitum ex parte finis, seu futuri eventus, utpote cùm hinc intendat dæmon perditionem hominum, etiamsi aliquando vera dicat, utpote qui intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur, & sic locum habere perducendi in aliquid saluti nocivum. Vnde quod Pythonissæ operâ apparuerit Samuel, & futurum bellum indixerit, possumus credere cum Aug. non arte magica, sed dispensatione quadam occulta hoc factum fuisse; nec enim etiam ob temporalem aliquam utilitatem licet ad hujusmodi invocationes confugere, cùm nulla talis utilitas comparari possit detrimento spirituali salutis, quod imminet, ut dictum est, ex inquisitione occultorum per dæmonum invocationem.

ART. 5. *Vtrum divinatio, quæ fit per astra, sit illicita.* ℟. *Affirmativè*, si scilicet velimus ex iis præcognoscere non futura, quæ cœlestibus causãtur corporibus, sed vel casuales & fortuitos eventus, vel futura hominum opera. *Primum est*, quia cùm illicitum, & superstitiosum sit velle ex stellarum consideratione ea futura præcognoscere, quæ

per ea præcognosci non possunt, utpote quod procedit ex vana & falsa opinione, cui propterea se immiscet operatio dæmonis, unde redditur illicita & superstitiosa; consequenter fit, quod cùm casuales & fortuiti eventus, vel futura hominum opera ex hujusmodi astrorum consideratione præcognosci non possint, ad modum scilicet effectus, quo solummodò possent ex iis præcognosci, utpote cùm ens casuale, & per accidens ex una parte non habeat causam naturalem, ex Arist. eo quòd nec sit ens propriè, neque unum, & operatio naturæ semper terminetur ad unum quid; & ex altera, seu quantum ad futura opera liberi arbitrii intellectus nec sit actus, nec actus organi corporei, neque consequenter voluntas, & nullum corpus possit imprimere in rem incorpoream, nisi fortè dispositivè inclinando per impressionem in vires sensitivas, contra quam tamen inclinationem potest homo per rationem operari; ideò & illicita est, & superstitiosa divinatio, quæ fit per astra, si velimus præfata opera, & casualia ex iis præcognoscere: unde pronuntiant quidé Astrologi in multis vera, & præcipuè in communibus eventibus, qui dependent ex multitudine; sed hoc ideò, quia plures hominum passiones corporales sequuntur, & ideò actus eorum disponuntur utplurimùm secundùm inclinationem cœlestium corporum; sed insuper etiam propter dæmones se immiscentes, ut Aug. scribit: unde etiam concludit, quod bono Christiano, sive Mathematici, sive quilibet impiè divinantium, & maximè dicentes vera, cavendi sunt, ne con-

In 6. Met. text. 4.

Lib. 2. super Gen. ad litt. cap. 17.

ſortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam ſocietatis irretiant. *Secundum eſt*, quia quæ ex cœleſtibus cauſantur corporibus,putà ſiccitates,pluviæ,eclipſes, & alia hujuſuodi, cùm ex neceſſitate eveniant, ſicque naturaliter præcognoſci poſſint,ideò nec erit circa ea illicita, & ſuperſtitioſa divinatio.

Art.6. *Vtrum divinatio, quæ fit per ſomnia, ſit illicita.* R. *Affirmativè*, ſi nimirum utamur ſomniis non quidem ſecundùm quod procedunt ex revelatione divina, vel ex cauſa naturali intrinſeca, ſive extrinſeca, quantum poteſt ſe virtus talis cauſæ extendere; ſed ſecundùm quod ibi intervenit revelatio dæmonum per pacta expreſſa, aut tacita. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm divinatio,quæ falſæ innititur opinioni,ſit ſuperſtitioſa & illicita, ut dictum eſt; & talis ſit quæ fit ex ſomniis,mediâ revelatione dæmonum, vel per pacta expreſſa, ut accidit cùm invocantur;vel tacita,cùm divinatio ſe extendit ad quod non poteſt ſe extendere; non autem ſecundùm quod procedunt ſomnia ex revelatione divina, vel ex cauſa naturali intrinſeca,vel extrinſeca, quantum ſcilicet poteſt ſe virtus talis cauſæ extendere; conſequenter fit, quod ubi ſic intervenit revelatio dæmonum, ſit illicita divinatio,juxta illud Scripturæ,Nõ inveniatur in te qui obſervet ſomnia; non autem quando intervenit divina revelatio, vel quando,ut pluries accidit, ſunt ſomnia ſigna futurorum, eo quòd reducantur in cauſam quæ communis eſt ſomniis, & futuris eventibus. Pro quo notandum eſt, quod cauſa ſomniorum eſt duplex,interior

(Margin: Art. 2. & 5. — Deut. 18.)

scilicet,& exterior: interior autem similiter duplex; altera animalis,prout phantasiæ dormientis occurrunt ea,circa quæ ejus cogitatio & affectus tempore vigiliæ erant intenta,quæ quidem causa somniorum non est futurorum eventuum causa,adeò ut per accidens se habeant hujusmodi somnia ad futuros eventus; altera verò causa est corporalis, quatenus scilicet ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia tali conveniens dispositioni, quo modo frigido videtur frequenter in somniis esse in qua, &c. & hæc observant Medici ad cognitionem complexionis. Similiter exterior somniorum causa est duplex; altera corporalis, ut cùm phantasia dormientis immutatur ab aëre,vel impressione corporum cœlestium, unde consequenter apparent phantasiæ cœlesti dispositioni conformes; altera verò spiritualis, quæ quidem quandoque est à Deo aliquid per Angelum dormienti revelante, ut constat ex Scriptura; quandoque autem ex operatione diaboli. Iob 33. Gen. 40. & 41. Dan. 2. & 4.

Vtrum divinatio, quæ fit per auguria, & omina, & alias hujusmodi observationes exteriorum rerum, sit illicita. ℞. *Affirmativè*, non quòd omnis hujusmodi divinatio illicita sit, sed ita quod sit illicita quoties ultra illud extenditur,ad quod potest secundùm ordinem naturæ,vel divinæ providentiæ pertingere. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ex augurio, seu motu & garritu avium, & aliis hujusmodi observationibus non possint futura cognosci,nisi ut sunt effectus aliquarum causarum, quæ sint causantes, vel præcognoscentes futuros effe- ART. 7.

ctus; causa autem motuum & operationum brutorum sit instinctus naturalis, qui quidem causatur uno modo ex causa corporali, & sic principaliter à corpore cœlesti; alio modo ex causa spirituali, & tunc vel à Deo, ut patet in colũba descendente super Christum, & in corvo qui pavit Eliam; vel ex dæmonibus, qui utuntur hujusmodi animalium operationibus ad homines decipiendos; ideò nihil quidem prohibet aliquas eorum operationes esse futurorum signa, ex quibus propterea divinare licet, ut scilicet conformantur dispositionibus cœlestium corporum, & aëris continentis, qualia sunt ea quæ causari possunt per corpora cœlestia, & quæ ad talia animalia possunt pertinere, & ad eorum vitam sunt necessaria, ut immutationes per pluvias, &c. juxta quod dicitur in Scriptura, quod milvus cognovit tempus suum: & insuper, quod per divinam providentiam possint ordinari ad aliquid significandum, quomodo Gedeon observavit recitationem & expositionem somnii, accipiens ea pro omine, quasi ordinata à divina providentia ad sui instructionem; ita tamen quod omnis alia divinatio per hujusmodi observationes, quæ ultra illud extenditur, ad quod potest secundùm ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ pertingere, superstitiosa sit, illicita, & secundùm dæmonum operationem, jux-
Deut. 18. ta illud: Non invenietur in te, qui obser-
Gen. 44. vet auguria. Unde quod dixit Ioseph, quod non esset ei similis in scientia augurandi, non seriò, sed joco id dixit, ex Aug. hoc fortè ad illud referens, quod vulgus de eo opinabatur.

Vtrum divinatio sortium sit illicita. ℟. *Affirmativè*, si nimirum sortialium hujusmodi actuum expectetur eventus ex stellarum dispositione, vel etiam ex fortuna, aut dæmone; esto quod secundùm se malum non sit, si à Deo expectetur eventus. *Primum est*, quia cùm sortes propriè dicantur, quãdo aliquid fit, ut ex ejus eventu aliquid innotescat occultum, & quidem sive sit sors divisoria, quâ quæritur quid cuique sit adhibendum; sive consultoria, quâ quæritur quid agere oporteat; sive divinatoria, quâ investigatur quid sit futurum: ideò cùm actus humani qui ad sortem requiruntur, non subdantur dispositioni stellarum, sicut nec eorum eventus; & similiter vitium sit vanitatis eventum expectare ex fortuna, consequenter fit, quod uti sortibus ea intentione, quasi actus humani sortiales sortiantur secundùm dispositionem stellarum, aut secundùm fortunam effectum, vana sit & falsa opinio, & per cõsequens quod non careat dæmonum ingestione: ex quo quidem fit, quod talis divinatio sit superstitiosa, & illicita, quanvis in temporaneis ubi abundaret aliquid, quod non habenti dandum esset, nec tamen duobus dari posset, nihil justius tunc faceres, ait Aug. quàm ut sorte eligeres cui duorum dari deberet. *Secundum est*, quia ut dicit glossa Aug. super illud, In manibus tuis sortes meæ; sors, in qua scilicet expectatur eventus à Deo, non est aliquid mali, nimirum quantum est ex se, sed res in humana dubitatione divinam indicans voluntatem: cum quo tamen stat, quod adhuc esse possit peccatum. 1. si fiat sine necessitate, quia videtur tunc ad

Art. 8.

In Ps. 30.

Dei tentationem pertinere. 2. si in necessitate absque reverentia Dei, ut ait Beda. 3. si divina oracula ad terrena negotia convertantur, ex Aug. 4. si in electionibus Ecclesiasticis, quæ Spiritus sancti inspiratione fieri debent, aliquis sortibus utatur. Vnde Beda: Mathias sorte quæritur, quia nondum in Ecclesia plenitudo Spiritus sancti erat effusa. Ad quæ quidem quatuot addi potest & illicitum esse judicium ferri candentis, & aquæ ferventis, & similiter duellorum, quod scilicet ordinatur ad alicujus peccati manifestationem per aliquid quod ab homine fit, in quo quidem communem habet rationem sortium: tum quia non est divina authoritate sancitum: tum quia ordinatur ad indicandum occulta, quæ divino judicio reservantur; spontanea namque confessione, vel testium approbatione delicta quidem publica concessa sunt nostro regimini judicari; at occulta & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.

Super actus Apost. cap. 1.

IN QVÆSTIONEM XCVI.

De superstitionibus observantiarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uti observantiis artis notoria sit illicitum. ℞. *Affirmativè*, ita quod ars notoria sit penitus fugienda Christiano, sicut & aliæ artes superstitionis noxiæ; sed insuper & quia inefficax est ad scientiam acquirendam. *Primum est*, quia cùm utatur ars illa rebus quibusdam ad scientiam cōparandam, quæ vim non habent causandi scientiam, inspectione scilicet quarundam figurarum, & prolatione verborum ignotorum; ideò fit, quod his utatur, non ut causis, sed ut signis, quæ quidem cùm non sint

divinitus instituta, ut sunt sacramentalia, sequitur quod sint supervacua signa pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus placita & fœderata, proindeque quod tali indebito modo scientiam acquirere non est bonum, sicut nec à dæmonibus futura exquirere, propter scilicet societatem cum eis initam, esto quod aliunde scientiam acquirere bonum sit. Neque pueri apud Danielem abstinebant secundùm vanam observantiam artis notoriæ, sed secundùm authoritatem legis divinæ, nolentes coinquinari cibis gentilium; unde & consequuti sunt scientiam à Deo. *Secundum est*, quia cùm per hujusmodi artem non intendatur acquisitio scientiæ per modum homini connaturalem, scilicet adinveniendo, vel addiscendo; & aliunde frustra expectetur à Deo, quandoquidem scientia, quæ à Deo infunditur, est donum quod non datur cum certa observatione, sed secundùm arbitrium Spiritus sancti, ex Scriptura; & similiter frustra à dæmone, utpote cùm acquisitio scientiæ fiat per illuminationem intellectus, quod quidem non spectat ad dæmones, ut etiam probat August. ex Porphyrio, esto quod possint dæmones hominibus verbis colloquentes aliqua exprimere scientiarum documenta, sed hoc non quærit ars notoria, propterea fit, quod etiam inefficax sit ars notoria. Cap. 1. 1. Cor. 12.

Vtrum observationes ad corporum immutationem ordinatæ, putà ad sanitatem, vel ad aliquid hujusmodi, sint illicitæ. ℟. *Affirmativè*, si nimirum in his adhibeantur, non quidem res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem ART. 2.

habere virtutem; sed vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcunque variæ observationes. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm liceat causas naturales adhibere ad proprios effectus, ideò & ubi hujusmodi observationes videntur posse naturaliter illos effectus producere, pro quibus adhibentur, erunt licitæ; sed quia ubi adhibentur characteres, nomina & alia hujusmodi vana, non adhibentur tanquam causæ virtutem habentes naturalē ad agendum, utpote cùm virtutes naturales corporum naturalium consequantur eorum formas, quas sortiuntur ex impressione cœlestium corporum, ex quorum quidem impressione sortiuntur quasdam virtutes activas; at non sic artificiata, utpote quorum formæ procedunt ex conceptione artificis, quæ proinde habere non possunt naturalem virtutem ad agendum, propterea fit quod adhibeantur hujusmodi tanquam signa, & sic pertineant ad pacta significationū cum
21. de civ. c. 8. dæmonibus inita, ut ait Aug. seu quibus se dæmones ingerant, quod superstitiosum est, atque illicitum; & quidem etiamsi virtus dæmonum sit à Deo, cùm homini non sit potestas super dæmones commissa, ut eis licitè possit uti ad quodcumque voluerit; sed potiùs sit ei contra dæmones bellum indictum.

ART. 3. *Utrum observationes, quæ ordinantur ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia, sint illicita.* ℞. *Affirmativè*, non quòd illicitum sit, si quis præsagium futurorum eventuum observet ex sua causa, sed quia hujusmodi observationes attendat, non ut causas, sed ut signa futurorum even-

tuum. *Primum est*, quia ubi attenduntur ut signa futurorum eventuum bonorum, vel malorum, cùm non sint à Deo tradita, utpote cùm non sint divinitùs introducta, nec omnia quæ aguntur per divinam providentiam, sic ordinentur ut sint futurorum signa, attenduntur per consequens ex vanitate humana, & consequenter cooperante, atque se ingerente dæmonum malitia, quæ nititur animos hominum hujusmodi vanitatibus implicare, unde & superstitiosa sunt, atque illicita; & quidem quanvis experientiâ appareat aliqua tempora, vel loca, vel verba audita, occursus hominum, &c. esse præsagia boni, vel mali fortunii, utpote quod in principio accidit casu, posteà operatione dæmonum. Cum quo tamen stat, quod quia in populo Iudæorum, in quo Christus erat nasciturus, non solùm dicta, sed etiam facta fuerunt prophetica, ideò & possimus illa assumere ad nostram instructionem, tanquam signa divinitùs data. *Secundum est*, quia cùm infirmitatum causæ præcedant in nobis, ex quibus aliqua procedunt signa futurorum morborum, quæ licitè à medicis observantur; ideò & si quis præsagium futurorum eventuum consideret ex sua causa, non erit illicitum.

Vtrum suspendere divina verba ad collum sit illicitum. ℞. *Affirmativè*, si nimirum habeatur respectus, non quidem solùm ad verba sacra, seu Dei reverentiam, à qua expectetur effectus; sed ad aliud quid vanè observatum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm divina verba non minoris sint efficaciæ cùm scribuntur, quàm cùm proferuntur; nec minoris sanctitatis quàm reliquiæ San- ART. 4.

ctorum, nec minùs operativæ in corporibus hominum, quàm serpentum & aliorum animalium; ideò sicut licitum est divina proferre verba, iisque uti in incantationibus
Marc. ult. serpentum, ex Scriptura, necnon reliquias Sanctorum qualitercumque portare ad sui protectionem, si nimirum in iis respectus habeatur, non ad aliquid vanè observatum, quod non pertineat ad reverentiam Dei, & Sanctorum, in quo casu superstitiosum esset, atque illicitum; sed ad ipsam Dei reverentiam, virtutem, atque fiduciam; idem consequenter dicendum videtur de suspensione divinorum verborum ad collum. Unde & duo in hujusmodi cavenda sunt. Primum ne contineant aliquid ad invocationem dæmonum pertinens; tum ne sub ignotis verbis aliquid lateat illicitum, & ne quid falsitatis contineant, utpote quia tunc à Deo non expectaretur effectus, cùm non sit Deus testis falsitatis. Alterum verò ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana, ut aliqui characteres præter signum crucis; & ne spes habeatur in modo scribendi, vel ligandi, aut in aliqua simili vani-
26. qu.5. c. Non liceat. tate, quæ ad Dei reverentiam non pertinet, ut dicitur in Decretis.

IN QVÆSTIONEM XCVII.

De tentatione Dei.

ARTICVLVS PRIMVS. **V***Trum Dei tentatio consistat in aliquibus factis, in quibus solius divina potestatis expectatur effectus.* ℞. *Affirmativè*; si tamen illa fiant sine ratione, non autem propter aliquam necessitatem, vel utilitatem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm tentare propriè sit experimentum sumere de eo qui tentatur, vel verbis, ut experiamur an sciat

quod quærimus, aut possit, & velit implere; vel factis, ut exploremus alterius prudentiam, vel voluntatem, aut potestatem, quo quidem modo etiam homo factis tentatur, an scilicet sciat, vel velit auxilium, vel impedimentum præstare : & quidem utrumque vel apertè, ut Samson qui proposuit Philistæis problema ad eos tentandum; vel insidiosè, quo modo Pharisæi tentarunt Christum : consequenter quod dicatur homo Deum tentare, quandoque expressè per verba, quando ea intentione aliquid ab eo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem; sed etiam quandoque factis, & quidem expressè, quando per ea quæ facit, intendit experimentum sumere divinæ potestatis, sive pietatis, aut scientiæ; vel solùm interpretativè, quando aliquid petit, vel facit, quod ad nihil est utile, nisi ad explorandam Dei scientiam, aut potestatem : si tamen talia faciat, non propter aliquam necessitatem, vel utilitatem, unde nec Sancti suis precibus miracula facientes propterea Deum tentant petentes divinæ potestatis effectum, utpote ad id moti ex aliqua utilitate, vel ex divina benevolentia, quam sensibiliter experti sunt, ut B. Agatha, quæ propterea noluit corpori suo medicinam adhibere; nec etiam Prædicatores, si soli Deo innitantur, quandoquidem ex magna necessitate & utilitate subsidia temporalia prætermittunt, ut verbo Dei vacent; sed faciat sine alia ratione, quæ moveat, sicut & si quis equum currere faciat absque utilitate aliqua, ex eo dicitur experimentum sumere de equi velocitate.

Iud. 15.

ART. 2.

Vtrum tentare Deum sit peccatum. ℞. *Af-*

firmativè, non quòd non possit quis signum à Deo petere absque peccato, sed ita quod signum petere ad explorandam divinã potestatem, aut veritatem dicti ejus, in quo quidem est tentatio, peccatũ sit. *Primũ est*, quia cùm tentare sit experimentum sumere, ideò & oportet quod omnis tentatio ex aliqua ignorantia, vel dubitatione procedat, vel ejus qui tentat, vel aliorum; proindeque cùm ignorare, vel dubitare de his, quæ ad Dei perfectionem pertinent, peccatum sit, est cõsequenter tentatio Dei, in qua scilicet sic exploratur Dei perfectio, peccaminosa.

Malach. 3. Vnde quod dicitur in Scriptura, *Probate me*, non nisi consequutivè intelligitur, adeò ut ex hoc experimento probaturi essent divina beneficia; non autem causaliter, quasi ad hoc deberent decimas solvere, ut probarent, si Deus aperiret cataractas cœli. Cum quo tamen stat, quod cùm cognitio divinæ voluntatis, vel bonitatis sit aut speculativa, aut affectiva, sive experimentalis, dum scilicet quis experitur in se gustum divinæ dulcedinis, & complacentiam divinæ voluntatis; de prima quidem dubitare nõ liceat, vel probare an sit bona, & suavis; benè tamen liceat probare, sive experiri secundam, juxta illud: Gustate & videte, &c. *Secundum est*, quia nec est peccatum quando sumitur experimentum eorum, quæ ad Dei perfectionem pertinent, non ad suam cognitionem, sed ut quis aliis demonstret, ubi scilicet justa necessitas, utilitas, & alia adsunt, quæ ad hoc concurrere debent; sic enim Apostoli petierunt, ut in nomine Iesu Christi fierent signa, ut virtus Christi infidelibus manifestaretur: sed neque peccatum est,

eſt, nec tentatio, ubi ſignũ à Deo petitur, ut inſtruamur quid ſit circa aliquod placitum Deo. Vnde & reprehenditur Rex Achaz, quaſi impeditor communis boni, quòd ſignum petere nolebat: quod quidem non fuiſſet tentare Deum, eo quòd Deus vellet ipſi ſignum dare, non pro ipſo ſolùm, ſed pro totius populi inſtructione. Sed neque excuſatur Gedeon in petitione ſigni, utpote qui ex fidei debilitate petiiſſe videatur; bene tamen Abraham, utpote qui non niſi ex divino inſtinctu ſignum petiit.

Vtrum tentatio Dei opponatur virtuti Religionis. ℞. *Affirmativè*, ita quod omnis Dei tentatio ſit reipſa irreligioſitatis ſpecies, eſto quod interpretativa tentatio videatur ex præſumptione, ſeu indiſcretione provenire. *Primum eſt*, quia cùm omnia quæ directè pertinent ad irreverentiam Dei opponantur religioni, cujus ſcilicet finis eſt Dei reverentia; & tentatio Dei ſit hujuſmodi, utpote cùm nemo eum tentet, de cujus excellentia eſt certus; ideò fit, quod Dei tentatio, etiam ex incertitudine fidei ſit irreligioſitatis ſpecies, prout ſcilicet ad religionem pertinet proteſtari fidem per ſigna aliqua ad divinam reverentiam pertinentia. Vnde non niſi per accidens ſe habet dolus ad tentationem Dei, quæ proinde nec niſi indirectè opponitur veritati; quandoquidem doloſè poſtulare non dicitur reſpectu Dei, qui novit cordis abſcondita; ſed reſpectu hominum. *Secundum eſt*, quia quaſi interpretativè Deum tentat, qui ante orationem animam ſuam non præparat, dimittendo ſi quid adversùm aliquem habet, vel ad devotionem ſe non diſponen- ART. 3.

do, utpote qui non facit quod in se est, ut exaudiatur à Deo : quod quidem videtur ex præsumptione, & indiscretione provenire; quanvis non ita quin & ad irreverentiam Dei pertineat, utpote habens se sine debita diligentia in his, quæ sunt ad Deum.

ART. 4. *Vtrum tentatio Dei sit gravius peccatum, quàm superstio.* ℞. *Negativè*, non quòd non habeat superstio quantum ad materialem actum majorem cum religione similitudinem; sed ita quod quantum ad finem plus contrarietur religioni, quàm Dei tentatio. *Primum est*, quia cùm in peccatis, quæ religioni adversantur, tanto aliquid gravius sit, quanto magis divinæ reverentiæ adversatur, ex qua quidem velut ex fine specificatur religio; & magis contra Dei reverentiam agat, qui suo facto protestatur errorem contra divinam excellentiam, ut superstitiosus, quàm qui solùm protestatur dubitationem, ut qui Deum tentat; ideo & graviùs peccat, seu plus contrariatur religioni ex parte finis. Vnde non ideò peccatũ idololatriæ fuit minùs punitũ in veteri lege, quàm peccatum tentationis Dei, quasi esset minus; quandoquidem cùm divina excellentia sit singularis, est maximè contra Dei reverentiam eam alteri communicare, esto quod possit communicari alteri honor parentum; sed quia pro illo gravior in posterum reservabatur pœna. *Secundum est*, quia cùm aliquid exhibeat superstitio in Dei cultum, sicut religio, ideò & quantum ad materialem actum aliquam habet cum ea similitudinem.

IN QVÆSTIONEM XCVIII.

De perjurio.

VTrum falsitas ejus quod in juramento confirmatur, requiratur ad perjurium. ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit perjurium, ubi deest judicium, aut justitia; sed ita quod primò & principaliter sit, quando deficit veritas. *Primum est*, quia cùm falsitas directè evacuet juramenti finem, qui quidem est confirmatio veritatis, cui opponitur falsitas; ideò à falsitate primò & præcipuè specificatur perversitas juramenti, quæ perjurium dicitur, cùm ex fine sortiantur morales actus suam speciem; adeò ut quanvis sit perversum juramentum, cùm quis verum jurat per falsos Deos; tamen ab illa falsitate juramenti nominetur perjurium, quod tollit juramenti finem, falsum dicendo. Vnde nec est ita perjurus, qui falsũ jurat, quod putat esse verum, sicut qui verum jurat, quod putat esse falsum, utpote cùm ibi sit falsitas materialiter solùm, hîc autem formaliter. *Secundum est*, quia & ex hoc quod deest justitia, jurando scilicet quid illicitum, jam incurritur falsitas, cùm obligatus sit ad hoc quod contrarium faciat; & ex hoc quod sine judicio jurat, seu indiscretè, exponit se periculo dicendi falsitatem, & consequentur perjurandi. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omne perjurium sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, non quòd peccatum semper sit ex eo quod non impletur quod juratur; sed ita quod in eo, ex quo perjurinm incurritur, peccatum sit. *Primum est*, quia cùm jurare sit Deum testem invocare; & ad Dei irreverentiam pertineat, quod quis Deum testem invocet falsitatis, quasi veritatem ART. 2.

non cognoscat, aut quasi velit falsitatem testificari; ideò & est perjurium in eo, ex quo perjurium est peccatum religioni contrarium, adeò ut obligemur ex juramento sub peccato; ita tamen quod quia juramentum est actio personalis, ideò qui fit de novo civis alicujus civitatis, non obligatur juramento* ad observanda illa quæ civitas se servaturam juravit, nisi ex quadam fidelitate; sicut nec Canonicus, qui jurat se servaturum statuta edita in aliquo collegio, tenetur propterea ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad præterita, & futura. *Secundum est*, quia potest quis jurare, se aliquid facturum illicitum, aut non ingressurum Religionem, vel nõ daturum eleemosynam: in quo casu peccat quidem, & incurrit perjurium jurando, defectu scilicet justitiæ, vel judicii, ad differentiam juramenti, in quo jurat se facturum voluntatem alterius, quam posteà non potest exequi, utpote in quo subintelligitur debita conditio, si mandatum sit portabile, & licitum; non tamen peccat quando non implet, cùm illud non sit tale quid, quod sub juramento cadere posset.

ART. 3. *Vtrum omne perjurium sit peccatum mortale.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ex eo præcisè, quod in perjurio juratur falsum; sed ex eo quod ratio perjurii dicit contemptum. *Primum est*, quia cùm ea, quæ ex se sunt venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiant, tunc sint mortalia; ideò & multò magis mortale erit omne, quod ex se pertinet ad Dei contemptum, ut est perjurium, quod quidem ex hoc habet rationem culpæ, ut dictum est, quia ad

irreverentiam Dei pertinet. Vnde & qui non implet quod coactus juravit, quanvis possit ab obligatione absolui per Pontificem, peccat tamen interim mortaliter, cùm non auferat coactio juramento promissorio vim obligandi respectu ejus, quod licitè fieri potest. Neque quod dicitur, non esse tales puniendos tanquam pro mortali crimine, intelligendum est, quasi mortaliter non peccent, sed quòd minor pœna eis infligatur, esto quod qui falsum juravit in juramento assertorio, non propterea fiat infamis ipso jure, sicut fit in juramento promissorio solenni, in cujus quidem potestate remanet, postquam juravit, ut det suo juramento veritatem, utpote cùm nec propter quodlibet peccatũ mortale efficiatur quilibet infamis ipso jure. *Secundum est*, quia licèt non excusetur à mortali qui jocosè perjurat, quippe qui non evitat divinam irreverentiam, sed aliquo modo magis auget; sicut nec qui ex lapsu linguæ falsum jurat, si advertat se jurare, & falsum esse quod jurat; bene tamen si hoc non advertat, sicut & excusatur tunc, etiamsi falsum juret, à Dei contemptu.

In Decr. lib. 4. tit. 14. c. 15.

Vtrum peccet ille, qui injungit juramentum ei, qui perjurat. ℞. *Negativè*, si nimirum injungat non quidem propria sponte, sed ut persona publica, & secundùm quod exigit ordo juris. *Primum est*, quia qui juramentum exigit tanquam persona publica, sive secundùm ordinem juris ad petitionem alterius, cùm tunc non videatur ipse exigere, sed ille, ad cujus instantiam exigit; ideò nec peccat tunc, sive sciat jurare falsum, sive verum; & quidem quanvis no-

ART. 4.

bis dictum sit in Scriptura, ne juremus, utpote in qua dictum non est, ne jurationem accipiamus, ut notat Aug. Vnde nec expressit Moyses Levit. 5. cui sit indicandum perjurium alterius, sicut nec quo ordine debeat manifestari; sed hoc intelligendum est, quod debeat indicari talibus, qui magis possunt prodesse perjuro, quàm obesse; & similiter quod servandus sit ordo evangelicus, si nimirum sit peccatum perjurii occultum, & tale, quod non vergat in detrimentum alterius. *Secundum est*, quia quanvis ille qui pro seipso & propria sponte juramentum exigit, si nesciat eum juraturum falsum, non peccet, esto quod ibi sit humana quædam tentatio, utpote quod ex quadam procedit infirmitate, quâ quis dubitat, alium esse verum dicturum, quodque ex Aug. est illud malum, de quo Dominus ait, *Quod amplius est, à malo est*, Matth. 5. quia tamen ubi scit eum fecisse contrarium ejus, quod jurat, & cogit eum jurare, sicut ille de suo perjurio se interimit, sic iste manum interficientis impressit, ideò & peccat tunc, & homicida est.

Epist. 54.

Serm. 8. de verbis Ap.

IN QVÆSTIONEM XCIX.

De sacrilegio.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum sacrilegium sit violatio rei sacræ. R. *Affirmativè*, non quòd res illa sacra in se violetur, sed ita quod sacrilegus, quantum in ipso est, illam violet. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm omne illud quod ad irreverentiā rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertineat, & sic habeat sacrilegii rationem, utpote cùm sacrum dicatur aliquid ex eo quod ad Dei deputatur cultum, ex quo quidem efficitur

quoddam divinum, cui quædam debetur reverentia, quæ refertur in Deum; ideò & omnis violatio rei sacræ rationem habet sacrilegij, adeò ut & quod fit in injuriam populi Christiani, utpote per fidem & Sacramenta sanctificati, ut faciunt qui permittunt Iudæos officia publica exercere, dicatur sacrilegium, necnon sacrilegium committant secundùm quandam similitudinem, qui de judicio Principis disputant, ut dicitur, quatenus scilicet bonum commune, cui Princeps præest, est quoddam divinum, ex Arist. Ita tamen quod quia irreverentia est in eo, qui irreverenter se habet, quanvis nihil noceat ei, cui irreverentiam exhibet, propterea sacrilegium committat qui quantum in se est rem sacram violat, seu inhonorat, licèt illa in se non violetur.

17. qu. 4. c. constituit.

14. qu. 4. c. si quis.

1. Ethic. c. 2.

Vtrum sacrilegium sit speciale peccatum. ART. 2.

℞. *Affirmativè*, non quòd non possit in diversis peccatorum generibus inveniri, sed ita quod specialem induant peccata deformitatem ex hoc quod sacrilegia fiunt. *Primum est*, quia cùm violet sacrilegus rem sacram per aliquam irreverentiam, ideò & est in sacrilegio specialis ratio deformitatis; proindeque quia ubicumque invenitur specialis ratio deformitatis, ibi necesse est, quod sit speciale peccatum, cùm species rei cujuslibet attendatur præcipuè secundùm rationem formalem ipsius, est consequenter sacrilegium ex eo speciale peccatum: ita tamen, quod illi tantùm contra divinæ legis sanctitatem committere dicantur, qui eam impugnant, ut hæretici, & blasphemi, qui quidem prout non credunt, infideles dicuntur; ut autem divinæ legis verba per-

vertunt, sunt sacrilegi. *Secundum est*, quia etsi quandoque inveniatur sacrilegium separatum ab aliis peccatis, cùm scilicet actus nullam aliam habet deformitatem, nisi quia res sacra violatur, ut dum capitur aliquis de loco sacro, qui alibi licitè capi posset; quia tamen nihil prohibet, unam specialem rationem peccati in pluribus peccatorum generibus inveniri, idem consequenter dicendum de sacrilegio, adeò ut quocumque genere peccati aliquis faciat contra reverentiam sacris debitam, formaliter sacrilegium committat, & tamen sint ibi materialiter diversa genera peccatorũ.

ART. 3. *Vtrum species sacrilegii distinguantur secundùm res sacras.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & ex personis, locis, & rebus sacris tres distinguantur sacrilegii species, & secundùm differentiam sanctitatis diversi distinguantur in eadem specie sacrilegii gradus. *Primum est*, quia cùm peccatum sacrilegii consistat in hoc, quod aliquis irreverenter se habet ad rem sacram, propter scilicet ipsius sanctitatem, cui debetur reverentia, adeò ut omne quidem peccatum, quod cõmittit persona sacra, sit quidem materialiter, & per accidens sacrilegium, juxta illud Hieron. Nugæ in ore Sacerdotis sacrilegium sunt, vel blasphemia; non tamen formaliter & propriè sacrilegium sit, nisi quod agitur contra sanctitatem: ideò cùm sanctitas attribuatur personis, locis, & rebus, tres propterea exinde distingui possunt sacrilegii species, & quidẽ differentiâ nõ solùm materiali, sed etiam formali, quandoquidem nõ est in omnibus eadem ratio sanctitatis, ut dicetur. *Secundum est*, quia

In Epitaphio ad Eustoch.

cùm tanto ſacrilegium ſit gravius, quanto res ſacra,in quam peccatur,majorem obtinet ſanctitatem,ideò & ſecundùm diverſam rationem ſanctitatis diverſus erit ſacrilegii gradus, adeò ut quia ſanctitas, quæ attribuitur perſonis ſacris, eſt major illâ, quæ attribuitur locis, quandoquidem ſanctitas loci ad ſanctitatem hominis ordinatur; ſit etiam contra perſonam ſacram peccatum gravius, quàm contra locum ſacrum; ſed inſuper & in utraque ſpecie varii ſint gradus pro diverſitate rerum ſacrarum, ſicut & perſonarum, & locorum, ita quod quia inter res ſacras primum locum obtinent Sacramenta,deinde vaſa conſecrata ad Sacramentorum ſuſceptionem, & ipſæ imagines ſacræ,& reliquiæ Sanctorum,tum quæ pertinent ad ornatum Eccleſiæ, & Miniſtrorum,poſtmodùm quæ ſunt deputata ad miniſtrorum ſuſtentationem, ſive ſint mobilia bona, ſive immobilia; ideò & quicumque contra quodcumque prædictorum peccat, crimen ſacrilegii incurrat magis vel minùs grave; ſed gravius ſi ſit contra Sacramenta, & graviſſimum ſi contra Euchariſtiam.

Vtrum pœna ſacrilegii debeat eſſe pecuniaria. ℞. *Affirmativè*,non quidem ad æqualitatem pœnæ,quæ imponitur,ſed ad utilitatem ejus,qui punitur. *Ratio utriuſque partis eſt*,quia cùm in pœnis infligendis in hoc primò conſideretur æqualitas,ut ſcilicet in quo quis peccat,per hæc torqueatur; tum ſecundò utilitas, ut ſcilicet homines pœnis territi à peccato deſiſtant, utpote quæ etiam ut medicinæ quædam infliguntur; ideò pro ſervanda æqualitate conveniens pœna ſacrilegi eſt excommunicatio, per ART.4.

quam à sacris, quæ inhonoravit, arcetur; & quam Ecclesia loco adhibet mortis corporalis, quam quidem etiam pro culpa criminali non infligit: sed quia à peccato non sufficienter arceretur sacrilegus per hoc, quod ei sacra interdicuntur, utpote de quibus non curat; ideò secundùm leges punitur insuper capitali pœna, & secundùm statuta Ecclesiæ pœnâ pecuniariâ; nihil enim prohibet, duas adhiberi pœnas, quando per unam non sufficienter revocatur aliquis à peccando: neque tunc pertinet pecunia, quæ sic exigitur ad hominum correctionem, ad occasionem avaritiæ, cùm habeat tunc manifestam utilitatem.

IN QVÆSTIONEM C.

De simonia.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum simonia sit studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod emptione, vel venditione rei ita spiritualis peccetur simoniacè peccato irreligiositatis; si tamen non largè accipiatur emptionis nomen, nec etiam ita strictè, quin comprehendatur omnis contractus non gratuitus. *Primum est*, quia cùm actus qui cadit super materiam indebitam, sit hoc ipso malus ex genere; & res spiritualis sit materia indebita emptionis, & venditionis: tum quia non potest aliquo terreno pretio compensari: tum quòd venditor non est dominus, etiamsi esset Papa, sed dispensator: ac demùm quoniam venditio repugnat spiritualium origini, quæ est gratuita Dei voluntas, unde Dominus dicit, Gratis accepistis, gratis date; consequenter fit, quod quicumque emit vel vendit spirituale quid, sive spirituale sit

Matth. 10.

ſecundùm ſe, ut Sacramenta; ſive quia iis adhæret, hoc ipſo irreverentiam exhibet Deo, & rebus divinis, proindeque ſimoniacè peccat peccato irreligioſitatis, quę quidem ſimonia dicitur ſtudioſa voluntas, non ex malitia, ſeu contemptu, quâ peccatur in Spiritum ſanctum, ſed propter electionem, quæ principaliter pertinet ad virtutem, & vitium; & hæc voluntas etiam vendendi ſimonia dicitur, propterea quod Simon Magus emere voluit poteſtatem ſpiritualem, ut poſteà venderet. Cum quo tamen ſtat, quod adhuc ſimoniaca illa voluntas dicatur etiam hæreſis ſecundùm exteriorem proteſtationem, utpote cùm ex hoc, quod quis vendit donum Spiritus Sancti, proteſtetur quodammodo, ſe eſſe dominum Spiritus ſancti, quod eſt hæreticum. *Secundum eſt*, quia cùm largè ſumpto nomine emptionis, prout ſcilicet accipitur pro merito, regnum cœlorum dicatur emi, ex Greg. & quidem licitè, ideò non eſt in tali emptione ſimonia; cumque nec permutatio præbendarum, vel Beneficiorum fieri poſſit authoritate partium abſque ſimonia, ſicuti nec tranſactio, eſto quod poſſit Prælatus ex officio permutationes facere pro cauſa utili, vel neceſſaria, proptereà fit, quod nomine emptionis vel venditionis intelligatur ibi omnis contractus non gratuitus.

1. qu. 1. cap. Eos qui per pecunias.

Hom. 5. in Evāg.

ART. 2. *Vtrum ſemper ſit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare.* ℞. *Affirmativè*, ſi nimirum detur pecunia veluti pretium ſacramentalis gratiæ, non autem tantùm in ſubſidium, ſeu ſuſtentationem adminiſtrantium. *Primum eſt*, quia cùm gratiæ, quam cauſant Sacramenta novæ legis, repugnet, quod non gra-

tuitò detur, ideò accipere pecuniam, sive quidquid pecuniâ æstimari potest, veluti pretium sacramentalis gratiæ, est simoniacum, adeò ut quod exigitur ex consuetudine, si exigatur tanquam pretium rei spiritualis cum intentione emendi vel vendendi, simonia sit, cùm non præjudicet consuetudo naturali, vel divino juri, quo simonia prohibetur; esto quod ubi exigitur ut stipendium quoddam, & refertur intentio ad solam consuetudinis observantiam, tunc fieri possit sine simonia. Vnde & antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel alia dignitate per electionem, simoniacum esset adversantium obstacula pecuniâ redimere, esto quod ubi jus jam acquisitum est, liceat tunc per pecuniam justa impedimenta removere: & ubi nollet Sacerdos absque pecunia morientem puerum baptizare, tunc potiùs esset à quovis alio baptizandus, adeo ut tunc pro eodem habendus sit, ac si non esset Sacerdos, quanvis posset quis licitè aquam à Sacerdote emere, quæ quidem purum est corporale elementum. Cum quibus tamen stat, quod quia matrimonium non solùm est Ecclesiæ Sacramentum, sed etiam naturæ officium, ideò licitum sit in eo pecuniam dare. *Secundum est*, quia cùm dispensatores Sacramentorum debeant à
1.Cor.9. populo sustentari, ut ait Apost. & quod ad eorundem sustentationem accipitur, juxta scilicet ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, accipiatur non tanquam pretium mercedis, sed velut stipen-
Lib. de Past. c.1. dium necessitatis, ut ait Aug. ideò nec est ibi simonia, nec peccatum. Vnde & in hoc sensu licet Sacerdotibus pecuniam pro

Miſſis accipere : neque quæ jure exigitur pecunia ab eo,qui abſoluitur,exigitur quaſi pretium abſolutionis, ſed quaſi pœna præcedentis culpæ , pro qua ſcilicet fuit excommunicatus.

Vtrum liceat dare & accipere pecuniam pro ſpiritualibus actibus. ℞. *Negativè*, non quòd non liceat dare & accipere pro ſuſtentatione miniſtrantium, ſed ita quod ſimoniacum ſit in iis vendere quod ſpirituale eſt. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia hujuſmodi ſpiritualia & dicuntur talia , quia ex ſpiritali gratia procedunt , & ad eam diſponunt , & taliter , quod per hominum miniſterium exhibeantur , quos quidem oportet ex Apoſt. à populo ſuſtentari ; & ideò in iis vendere quod ſpirituale eſt , eſt quidem ſimoniacum : unde & ſimoniacus eſſet qui commiſſam habens ſpiritualem poteſtatem ex officio cum Eccleſiæ redditibus ad ſuſtentationem,aliquid tamen acciperet pro uſu ſpiritualis poteſtatis,utpote qui videretur tunc non quidem locare operas , quas ex debito debet impendere, ſed vendere gratiæ uſum , ad differentiam illius, qui ſcientiam habens,nec obligatus eſſet ex officio ad docendum, pretium acciperet, utpote qui non videretur tunc veritatem,ſeu ſcientiam vendere , ſed operas ſuas locare : non tamen illicitum eſt aliquid dare vel accipere pro ſuſtentatione miniſtrantium juxta Eccleſiæ ritum, dummodo deſit intentio emptionis & venditionis , nec ab invitis exigatur per ſpiritualium ſubtractionem. Vnde & pro ingreſſu Monaſterii,quanvis non liceat aliquid exigere quaſi pretium , ſi tamen Monaſterium ART. 3.

sit tenue, nec sufficiat ad tot personas nutriendas, liceret tunc, gratis concesso ingressu, aliquid accipere pro victu personæ; & hoc etiam modo dabantur quædam olim Prophetis, non ad emendum prophetiæ usum, sed ad sustentationem; sicut & nunc dantes prædicantibus, vel eleemosynas pauperibus, ut orationum suffragia ab eis impetrent, non propterea intendunt orationes emere, aut verbum Dei, sed per gratuitam beneficentiam pauperes provocare, ut ex charitate pro ipsis orent.

ART. 4. *Vtrum sit licitum accipere pecuniam pro his, quæ sunt spiritualibus annexa.* ℞. *Negativè*, ita quod nec quæ ex spiritualibus dependent, vendere liceat; nec quæ ad spiritualia ordinantur, quantum ad ordinem; sed solùm res ipsas, quæ ordinem important. *Primum est*, quia quæ ex spiritualibus dependent, ut habere beneficia Ecclesiastica, quod quidem non competit nisi habenti officium clericale, cùm nullo modo possint esse sine spiritualibus, sicut nec ordo ad spiritualia; eis propterea venditis, etiam spiritualia subintelligerentur vendita. Vnde circa collationem beneficiorum, quanvis non sit illicitum si Episcopus antequam beneficium conferat, ex causa ordinaverit aliquid subtrahi de fructibus in pios usus expendendum; si tamen ab eo, cui beneficium confert, aliquid requirat ex fructibus, idem est ac si aliquod munus ab eo exigeret, proindeque nec caret vitio simoniæ. *Secundum est*, quia quæ sic ad spiritualia ordinantur, ut jus patronatus, vasa sacra, &c. cùm spiritualia non præsupponant, sed magis ea præcedant, etiam prioritate tem-

poris; ideò & aliquo modo vendi possunt, quanvis non prout sunt spiritualibus annexa. Vnde & omnia temporalia, licèt annexa spiritualibus sicut fini, sunt vendibilia, quanvis non quoad ordinem; sicut & vasa consecrata quoad materiam pro necessitate Ecclesiæ & pauperum, modò præmissa oratione priùs confringantur, utpote quæ post eam confractionem non amplius sunt vasa sacra, sed purum metallum. Neque peccavit Iacob jus primogenituræ emendo, utpote qui non nisi vexationem redemit, cùm ei deberetur ex divina electione: sed neque peccavit Abraham speluncam emendo ab Ephron in sepulturam, quia non intendebat emere nisi terram communem, esto quod quia apud Gentiles loca sepulturæ deputata religiosa reputabantur, ideò peccaverit Ephron vendendo, si pro eo intendit pretium accipere. Gen. 25.

Vtrum liceat spiritualia dare pro munere, quod est ab obsequio, vel à lingua. ℞. *Negativè*, non quòd nō possit quis ex ipsa devotione obsequii dignus reddi aliquo spirituali, seu Ecclesiastico beneficio; sed ita quod simoniacum sit talia conferre propter obsequium ad carnalia ordinatum. *Primum est*, quia cùm nomine pecuniæ intelligatur cujuscumque rei pretium, quæ pecuniâ æstimari potest, quale quidem est hominis obsequium ad carnalem aliquam utilitatem ordinatum; ideò & idem est, nec minùs simoniacum, quod det quis rem spiritualem pro aliquo ita exhibito, vel exhibendo, ac si pro data, vel promissa pecunia daret. Vnde & qui dat alicui beneficium hoc pacto, vel intentione, ut inde suis ART. 5.

consanguineis provideat, est manifesta simonia, esto quod non sit simoniaca, sed illicita solùm collatio, si gratis conferat alicui ob cōsanguinitatem, vel aliam affectionem; & simoniam similiter committit, qui per laudes & preces intendit principaliter favorem humanum, ut spirituale conferatur: quod præcipuè accidit, non quidem ubi preces porriguntur pro digno, & attenditur personæ dignitas, non favor humanus; sed ubi fiunt preces pro indigno. Cum quo tamen stat, quod quia hypocrita non aliquid dat spirituale propter laudem, sed solùm demonstrat, & simulando surripit humanam laudem, ideò nec pertinet hypocrisis ad simoniam. *Secundum est*, quia impendens Clericus Prælato obsequium honestū ad spiritualia ordinatum, id est ad Ecclesiæ utilitatem, efficitur hoc ipso dignus ecclesiastica remuneratione, juxta illud Greg. Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere. Vnde nec tunc committitur simonia, sicut nec intelligitur esse tunc munus ab obsequio.

In Registro, lib. 2. cap. 57.

ART. 6. *Vtrum sit conveniens simoniaci pœna, ut privetur eo, quod per simoniam acquisivit.* ℞. *Affirmativè*, ita quod qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non possit; quanvis non ita, quin & aliis puniendus sit pœnis. *Primum est*, quia cùm nullus possit id licitè retinere, quod contra volūtatem Domini acquisivit; & Dominus, cujus quidem Ecclesiarum Prælati dispensatores sunt, ordinaverit ut spiritualia gratis darentur; ideo qui muneris interventu spiritualia quæcumque

Matth. 10.

assequitur, talia licitè retinere non potest. Vnde & qui simoniacè recipit sacrum Ordinem, recipit quidem characterem, non tamen gratiã, & ordinis exequutionem, adeò ut ipso facto suspensus sit & quoad se, & quoad alios, ut nullus ei communicet, sive peccatum sit publicum, sive occultum; & qui scienter & sponte accipit simoniacè Ecclesiasticum Beneficium, debet id resignare, tum notatur infamiâ, & tenetur fructus perceptos, necnon qui potuerunt percipi à possessore diligenti (deductis tamen expensis factis causâ fructuum, & in utilitatem Ecclesiæ) restituere, & quidem Ecclesiæ, in cujus injuriam fuere accepti, nisi fortè Prælatus, vel totum Collegium essent in culpa; in quo casu, ne de peccato commodum reportarent, dari deberent de licentia Superioris vel pauperibus, vel alii Ecclesiæ: & si qui sunt in Monasterio simoniacè recepti, tenentur abrenunciare; atque si eis scientibus commissa est simonia, post Concilium Generale, tunc sine restitutionis spe de Monasterio suo sunt expellendi, & ad agendam pœnitentiam in arctiore Regula sunt ponendi, vel in aliquo loco ejusdem Ordinis, si strictior Ordo non inveniretur: si autẽ ante Concilium, debeant in aliis locis ejusdem Ordinis collocari, aut si fieri non potest, debeant dispensativè in eisdem monasteriis recipi, sed mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis: sicut & si ipsis ignorantibus simoniacè intrusi sunt, poterunt, postquam renunciaverint, de novo recipi, locis mutatis. *Secundum est*, quia ut habetur 1.q.1.can. *Si quis Episcopus*, puniuntur insuper simoniaci, tam vendentes, quàm emen-

tes, aut etiam mediatores pœnâ infamiæ, & depositionis, si sint Clerici; & excommunicationis, si laici: & quidem taliter, quod dispensare cum eo, qui est beneficiatus simoniacè scienter, solus Papa possit, esto quod in aliis casibus possit etiam Episcopus: ita tamen, quod priùs abrenunciet quod simoniacè acquisivit, & postmodùm dispensationem consequatur, vel parvam, vel magnam, ut scilicet majores Ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat. Vnde neque propter præceptum, nec propter excommunicationem debet aliquis recipere ordinationem ab Episcopo, quam scit simoniacè promotum; nec recipit, si ordinetur, executionem Ordinis, etiamsi ignoraret esse simoniacum, sed indiget dispensatione; esto quod si simoniacus sit aliquo alio modo, quàm per promotionem suam, possit tunc Ordinem ab eo recipere, si sit occultus, utpote qui non est suspensus, nisi quoad se.

IN QVÆSTIONEM CI.

De pietate.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum pietas se extendat ad determinatas personas aliquorum hominum. ℞. *Affirmativè*, ita quod pietas ad parētes, & patriam principaliter se extendat, quanvis non ita, quin etiam ad divinum cultum referatur pietatis nomen. *Primum est*, quia cùm diversimodè efficiatur homo aliorum debitor secundùm eorum diversam excellentiam, & diversa beneficia ab eis accepta; ideò cùm Deus sit excellentissimus, nobisque primum essendi, & gubernationis principium; secundariò autem parentes & patria, à quibus scilicet, & in qua nati & nu-

triti sumus, propterea fit, ut post Deum sit homo maximè debitor parentibus, & patriæ (esto quod more vulgi, latè sumpto vocabulo, utamur nomine pietatis etiam in operibus misericordiæ ad omnes;) adeò ut quemadmodum ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundariò ad pietatem spectet exhibere cultum parentibus, & patriæ; ita tamen quod in cultu parentum includatur & cultus omnium consanguineorum, ex Arist. & in cultu patriæ, omnium concivium, & patriæ amicorum: ad principia namque nostri esse magis referuntur communicationes concivium & consanguineorum, quàm aliæ communicationes. *Secundum est*, quia cùm majus includat minus, proindeque & cultus qui Deo debetur, includat cultum parentibus debitum, qui aliquid particulare est, ideò & nomen pietatis etiam ad divinum cultum refertur.

Vtrum pietas exhibeat parentibus sustentationem. ℞. *Affirmativè*, non quidem per se loquendo, sed secundùm quod occurrit per accidens. *Ratio utriusque partis est*, quia pater per se loquendo, ut pater est, cùm sit major, & quasi principium filij existens, nonnisi reverentia ei debetur, & obsequium; sed quia ex hoc debetur, quod decet eum accipere secundùm quod ei accidit; ut si infirmus sit, quod visitetur, & ejus curationi intendatur; si pauper, quod sustentetur: ideò per accidens debet pietas & sustentationem parentibus, adeò ut in honoratione parentum intelligatur omnis subventio, ut etiam Christus interpretatur, & ex Aug. colligitur dicente, quod dicimur colere homines, quos honorificatione, vel ART. 2. Matth. 15. Lib. 10. de Civ. Dei, c. 1.

recordatione, vel præſentiâ, ſeu officio frequentamus. Cum quo tamen ſtat, quod non teneatur filius theſaurizare patri, quaſi in longinquum, quia naturaliter non parentes filiorum, ſed filij parentum ſunt ſucceſſores; neque æqualiter omnibus debeat, quibus debet ex pietate, ſed præcipuè parentibus.

ART. 3. *Vtrum pietas ſit ſpecialis virtus ab aliis diſtincta.* ℞. *Affirmativè*, ita quod etiã à charitate diſtinguatur, & à religione, & legali juſtitia; quanvis non ita, quin & proteſtatio ſit charitatis, & per excellentiam dicatur Religio. *Primum eſt*, quia cùm ad rationem juſtitiæ pertineat, ut debitum alii reddat, proindeque & ubi invenitur ſpecialis ratio debiti alicui perſonæ, ſit ibi ſpecialis pars juſtitiæ, & conſequenter ſpecialis virtus, utpote cùm illa ſit ſpecialis virtus, quæ reſpicit objectum aliquod ſecundùm ſpecialem rationem; ideò cùm debeatur aliquid alicui ſpecialiter, quia eſt connaturale principium producens in eſſe, atque gubernans, & hoc reſpiciat pietas; eſt conſequenter pietas ſpecialis virtus, & quidem nedum à charitate, propter rationem debiti quam reſpicit, ſed & alia à Religione, cùm Deus longè excellentiori modo ſit principium eſſendi, & gubernationis, quàm pater, vel patria: tum minùs generalis, quàm legalis juſtitia, quæ quidem bonum reſpicit patriæ, ut eſt bonum commune; cùm tamen pietas patriam reſpiciat, ut eſt nobis quoddam eſſendi principium. *Secundum eſt*, quia ſicuti Deus, in quem quidem per quandam ſuperexcellentiam & cauſalitatem transferuntur,

ex Dion. quæ ſunt creaturarum, dicitur excellenter Pater noſter, ſic & per excellentiam dicitur pietas cultus Dei, ſeu religio: & ſicut religio eſt quædam proteſtatio Fidei, Spei & Charitatis, quibus primordialiter ordinamur in Deum : ita & pietas quædam eſt proteſtatio charitatis, quam quis ad parentes, & patriam habet. Lib. de Div. c. 1.

Vtrum occaſione religionis ſint prætermittenda pietatis officia in parentes. ℟. *Negativè*, non quòd non liceat, ut ampliùs vacemus religioni, talia prætermittere, quando talibus non egent parentes officiis; ſed ita quod quando non abſtrahunt à Dei cultu, non ſint prætermittenda. *Primum eſt*, quia cùm virtus virtuti non contrarietur, ſicut nec bonum bono, ut ait Ariſt. ideò nec pietas & religio ſe mutuò impediunt, quaſi actus unius excludat actum alterius, utpote qui non eſſet tunc actus virtutis, ſed vitii, quandoquidem virtutis actus certis limitatur circumſtantiis, quas ſi prætereat, jam erit vitioſus actus. Vnde tunc quidem dimittenda ſunt officia pietatis in parentes propter religionem, quando parentum cultus nos abſtraheret à cultu Dei, eo quòd excederetur tunc debitus modus, ſi plus homo intenderet ad colendum parentes, quàm Deum : in quo etiam ſenſu dicit Hieron. Percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, & ad vexillum Crucis advola. Et in hoc etiam ſenſu exponit Greg. illud : Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum; adeò ut, inquit, parentes quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſcire debeamus : ſicut & Exod. 33. dicuntur Levitæ ſuos ignoraſſe ART. 4. Luc. 14. Homil. 37. in Evang.

consanguineos, quia idololatris secundùm mandatum Domini non pepercerunt; secus tamen si à religionis cultu per talia non abstrahamur, cùm tunc pertineat ad pietatem, ut pietas, & virtus est, ea non dimittere. Et hoc maximè, quia hoc ipsum quod parentibus exhibemus, sicut & alia misericordiæ opera, in Deum referimus, juxta illud: Quod uni ex minimis meis fecistis, &c. *Secundum est*, quia cùm filii non teneantur ad sustentationem parentum, nisi causâ necessitatis, ut dictum est; ideo ubi absque nostro obsequio vivere possunt, licitum est, ut amplius Religioni vacemus, talia prætermittere, juxta illud, Sinite mortuos sepelire mortuos suos; seu ut exponit Cyrillus, viventem patrem in senectute per alios sustentari, usquequò sepeliatur, utpote quia erant alii, qui ejus curam habere poterant, lineâ parentelæ astricti. Cum quo tamen stat, quod licèt qui parentes habet, qui ex se sustentari non possunt, non debeat, eis relictis, Religionem intrare, quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum; si tamen sit in Religione professus, cùm jam reputetur mortuus mundo, non debeat occasione subventionis parentum exire è claustro, esto quod teneatur cum licentia Prælati pium adhibere studium ad hoc ut eis subveniatur.

Matth. 25.

Art. 2.

IN QVÆSTIONEM CII.

De observantia, & illius partibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum observantia sit specialis virtus ab aliis distincta. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit pietas per quandam excellentiam dici observantia, sed ita quod pro-

priè dicta etiam à pietate, & à justitia distinguatur. *Primum est*, quia ut carnalis pater participat particulariter rationem principii, quæ universaliter invenitur in Deo; sic etiam personæ, quæ quantum ad aliquid providentiam circa nos gerunt, ut Princeps, Dux, Magister, &c. particulariter participant proprietatem patris, & patres appellantur propter similitudiuem curæ, utpote cùm Pater sit principium, non solùm generationis, sed educationis, & omnium, quæ ad humanæ vitæ perfectionem pertinent; proindeque cùm oporteat ut eo modo per quendam ordinatum descensum distinguantur virtutes, sicuti excellentia personarum, quibus est aliquid reddendum; ideò sicut sub religione, qua cultus exhibetur Deo, invenitur quodammodo pietas, quâ coluntur parentes: ita sub pietate invenitur & observantia, per quam cultus & honor exhibentur personis in dignitate constitutis, & quidem condistincta nedum à pietate ex præfato ordinato descensu, sed & à justitia, ad quam quidem cùm pertineat reddere æquale, si propriè sumatur; & id fieri non possit ad virtuosos, & ad eos qui benè statu utuntur dignitatis, opus est proptereà aliâ adjunctâ virtute, quæ est observantia. Ita tamen quod reverentia, quæ propter quamcunque excellentiam, etiam scientiæ, aliquibus exhibetur, ad eandem pertineat virtutem observantiæ; quandoquidem etsi quis per scientiam & virtutem non sortiatur rationem principii quantum ad alios, efficitur tamen idoneus ad dignitatis statum. *Secundum est*, quia sicut religio per quandam supereminentiam pietas

Quæst. præc. art. 3.

dicitur, ut dictum est; ita & pietas per quandā excellentiā potest dici observantia.

ART. 2. *Vtrum ad observantiam pertineat exhibere cultum, & honorem his qui sunt in dignitate constituti.* ℟. *Affirmativè*; ita tamen quod exhibeatur honor intuitu excellentiæ, cultus autē intuitu officii. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad eos, qui sunt in dignitate constituti, pertineat gubernare subditos; & gubernare sit movere aliquos in debitum finem; ideò & oportet, ut in eo qui est in dignitate constitutus, primùm consideretur excellentia status cum quadam potestate in subditos, deinde ipsum gubernationis officium, proindeque & quod ratione excellentiæ ei exhibeatur honor, qui quidem est quædam recognitio excellentiæ; & ratione officii debeatur & exhibeatur cultus, qui in quodam consistit obsequio, seu in quo non solùm intelligitur honor, sed etiam quæcumque alia, quæ spectant ad decentes actus, quibus scilicet homo ad alium ordinatur. Vnde excellentiæ eorum, qui sunt in dignitate, debetur & honor ratione sublimioris gradus, & timor ratione potestatis: tum obedientia ratione officii gubernationis: tum etiam tributa, quæ sunt quasi stipendia laboris ipsorum. Et quidem taliter, quod eis debeamus honorem & cultum, etiamsi non simus eis subjecti, non quidem ex debito legali, sed morali, quod scilicet ex quadam honestate debetur.

ART. 3. *Vtrum observantia erga virtuosos sit potior virtus, quàm pietas erga parentes.* ℟. *Negativè*, non quòd virtuosi secundùm se considerati non sint magis digni honore, quàm

quàm personæ parentum ; sed ita quod sub habitudine quâ à pietate , & observantia respiciuntur, præmineat pietas observantiæ. *Ratio utriusque partis est* , quia cùm comparatio hæc observantiæ ad pietatem debeat attendi non secundùm quod exhibet observātia præfatis personis in ordine ad bonum commune, utpote quod ad pietatem spectat,quæ cultum exhibet non solùm patri , sed etiam patriæ ; sed in ordine ad propriam eorum utilitatem , & consequenter secundùm diversas habitudines diversarum personarum ad nos,quas respicit utraque virtus ; ideò cùm personæ parentum substantialiùs nobis conjungantur, quàm quæ sunt in dignitate constitutæ ; quandoquidem magis ad substantiam pertinet generatio & educatio , cujus principium est pater, quàm exterior gubernatio, cujus principium sunt personæ in dignitate constitutæ : nec comparetur Princeps ad patrem ut virtus universalis ad particularem , nisi quantum ad exteriorem gubernationem, non autem prout est pater principium generationis, cōsequenter fit,quod licèt virtuosi secundùm se considerati sint magis digni honore quàm personæ parentum , utpote quibus post Deum debetur maximè reverentia ; nihilominus sub habitudine quâ à pietate & observantia respiciuntur,sive comparativè ad nos , seu cultum exhibentes , in ordine ad quos debet etiam proportionari honor & cultus, præmineat pietas observantiæ, ita quod filii magis obligentur propter beneficia suscepta ad cultum exhibendum parentibus quàm extraneis virtuosis.

IN QVÆSTIONEM CIII.

De Dulia.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum honor importet aliquid corporale. ℟. *Affirmativè*; si tamen sermo sit de honore quoad homines, non quoad Deum. *Primum est*, quia cùm honor testificationem quandam importet de excellentia alicujus; & quoad homines nemo possit testimonium ferre, nisi signis exterioribus, scilicet verbis, in quo convenit honor cum laude; vel factis, aut exterioribus rebus, ut sunt munera, & imagines; ideò & apud homines consistit honor in signis exterioribus & corporalibus. Vnde & dicitur præmium virtutis, licèt non sit sufficiens, quia nihil potest esse majus honore in corporalibus rebus, prout scilicet signa sunt manifestativa excellentiæ virtutis. Cum quo tamen stat, quod reverentia, quæ quidem non est idem quod honor, sed ex una parte est primum motivum ad honorandum, & ex alia est honoris finis, dum quis honoratur ut ab aliis in reverentia habeatur, consistat potiùs in actu spirituali timoris. *Secundum est*, quia cùm coram Deo, qui quidem inspector est cordium, testimonium conscientiæ sufficiat, ideò & honor quoad Deum potest consistere in solo interiori motu cordis, dum scilicet recogitat aliquis, vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo.

ART. 2. *Vtrum honor propriè debeatur superioribus.* ℟. *Affirmativè*, non quòd oporteat quod honorandus sit semper simpliciter excellentior honorante, sed vel excellentior quibusdam aliis, vel ipso honorante quantum ad aliquid. *Ratio utriusque partis est*, quia

cùm honor nihil aliud sit, quàm protestatio de excellentia bonitatis alicujus; & excellentia possit considerari non solùm per comparationem ad honorantem, sed etiam secundùm se, vel per comparationem ad aliquos alios; ideò & secundùm hoc semper debetur honor propter aliquam excellentiam, vel superioritatem, nõ quòd oporteat, ut qui honoratur, sit excellentior honorante, esto quod in quolibet inveniatur aliquid ex quo possit aliquis ex humilitate eum superiorem reputare, ut dicit Apost. juxta quod omnes se invicem debent honore prævenire; sed ita quod excellentior sit vel aliis, vel ipso honorante quantum ad aliquid. In quo quidem sensu & Prælati mali honorari solent, non propter excellentiam propriæ virtutis, sed propter excellentiam dignitatis, secundùm quam sunt Dei ministri: & etiam privatæ personæ interdum honorantur à Regibus, quo modo fuerunt honorati Tobias, & Mardochæus, non quòd sint superiores, sed propter aliquam excellentiam virtutis ipsarum. Vnde nec prohibuit Angelus Ioannem à quacumque honoratione, sed ab honoratione adorationis latriæ, vel etiam fortasse duliæ, ut Ioannis dignitatem Angelis per Christum adæquati ostenderet.

Ad Philipp. 2.

Apoc. ult.

Vtrum dulia sit specialis virtus à latria distincta. ℞. *Affirmativè*, non quòd latria non possit per excellentiam quandam dici dulia; sed ita quod propriè sumpta dulia specialem respiciat rationem, unde condistinguatur à latria. *Primum est*, quia cùm necesse sit quod ubi est alia ratio debiti, sit etiam alia virtus, quæ debitum reddat; & ART. 3.

alia ratione debeatur servitus Deo, & homini, sicut alia ratione competit eisdem dominium, utpote cùm Deus habeat plenarium, & principale dominium respectu totius creaturæ, homo autem tantùm particularem potestatem ex participatione similitudinis divini dominij; ideò dulia quæ debitam servitutem exhibet homini dominanti, sicut & Latinè servitus dicitur, quæque propterea est quædam species observantiæ, est alia virtus à latria, quæ divino dominio debitam exhibet servitutem. Vnde est quidem eadem charitas, quâ diligimus Deum & proximum, quia scilicet Deus est ratio diligendi & proximum; non tamen latria, & dulia sunt eadem virtus, cùm alia sit ratio serviendi Deo, & alia serviendi homini; & quidem quanvis motus qui est in imaginem, sit quodammodo in rem, utpote cùm non propterea motus qui est in rem, sit etiam in imaginem; & ita licèt reverentia quæ fit alicui, ut est imago Dei, redundet quodammodo in Deum; alia tamen sit reverentia, quæ ipsi Deo exhibetur. *Secundum est*, quia sicut Religio per excellentiam dicitur pietas, in quantum Deus est per excellentiam pater, ut dictum est: ita etiam latria per excellentiam dicitur dulia, in quantum Deus per excellentiam est dominus.

Art. 4. *Vtrum dulia habeat diversas species.* ℞. *Negativè*; si tamen sumatur dulia, non communiter secundùm quod exhibet cultum ratione cujuscumque excellentiæ, sed strictè secundùm comparationem servi ad dominum. *Primum est*, quia cùm alia speciali ratione revereatur servus Dominum, ab ea,

quâ miles ducem, discipulus Magistrum, &c. ideò strictè sumpta dulia prout secundùm eam servus reverentiam exhibet domino, non in diversas dividitur species, sed est una specierum observantiæ. Vnde quod crux Christi honoretur, non inde arguitur alia species duliæ, cùm creaturæ irrationali in se consideratæ non debeatur ab homine aliquis honor subjectionis, sed illud fit eadem honoris specie, quâ Christus ipse honoratur, sicut purpura Regis, &c. *Secundum est*, quia sumptâ duliâ communiter, ut scilicet exhibet homini cuicumque reverentiam ratione cujuscumque excellétiæ, cùm contineat sub se pietatem, observantiam, & omnem virtutem, quæ homini reverentiam exhibet; ideò & habet sub se plures species, quarum quidem potissima est hyperdulia, quandoquidem maxima debetur homini reverentia ex affinitate, quam habet ad Deum.

IN QVÆSTIONEM CIV.

De obedientia.

VTrum unus homo teneatur alteri obedire. *℞. Affirmativè*, & quidem ex ordine juris, & naturalis, & divini; quanvis non ita quod secludatur in obediendo proprium consilium. *Primum est*, quia cùm operationes humanæ procedant ex humana voluntate, sicut procedunt actiones naturales ex potentiis naturalibus; & in rebus naturalibus oporteat ut superiora moveant inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis divinitus collatæ; ideò & oportet ex eodem rerum ordine à Deo stabilito, ut in humanis superiores moveant inferiores per suam voluntatem, quod qui- ARTICVLVS PRIMVS.

dem movere per rationem & voluntatem, est ad obediendum præcipere. Vnde est quidem divina voluntas prima regula humanæ actionis : cum hoc tamen stat, ut possit & voluntas unius hominis præcipientis esse quasi secunda regula voluntatis alterius obedientis ; ita tamen quod licèt obedire sit debitum , si tamen propria voluntate quis obediat, non ob hoc minuatur meritum, maximè apud Deum ; quandoquidem redditur opus laudabile , & meritorium, præcipuè prout ex voluntate procedit. *Secundum est*, quia ideò Deus reliquit hominem in manu consilii sui, non quòd liceat ei facere quidquid velit , sed quia ad id, quod faciendum est, non cogitur necessitate naturæ, sed libera electione ex proprio consilio procedente; quod etiam requiritur ad hoc, ut obediat suis superioribus.

ART. 2. *Vtrum obedientia sit specialis virtus.* ℞. *Affirmativè* ; si tamen accipiatur obedientia non largè pro cujuscumque executione, quod potest cadere sub præcepto ; sed propriè, in quantum scilicet ad rationem præcepti attendit. *Primum est* , quia cùm ad omnia opera bona , quæ specialem habent rationem laudis, etiam specialis virtus determinetur , cujus quidem proprium est reddere opus bonum ; & obedire superioribus, cùm sit debitum secundùm ordinem divinum , sit bonum quid , habeatque specialem rationem laudis ex speciali objecto, quia specialiter tenentur inferiores præceptis superiorum obedire. Vnde & est superioris præceptum tacitum, vel expressum ejus speciale objectum, quod respicit, non autem diversa ratio excellentiæ , ad diffe-

rentiam reverentiæ; ideò & est obedientia, si propriè accipiatur, in quantum respicit per intentionem formalem rationem præcepti, specialis virtus, & inobedientia speciale peccatum; quandoquidem secundùm hoc ad obedientiam pertinet, ut impleat actum justitiæ, vel alterius virtutis, intendens implere præceptum; & ad inobedientiam, ut actualiter contemnat speciale præceptum. Et hinc etiam fit, quod obedientia, quæ habet aliquid de suo, ut in prosperis, est vel nulla, vel minor, eo quòd tunc propria voluntas videatur principaliter tẽdere, non ad implendum præceptum, sicut videtur tendere in difficilibus & adversis, saltem secundùm id quod exteriùs apparet, sed potiùs ad exequendum proprium volitum. Cum quo tamen stat, quod non sit obedientia virtus theologica, sed moralis, utpote quia pars est justitiæ, cujus quidem superfluum non attenditur secundùm quãtum, sed secundùm alias circumstantias, ut cùm quis obedit cui non debet, vel in quibus non debet, &c. *Secundum est*, quia si ita largè accipiatur obedientia pro exequutione cujuscumque, quod potest cadere sub præcepto ex quacumque intentione, sic erit generalis virtus, sicut & cõcurrit ratio pręcepti cum actibus omnium virtutum, esto quod non concurrat cum omnibus virtutũ actibus, cùm omnes nõ cadãt sub præcepto.

Vtrum obedientia sit maxima virtutum. Art. 3.
℟. *Negativè*, non quòd non sit suprema inter virtutes morales, sed ita quod inferior sit virtutibus theologicis. *Primum est*, quia cùm meritum virtuosi actus in hoc consistat, quod homo contemptis bonis creatis

Deo inhæret sicut fini; sicut in hoc peccatum est, quod homo contempto Deo, commutabilibus bonis inhæret; & ubi bona creata propter hoc contemnuntur, ut Deo inhæreatur, major sit laus virtutis ex hoc quod Deo inhæret, quàm ex hoc, quod bona terrena contemnit, utpote quia finis potior est his, quæ sunt ad finem; ideò fit, quod virtutes theologicæ, quibus Deo secundùm se inhæretur, sint potiores moralibus, & consequenter quàm obedientia, quibus scilicet terrenum quid contemnitur, ut Deo inhæreatur. Vnde quando dicit
Lib. ult. Moral. cap. 11. Greg. quod propter obedientiam debet interdum prætermitti aliquod bonum, non de iis loquitur bonis, ad quæ scilicet homo tenetur ex necessitate; sed de aliis, quæ quidem licet prætermittere propter obedientiam, ad quam ex necessitate tenetur. *Secundum est*, quia cùm inter has virtutes tanto aliqua potior sit, quanto aliquis majus contemnit, ut Deo inhæreat; & hujusmodi sit obedientia, quæ quidem propter Deum contemnit propriam voluntatem, quæ est potior non solùm bonis externis & corporis, sed etiam animi, utpote quâ omnibus aliis utimur bonis, unde & laudabilius dicitur obedire Deo, quàm sacrificium offerre, etsi utrumque contineatur sub religione, & pertineat ad devotionem, quandoquidem in sacrificio solùm aliena caro immolatur, & in obedientia propria voluntas; ideò & est obedientia inter virtutes morales suprema, propter quod etiam opera aliarum virtutum ideò sunt meritoria, quia fiunt ut divinæ obediatur voluntati, juxta illud Scripturæ: Qui dicit se nosse

Deum,& mandata ejus contemnit, mendax est. Cum quo tamen stat,quod non ideò sit obediẽtia omnibus prior,& quidem etiamsi ex Greg. omnes virtutes inferat menti, atque custodiat, quatenus scilicet ad eam pertinent actus omnium virtutum, prout sunt in præcepto; quandoquidem potest adhuc implere aliquis actum virtutis, non attendens ad rationem præcepti; & potest insuper infusio gratiæ, & virtutum præcedere etiam tempore omnem actũ virtuosũ. In ult. Moral. cap. 12.

Vtrum in omnibus sit Deo obediendum. ART. 4.

℞. *Affirmativè*, non quòd teneamur semper velle quod Deus vult; sed ita quod teneamur semper velle quod præcipit, sive quod vult nos velle. *Primum est*, quia cùm obediens moveatur per imperium ejus cui obedit, sicut res naturales moventur per suos motores; & sicut Deus est primus motor omnium quæ naturaliter moventur, ita & primus sit motor omnium voluntatum: ideò sicuti naturali necessitate omnia naturalia subduntur divinæ motioni, sic quadam necessitate justitiæ tenentur omnes voluntates obedire imperio Dei, qui quidem nihil potest præcipere contra virtutem, sicut nec movere contra naturam,sed solùm contra consuetum cursum, & consuetum virtutis modum;& sic præcepit Abrahæ ut filium occideret, & Iudæis ut res acciperent Ægyptiorum, tum Oseæ ut mulierem adulteram acciperet,quæ quidem non fuere contra justitiam,cùm & sit Deus author mortis & vitæ, & ejus sint omnia bona; & ille sit debitus modus utendi mulieribus, quem Deus instituit. Vnde non obediere quidem cæci, dicente Domino, quod mi- Matt. 9.

racula occultarent; sed nec etiam ipse quasi intendit eos obligare, sed potiùs ut exemplum sequentibus se daret, ut scilicet ipsi virtutes suas occultare desiderent; & tamen ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. *Secundum est*, quia non semper quantum ad omnia tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinæ in volito, ut suprà habitum est.

1.2. q.19. art.10.

ART. 5. *Vtrum subditi teneantur suis superioribus obedire in omnibus.* ℞. *Negativè*, ita quod in his quidem, quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum teneantur obedire; sed non his quæ pertinent vel ad interiorem motum, vel ad naturam corporum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm obediens moveatur imperio præcipientis ex quadam necessitate justitiæ, ut res naturales virtute motoris, necessitate naturali; & naturalium motus impediatur non solùm ob virtutem majorem alterius motoris, ut calefactio ligni ob vim aquæ, sed & propter defectum ordinis, seu subjectionis mobilis ad motorem, ut si humor subjiciatur actioni ignis quantum ad calefieri, sed non quantum ad exsiccari: ideò similiter & ex duobus potest quis impediri ne suo superiori teneatur obedire, putà vel ob præceptum majoris, juxta illud: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus; sed insuper quia aliquid præcipitur, in quo præcipienti non subduntur tanquam medio inter Deum, & subditos; sed immediatè Deo subduntur, à quo scilicet per legem, sive naturalem, sive scriptam instruuntur, qualia sunt non quidem quæ exteriùs agenda sunt per corpus, quæ scilicet pertinent

Actor. 5.

ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, ut erga militem, quæ pertinent ad bellum; erga servum, quæ spectant ad servilia; ad filium, quæ spectant ad disciplinam, & ad Religiosos, quæ pertinent ad regularem conversationem, secundùm quam, & non secundùm alia obedientiam profitentur, esto quod in aliis licitis obedire perfectionis sit, utpote ad quæ omnia extenditur patria, sive dominativa potestas; unde & de his dicit Apost. Obedite parentibus per omnia; sed vel quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, quæ soli subditur Deo, unde & dicit Seneca, Errat si quis existimat servitutem in totum hominem descendere; pars enim melior, mens scilicet, quæ est sui juris, excepta est: vel quæ ad naturam corporis pertinent, putà quantum ad corporis sustentationem, aut prolis generationem, in qua quidem natura pares sunt homines, non sibi subditi: unde nec sibi obedire tenentur de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.

Coloss. 3.

In 3. de beneficiis, c. 20

Vtrum Christiani teneantur secularibus potestatibus obedire. ℟. *Affirmativè*, ita quod liberi non sint per gratiam Christi à servitute corporali, quâ temporalibus Dominis tenentur astricti; si tamen isti justum habeant principatum, nec injusta præcipiant. *Primum est*, quia cùm per fidem Christi nõ tollatur ordo justitiæ, sed magis firmetur, utpote quæ ex Apost. est ejus principium, & causa; & requirat ordo justitiæ, ut inferiores suis obediant superioribus, quia aliàs humanarum rerum status conservari non posset; ideò licèt per Christum cessa-

ART. 6.

1. Cor. 3.

verit lex vetus, utpote quia figura fuit novi Testamenti, non tamen lex humana, quâ homini subjicitur, adeoque qui jam fiunt filii Dei, liberi quidem sunt à spirituali servitute peccati, non tamen à servitute corporali, quâ temporalibus Dominis tenentur astricti. Neque enim in statu hujus vitæ liberamur per Christi gratiam à defectibus corporis, sed solùm animæ, ut dicit Apost. *Secundum est*, quia cùm Principibus secularibus in tantum homo obedire teneatur, in quantum justitiæ ordo requirit; ideò si non habeant justum principatum, vel si injusta præcipiant, non tenemur obedire, nisi fortè per accidens, ob vitandum scandalum, & periculum.

Ad Rom. 7.

IN QVÆSTIONEM CV.

De inobedientia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum inobedientia sit peccatum mortale. R. Affirmativè, ita quod sit inobedientia, sive erga Deum, sive erga superiores spirituali vitæ seu charitati contraria, esto quod ex parte principii ortum habeat ex veniali. *Primum est*, quia cùm charitas Dei, cui quidem solùm contrariatur mortale, id exigat, ut mandatis ejus obediatur, ut dictum est; ideò esse divinis præceptis inobedientem mortale est: cúmque in divinis præceptis sit, quod superioribus obediatur, ut dicit Apost. propterea fit, quod etiam contrarietur charitati proximi, quod ei subtrahitur obedientia. Vnde quod dicit Ambr. quod omne peccatum est inobedientia, de mortalibus loquitur, non de venialibus, quæ quidem non sunt contra, sed præter præceptum. Cum quo tamen stat, quod si Prælatus tot ingerat præcepta,

2.2.q.24. art.12.

Rom.13.

ut ea ſubditus implere non poſſit,tunc excuſetur à peccato,utpote quia nullus obligatur ad impoſſibile. *Secundum eſt* , quia cùm videatur ad quandam excellentiam pertinere , quod homo præceptis alterius non ſubdatur , inde eſt quod inobedientia ex inani gloria oriatur, quæ quidem veniale eſt peccatum ; ex quo tamen nihil prohibet, oriri mortale, cùm veniale ſit diſpoſitio ad mortale.

Vtrum inobedientia ſit graviſſimum peccatum. ℞. *Negativè* , ita quod gravior ſit blaſphemia , & cætera directè pertinentia ad Dei contemptum ; tum etiam gravior ſit una inobedientia , quàm altera. *Primum eſt* , quia cùm gravius ſit contemnere præcipientem, quàm præceptum, utpote cùm ex reverentia præcipientis procedere debeat reverentia præcepti ; ideò & graviora ſunt peccata directè pertinentia ad Dei cōtemptum, ut blaſphemia, & aliquid hujuſmodi,etiam ſemotâ per intellectum inobedientiâ,quàm eſſet peccatum,in quo ſolùm contemnitur per inobedientiam Dei præceptum. Vnde non omnis inobedientia eſt peccatum in Spiritum ſanctum,ſed illa ſolùm cui obſtinatio adhibetur, utpote quia non conſtituit peccatum in Spiritum ſanctum contemptus cujuſlibet , quod peccatum impedit ; ſed tantùm illorum,quæ directè ducunt ad pœnitentiam : neque accipit Apoſtolus inobedientiam illam unius, per quam,inquit,peccatores conſtituti ſunt multi,ut eſt ſpeciale peccatum , cùm illud potiùs fuerit ſuperbiæ;ſed ſecundùm quod generaliter ſe habet ad omne peccatum:ſed neque comparatio illa Samuelis dicentis,

ART. 2. Rom. 5. 1. Reg. 15.

quod quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, est comparatio æqualitatis, sed similitudinis, quatenus scilicet redundat inobedientia in Dei contemptum, sicut idololatria. *Secundum est*, quia cùm magis debitum sit obedire superiori potestati, quàm inferiori, quandoquidem & prætermittitur præceptum inferioris, si sit præcepto superioris contrarium; ideò ex parte præcipientis potest una inobedientia esse gravior alterâ; sed & ex parte præceptorum, utpote cùm præcipiens non velit æqualiter impleri omnia quæ mandat, sed magis velit finem, & id quod est fini propinquius, præsertim respectu Dei, cujus quidem voluntas vult semper magis impleri, quod melius est; ad differentiam humanæ voluntatis, quæ non semper fertur in melius. Vnde nec est majus peccatum, cùm ex solo hominis præcepto obligamur, quando majus præteritur bonum, sed quando præteritur illud quod est magis de ipsius præcipientis intentione.

IN QVÆSTIONEM CVI.

De gratia, sive gratitudine.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum gratitudo sit specialis virtus ab aliis distincta. ℞. *Affirmativè*, ita quod & à religione, & pietate, & observantia, &c. distinguatur; sed sicut quodlibet posteriorum à priori, sive non per exclusionem, sed quasi ab eis deficiens. *Primum est*, quia cùm secundùm diversas causas, ex quibus aliquid debetur, necesse sit diversificari debiti reddendi rationem, & consequenter virtutes, quarum est reddere; & post Deum, parentes, & personas in dignitate constitutas, quas respiciunt religio, pietas, & ob-

ſervantia, particulariter obligemur benefactoribus, à quibus aliqua beneficia particularia percipimus, nec quidquid iis debemus, debeamus benefactori; ideò & habet gratitudo, quæ benefactoribus gratiam recompenſat, unde ab iis diſtinguatur, ſicut & à juſtitia commutativa, ad quam quidem non pertinet retributio proportionalis, niſi quando attenditur ſecundùm debitum legale, non autem quando fit ex ſolo debito honeſtatis, quo modo pertinet ad gratitudinem. *Secundum eſt*, quia cùm in materia debiti ſemper quod minus eſt in majori contineatur, proindeque & debitum ex gratitudine in debito ex religione, pietate, & obſervantia; ideò non per excluſionem, ſed ſicut poſterius à priori, & quaſi ab eis deficiens condiſtinguitur gratitudo, adeò ut religio ſit quædam ſupereminens gratitudo, ſicut & pietas.

ART. 2. *Vtrum magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens, quàm pœnitens.* ℞. *Negativè*, non quòd illud quod innocenti datur, non ſit abſolutè conſideratum majus; ſed quia quod datur pœnitenti eſt majus quid in comparatione ad ipſum. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm gratiarum actio reſpiciat gratiam dantis, proindeque & ubi major eſt gratia, quæ quidem ſic dicitur, quia gratis datur, ibi major requiratur gratiarum actio ex parte recipientis; ideò quoniam majus datur à Deo donum innocenti, abſolutè loquendo, cæteris paribus, utpote magis continuatum, juxta illud Aug. Gratiæ tuæ deputo & quæcumque non feci mala; ideò in quantum gratia dicitur major ex quantitate dati, ſic tenetur innocens ad (Lib. 2. Confeſſ. cap. 7.)

majores gratiarum actiones: sed quia quod pœnitenti datur, magis gratis datur, utpote quia dignus erat etiam pœna, proindeque & est quid majus hîc & nunc, & in comparatione ad ipsum, sicut parvum donum pauperi datum est hîc & nunc majus quid, quàm diviti magnum; ideo quia in his, quæ agenda sunt, magis consideratur quod est hîc vel nunc tale, utpote circa singularia peragenda, quàm quod est absolutè, & simpliciter tale, ut dicit Phil. de voluntario & involuntario, quasi majus censetur quod pœnitenti datur, & ad majores tenetur gratias.

3. Ethic. cap. 1.

ART. 3. *Vtrum homo teneatur ad gratiarum actiones omni homini benefacienti.* ℞. *Affirmativè*, ita quod benefactori in quantum tali debeatur honor & reverentia, sed per accidens debeatur & subventio, vel sustentatio. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm omnis effectus ad suam causam naturaliter convertatur, ut ait Dion. & ad finem agentis ordinetur; ideò cùm benefactor in quantum talis sit causa beneficiati, requirit naturalis ordo, ut qui beneficium suscepit, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem; & quidem per se loquendo per honorem & reverentiam, eo quòd habeat benefactor rationem principii: tum etiam per accidens per subventionem secundùm modum utriusque, si nimirum accidat, quod indigeat. Vnde licèt quis beneficium dederit, non cum gratia, sed magis cum contumelia, tarditate, & tristitia; non ideò debet recipiens à gratiarum actione cessare, minùs tamen, quàm si modo debito præstitisset, quia etiam be-

neficium minus est; sed neque cessare debet gratiarum actio ex eo, quod quis beneficium fecerit ad suam utilitatem, cùm etiam servis reddantur gratiæ ultra debitum facientibus; summæ namque malignitatis esset, ait Seneca, beneficium non vocare, nisi quod dantem aliquo afficit incommodo. Cum quo tamen stat, quod si qui beneficium dedit, in pejus mutatus est, debeat ei fieri recompensatio secundùm statum ipsius, ut ad virtutem reducatur, sicut & in felicitate existenti, per exhibitionem non lucri, sed honoris; si autem insanabilis sit, tunc salvâ, quantum fieri potest, honestate, memoria saltem habeatur præstiti beneficii. Recompensatio enim cùm maximè pendeat ex affectu, eo propterea modo fieri debet, quo magis est utilis; ita tamen, quod quia, ut ait Seneca, reddendum mihi est, non servandum cùm reddidero, ac tuendum, nec etiam imputetur recompensanti, si posteà per incuriam vertatur recompensatio in damnum. Lib 6. de benef. cap. 19.

Vtrum homo debeat statim beneficium recompensare. ℞. *Negativè*, adeò ut affectus quidem ad recompensandum debeat esse ab initio, sed donum opportuno tempore. *Ratio est*, quia cùm qui nimis citò cupit solvere, invitus debeat, proindeque si non convenienti tempore, sed statim velit aliquis munus pro munere reddere, non videatur esse virtuosa recompensatio, sed invita; ideò sicut etiam beneficia sunt opportuno tempore danda, nec amplius tardandum, cùm opportunum tempus advenerit; ita & expectari debet quantum ad donum tempus, quo recompensatio sit be- ART. 4.

nefactori opportuna, adeò ut qui ex fervore animi præoccupat tempus, hic laudandus non sit, utpote cùm feruor voluntatis, nisi sit ratione ordinatus, non sit virtuosus. Vnde est quidem statim solvendum legale debitum; non ita tamen morale, quod cùm dependeat ex honestate debentis, debet reddi tempore congruo, ut requirit rectitudo virtutis.

ART. 5. *Vtrum gratiarum actio sit attendenda secundùm affectum benefactoris, potius quàm secundùm effectum.* ℞. *Affirmativè*, nō quòd in omni recompensatione magis semper oporteat attendere affectum, quàm effectum; sed ita quod in quantum est recompensatio ex gratitudine, magis attendi debeat affectus dantis, quàm effectus. *Primum est*, quia cùm respiciat gratitudo beneficium secundùm quod est gratis impensum, quod quidem pertinet ad affectum; necnon & formaliter, ac principaliter consistat beneficium in voluntate, à qua scilicet pendet omnis actus moralis, ut est laudabile, & ut ei gratiæ recompensatio debeatur, nec nisi materialiter consistat in effectu; ideò & in recompensatione, prout ex gratitudine est, præcipuè attendendum ad benefactoris affectum, qui quidem, licèt per se loquendo à solo Deo cognoscatur; per signa tamen manifestatus etiam ab homine cognoscitur. Vnde est quidem gratitudo pars justitiæ, sed per quandam reductionem ad justitiæ genus, non autem ut species generis, sicque non eadem ratio debiti debet attendi in utraque. *Secundum est*, quia & quando pertinet recompensatio beneficii ad justitiam, ut cùm rationem habet debiti legalis, sicut

in mutuo, debet attendi tunc ſecundùm quantitatem dati; & quando pertinet ad amicitiam, ubi rationem induit moralis debiti, ſicut in amicitia honeſti debet reſpectus haberi ad affectum dantis, quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem; ſic & in amicitia utilis debet recompenſatio fieri ſecundùm utilitatem, quam quis ex beneficio conſequutus eſt, & conſequenter ſecundùm effectum.

Vtrum oporteat aliquem plus exhibere in recompenſatione, quàm ſuſceperit in beneficio. ℞. *Affirmativè*, non quòd in effectu plus ſemper exhibere oporteat, ſed ita quod huc ſemper tendat ex affectu, ut pro ſuo poſſe aliquid majus retribuat. ***Ratio utriuſque partis eſt***, quia cùm recompenſatio reſpiciat beneficium ſecundùm voluntatem benefacientis, in quo præcipuè commendatur, quod beneficium gratis contulit; ideo & ad hoc obligatur qui beneficium accepit, ut ſimiliter aliquid gratis impendat, ſi non quantum ad effectum, quo modo filius nec etiam æquale reddere poteſt, ſaltem quantum ad affectum & voluntatem retribuendi: quod tamen locum non habet, niſi excedat in affectu quantitatem accepti beneficii, quandoquidem ubi non niſi minus, vel æquale reddit, videtur ſolùm reddere quod accepit. Vnde ſicut in juſtitia attenditur æqualitas rerum, ita in gratitudine attendi debet æqualitas voluntatum, ut ſicuti ex promptitudine voluntatis quis beneficium contulit, ad quod non tenebatur; ita qui accipit, etiam aliquid ſupra debitum recompenſet. Neque inconveniens eſt, quod ex hoc fiat gratitudinis obligatio intermi- ART. 6.

nabilis, dum scilicet ad beneficium in recompensando de novo datum tenetur alter gratiam similiter recompensare, utpote quae obligatio ex charitate derivatur, quae quanto plus solvitur, tanto magis debetur.

IN QVAESTIONEM CVII.

De ingratitudine.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum ingratitudo sit semper peccatum. ℟. *Affirmativè*, & quidem taliter, quod nec ullus excusetur ab ingratitudine ex impotentia reddendi, nec à debito gratitudinis debeat ullus velle absolvi. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm debitum gratitudinis sit quoddam debitum honestatis, quam quidem virtus requirit; & ex hoc aliquid peccatum sit, quod repugnat virtuti, ideò & omnis ingratitudo peccatum est, & quidem taliter, quod nec propter impotentiam reddendi quis excusetur ab ingratitudine, quandoquidem ad hoc reddendum debitum sola voluntas sufficit, etiam ubi adesset oblivio, modò ex naturali infirmitate proveniat, non ex negligentia; sed nec debeat ullus velle absolvi à gratitudinis debito, utpote quod ex debito amoris derivatur. Cum quo tamen stat, quod ei, qui auxilium tulit ad peccandum, non debeatur gratiarum actio, quae soli debetur beneficio, non nocumento, nisi fortè propter voluntatem bonam, dum credidit adjuvare ad bonum, & juvit ad malum.

ART. 2. *Vtrum ingratitudo sit speciale peccatum.* ℟. *Affirmativè*, ita quod non minùs sit unū speciale peccatum, quàm gratitudo una specialis virtus, quanvis non ita speciale, quin in eo distinguantur diversi gradus. *Primum est*, quia cùm virtus gratitudinis

in aliquid amplius tendat, ut dictum est, proindeque & propriè nominetur ingratitudo ex gratitudinis defectu, sicut & omne vitium ex defectu virtutis, qui magis virtuti opponitur; ideò cùm omnis defectus, seu privatio speciem sortiatur secundùm habitum oppositum, erit ingratitudo speciale peccatum, cùm sic opponatur gratitudini, quæ est specialis virtus; & quidem quanvis in quolibet peccato sit materialis ingratitudo in Deum, utpote cùm formaliter ingratitudo sit, quando beneficium contemnitur, quod est speciale peccatum. Nec enim aliquid prohibet, formalem rationem alicujus peccati, ut accidit in hoc peccato, in pluribus peccatorum generibus materialiter inveniri. *Secundum est*, quia cùm secundùm ea, quæ ad gratitudinem requiruntur, primum sit, quod homo acceptum beneficium recognoscat; deinde quod laudet, & gratias agat; postremò quod retribuat pro loco & tempore secundùm suam facultatem: ita & secundùm eorundem ordinem habet ingratitudo diversos gradus, taliter tamen, quod quia quod est ultimum in generatione est primum in intentione; ideò primus ingratitudinis gradus sit, ut homo beneficium non retribuat: secundus, ut dissimulet: tertius, & gravissimus, quod non recognoscat, sive per oblivionem, &c. Et quia in affirmatione opposita intelligitur negatio, ideò ad primum gradum pertinet, quod retribuat mala pro bonis; ad secundum, quod beneficium vituperet; ad tertium, quod illud quasi maleficium reputet.

Vtrum ingratitudo semper sit peccatum ART. 3.

mortale. ℟. *Negativè*, non quòd non sit mortalis, quæ perfectam habet ingratitudinis rationem, sed ita quod ingratus dici possit, & ex sola omissione, & etiam contrarium agendo, peccando solùm venialiter. *Primũ est*, quia cùm de debito gratitudinis sit, ut homo aliquid liberaliter tribuat, ut suprà dictum est, ad quod propterea non tenetur; ideò nec est ingratitudo quà talis, peccatum mortale, esto quod venialis sit, quando id provenit ex quadam negligentia & indispositione ad virtutem, vel etiam mortalis, sive propter interiorem contemptum, sive propter conditionem ejus, quod subtrahitur, quando ex aliqua necessitate ipsi debetur benefico. Et quidem nedum de ea loquendo ingratitudine, quâ quis solùm omittit debitum gratitudinis, sed etiam quâ contrarium agit, utpote quæ secundùm conditioné ejus quod agitur est mortalis aliquando, & quandoque solùm venialis; unde etiam per peccatum veniale aliquis est ingratus Deo, prout scilicet aliquem tollit virtutis actum, per quem Deo obsequitur; quod quidem non est contra, sed præter charitatem, cùm actum solum excludat, non autem habitum. *Secundum est*, quia cùm per peccatum veniale non sit aliquis ingratus secundùm perfectam ingratitudinis rationem, alioquin omnes homines denominarentur ingrati; ideò quæ perfectam habet ingratitudinis rationem non nisi ex mortali peccato provenit.

ART. 4. *Vtrum ingratis sint beneficia subtrahenda.* ℟. *Negativè*, non quòd ingratus non sit dignus id pati, sed quia non oportet beneficum id facere. *Primum est*, tum quia non

debet quis tam citò judicare, alium esse ingratum, quia ut ait Seneca, interdum qui non reddit, gratus est; & forsitan non reddit, quia ei non occurrit opportunitas, &c. tum etiam, quia debet beneficus laborare, ut de ingrato faciat gratum; quod quidem si primo beneficio non fecit, fortè faciet secundo. Vnde esto quod à beneficiorum exhitione cessandum sit, quando ex beneficiis multiplicatis peior fit qui recipit; prius tamen est beneficiis novis sanandus, quàm beneficiorum subtractione puniendus; & hoc maximè, quia qui exhibet ingrato beneficium, dat ei occasionem gratitudinis & amoris, esto quod accipiens ex malitia sua occasionem quandoque sumat ingratitudinis, sed illud dati nō imputatur.

IN QVÆSTIONEM CVIII.

De vindicatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum vindicatio sit licita. ℞. *Affirmativè*; si tamen feratur intentio vindicantis, non quidem principaliter in malum illius, de quo vindicta sumitur; sed principaliter ad bonum aliquod, ad quod per pœnam peccantis pervenitur. *Primum est*, quia cùm vindicta, utpote quæ expectatur etiam à Deo, non sit per se mala; ideò fit quod ubi debitæ servantur circumstantiæ, quarum præcipua est, quod feratur intentio vindicantis principaliter ad bonum aliquod, ad quod per pœnam peccantis perveniatur, ut ad ejus emendationem, vel cohibitionem, ad quietem aliorum, ad justitiæ conservationem, & Dei honorem, tunc sit licita vindicatio, quæ quidem fit per aliquid pœnale ipsi inflictum peccanti. Vnde nec usurpat sibi quod Dei est, qui secun- Luc. 18.

dùm gradum sui ordinis vindictam exercet in malos, sed magis utitur potestate sibi divinitus concessa, ut dicit Apost. neque propterea desinit lex Evãgelii esse lex amoris, cùm adhuc illis solùm incutiatur timor per pœnas, qui ex amore non moventur ad bonum; sed nec tunc habet locum dictum illud Greg. Non fuit bonus, qui malos tolerare non potuit; cùm in hoc mali tolerentur à bonis, quòd ab eis proprias injurias patienter sustinent; non autem tolerari debeant usque ad injurias Dei & proximi, juxta illud Chrysost. quod in propiis injuriis esse quempiam patientem, laudabile est; injurias autem Dei dissimulare nimis est impium. Cum quo tamen stat, quod ubi tota multitudo peccavit, licèt quandoque tota puniri debeat, sicut Ægyptii subversi sunt in mari rubro; si tamen speretur multorum correctio, tum sufficiat exerceri in paucos principaliores, unde terreantur cæteri: imò & parcendum est multitudini, & omninò detrahendum severitati, si non possint mali puniri sine aliorum scandalo. Quod quidem locum etiam habet in Principe, quem sequitur multitudo; adeò ut tolerandum sit ejus peccatum, si sine graviori multitudinis scandalo puniri non posset. *Secundum est*, quia cùm delectari in malo alterius pertineat ad odium, quod repugnat charitati, quâ scilicet omnes diligere debemus; nec ullus excusetur si malum intendat illius, qui injustè ipsi intulit malum, sicut nec excusatur qui odit se odientem, utpote cùm nemo debeat in alium peccare propter hoc quod alius priùs peccavit in ipsum, quia malum vincendum est in bono, ex Apost. ideò

Rom. 13.
Hom. 38. in Evãg.
Rom. 13.

ideò & est omninò illicitum quando intentio vindicantis principaliter fertur in ejus malum, de quo scilicet vindictam sumit.

Vtrum vindicatio sit specialis virtus. ART. 2.
℟. *Affirmativè*, non quòd omnis peccatorum punitio spectet ad specialem virtutem, sed ita quod specialis sit virtutis, condistinctæ & à justitia commutativa, & zelo, & fortitudine, ut pertinet ad virtutem vindicationis. *Primum est*, quia cùm virtutes, ad quas quidem aptitudo inest nobis à natura, perficiant nos ad prosequẽdum debito modo inclinationes pertinentes ad jus naturale, proindeque & ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam ordinari debeat aliqua specialis virtus; ideò cùm vindicatio sit specialis inclinatio naturæ ad removenda impedimenta, seu nocumenta, utpote quæ repelluntur vel defendendo ne injuriæ inferantur, vel illatas ulciscendo, nõ quidem animo nocendi, sed magis nocumenta removendi; debet consequenter & specialis assignari virtus, scilicet vindicatio, cui quidem duo opponuntur vitia: alterum per excessum, scilicet peccatum crudelitatis, vel sævitiæ: alterum per defectum, ut cùm quis est nimis remissus in puniendo. Vnde disponit quidem fortitudo ad actum vindictæ, removendo prohibens, scilicet timorem periculi: similiter & importat zelus primam radicem vindicationis, prout dicit feruorem amoris, ex quo quis injurias alterius, quem amat, reputat quasi suas; sed quia hæc non sufficiunt, ut homo secundùm omnes circumstantias debitam conservet mensuram in vindicando, ideo ultrò requiritur specialis vindicationis vir-

tus. *Secundum est*, quia etsi punitio peccatorum, prout pertinet ad immunitatem personæ singularis, à qua injuria propulsatur, ad specialem spectet virtutem vindicationis; ut tamen pertinet ad publicam justitiam est actus commutativæ virtutis.

ART. 3. *Vtrum vindicatio debeat fieri per pœnas apud homines consuetas.* ℞. *Affirmativè*, non quòd ita fieri debeat, ubi scilicet timetur pro bonis; sed quia sic fieri potest etiam cum magna utilitate bonorũ. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm vindicatio in tantum licita sit, in quantum tendit ad cohibitionem malorum; & mali cohibeantur per hoc quod timent amittere quæ plus amant, quàm quæ peccando adipiscuntur, aliàs timor peccatum non compesceret; proindeque sumenda sit vindicta de peccatis per subtractionem omnium, quæ homo maximè diligit: ideò cùm hoc fiat per pœnas apud homines consuetas, putà per mortem, quâ amittitur vita; per verbera & talionem, quibus amittitur incolumitas corporis; per servitutem & vincula, quibus amittitur libertas; per exilium, quo amittitur patria; per damnum, per quod amittuntur divitiæ; per ignominiam, quâ amittitur gloria: propterea & fieri debet vindicatio per pœnas apud homines consuetas, non quidem ubi timetur pro bonis, cùm Dominus prohibeat eradicari zizaniam, quando timetur ne simul eradicetur triticum; sed quia possunt eradicari mali per mortem sine periculo, & cum utilitate bonorum; & hoc maximè, quia cùm plus terreat pœna, quàm alliciat exemplum culpæ, ideò etiam quando simul cum pœna innotescit & culpa, non

propterea eſt vindicatio nociva multitudini. Cum quo tamen ſtat, quod quanvis omnes mortaliter peccantes ſint digni morte æterna, quantum ſcilicet ad futuram retributionem; quia tamen pœnæ hujus vitæ medicinales ſunt, non niſi illis peccatis mortis pœna infligatur, quæ in gravem aliorum perniciem cedunt.

Vtrum vindicta ſit exercenda in eos qui involuntariè peccaverunt. ℟. *Negativè*, in hoc ſcilicet ſenſu, quod nulli niſi voluntariè peccanti infligi debet pœna ſub ratione pœnæ, eſto quod ut medicativa eſt, & pro præterito, & pro futuro, interdum puniatur aliquis ſine culpa, quanvis non ſine cauſa. *Primum eſt*, quia cùm pœna ſub ratione pœnæ non debeatur niſi peccato, utpote cùm per eam reparetur æqualitas juſtitiæ, ut qui peccando nimis ſequutus eſt ſuam voluntatem, aliquid contra ſuam voluntatem patiatur; ideo quia omne peccatum eſt voluntarium, nulli etiam niſi voluntariè peccanti infligi debet pœna ſub ratione pœnæ. Vnde illud, Viſitans peccata parentum in filios in tertiam & quartam generationem, magis videtur ad miſericordiam pertinere, quàm ad ſeveritatem, dum ſcilicet non ſtatim vindicat, ſed expectat, ut ſaltem poſteri corrigantur. Neque punitur aliquis pro peccato alterius, pœna ſcilicet temporali, niſi vel quia unus temporaliter eſt res alterius, ut filii, & ſervi, & bruta animalia; vel quia peccatum unius derivatur in alterum, ſive per imitationem, ſive per modum meriti; qua ratione peccata ſubditorum merentur peccatorem Prælatum; ſive per æqualem conſenſum, ſeu diſſimulatio-

Art. 4.

Exod. 20.

nem, aut etiam tantùm ad commendandam unitatem humanæ societatis, ex qua quidem debet unus solicitus esse pro alio, ne peccet. *Secundum est*, quia cùm medicina inferat aliquando nocumentum in minoribus, ut melioribus auxilium præstet; & bona temporalia sint minima, spiritualia autem sint maxima; ideo licèt in spiritualibus bonis nemo puniatur sine propria culpa, nec in præsenti, nec in futuro, utpote cùm spiritualis pœna pertineat ad animam, secundùm quam quilibet est liber sui; si tamen consideretur pœna ut medicina, non solùm sanativa, sed & præservativa, vel etiam promotiva ad aliquod bonum, aut solùm damnificativa, interdum puniri potest aliquis in temporalibus bonis sine culpa, ut sunt plures pœnæ præsentis vitæ divinitus *inflictæ* ad humiliationem, & probationem; sicut & pœnâ damni punitur aliquis secundùm humanum judicium, etiam sine culpa, licèt non sine causa, ut cùm quis sine culpa est ineptus ad aliquod bonum habendum, vel consequendum, quo modo propter lepram removetur aliquis ab administratione Ecclesiæ, vel propter bigamiam, aut judicium sanguinis à sacris Ordinibus; vel etiam quia bonum in quo damnificatur, non est proprium, sed commune, ut cùm Clerici privantur Episcopo, qui quidem pertinet ad bonum civitatis.

IN QVÆSTIONEM CIX.

De veritate.

ARTICVLVS PRIMVS. *VTrum veritas sit virtus.* ℞. *Affirmativè*, sumpta scilicet non secundùm quã aliquid dicitur verum, sed quâ aliquis verum dicit, seu verax est. *Primum est*, quia

cùm virtus sit, quæ bonum facit habentem, & opus ejus reddit bonum ; & hoc ipsum quod est verum dicere, seu verax esse, sit actus bonus, adeò ut etiam laudare seipsum de vero, in quantum est confessio veri, sit bonum ex genere, sicut & publicatio peccati, esto quod vitiosum sit, si fiat sine debita causa, seu cum defectu circumstantiarum ; ideò veritas hæc, quâ quis verax dicitur, virtus est, & quidem moralis, medium tenens inter superfluum & diminutū, tum ex parte objecti, quandoquidem verum ex sui ratione quandam importat æqualitatem, quod quidem æquale medium est inter majus & minus ; tum etiam ex parte actus, dicendo scilicet verum quando oportet, & secundùm quod oportet : unde & mediat inter superfluum, cùm quis importunè sua manifestat ; & defectum, seu diminutum, quod committitur, cùm occultantur quando non oportet. *Secundum est*, quia veritas secundùm quod veritate denominatur aliquid verum, non est habitus, qui tamen est genus virtutis ; sed est æqualitas quædam intellectus, vel signi ad rem intellectam, vel signatam, vel etiam rei ad suam regulam ; proindeque non virtus, sed objectum est, & finis virtutis.

Vtrum veritas sit specialis virtus. ℞. *Affirmativè* ; si tamen supponat, non pro ea, quâ vita, vel quælibet alia res dicitur vera ; sed pro veracitate, quâ verum dicimus. *Primum est*, quia cùm ad rationem virtutis humanæ pertineat, ut opus hominis bonum reddat, sicque necesse sit ut ubi in actu hominis invenitur specialis ratio bonitatis, ad hoc disponatur homo per specialem vir- ART. 2.

lib. de natura boni, c. 3.

tutem; ideò cùm ratio boni ex August. consistat in ordine, sitque quidam specialis ordo, secundùm quod exteriora nostra vel verba, vel facta debitè ordinantur ad aliquid, sicut signum ad signatum, ad quod perficitur homo per veritatem, quâ verum dicimus; propterea fit, quod veritas hæc, ad quam reducitur simplicitas, quippe quæ dicitur per oppositum ad duplicitatem, quâ aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exteriùs, sit specialis virtus; & quidem quanvis manifestatio ejus, quod ad ipsum hominem pertinet, fiat per quamlibet virtutem, quatenus quilibet habitus manifestatur per proprium actum, utpote cùm ad alias virtutes pertineat hæc manifestatio solùm ex consequenti, non autem ex principali intento, ex quo sortiuntur habitus speciem, sicut pertinet ad virtutem veritatis. Vnde convertuntur quidem verum & bonum subjecto: at cùm secundùm rationem se invicem excedant, adeò ut verum secundùm rationem propriam, quæ est perfectio intellectus, sit quoddam particulare bonum, ut appetibile quoddam est; ideò quanvis includat virtus rationem bonitatis, adhuc potest veritas esse specialis virtus, sicut verum est speciale bonum. *Secundum est*, quia dicitur vita vera, sicut & quælibet alia res, ex hoc quod attingit suam regulam & mensuram, scilicet divinam legem, per cujus conformitatem rectitudinē habet; quæ quidem veritas seu rectitudo communis est ad quamlibet virtutem.

ART. 3. *Vtrum veritas sit pars justitiæ.* ℞. *Affirmativè*, ita quod justitiæ annectatur, sicut virtus secundaria principali; si tamen pro ea

supponat veritate, quâ aliquis & vita, & sermone talem, qualis est, se demonstrat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ex hoc virtus aliqua justitiæ annectatur, sicut secundaria principali, quod partim cum justitia convenit, partim ab ejus perfecta ratione deficit; & virtus veritatis ita conveniat cum justitia, tum prout est ad alterum, in quantum quæ circa ipsum sunt, unus alteri manifestat: tum in quantum justitia æqualitatem quandam constituit in rebus, quod etiam facit veritas, quia adæquat signa rebus existentibus circa ipsum qui verax est: sed & deficiat veritas à perfecta ratione justitiæ, quantum ad debitum, quod legale est in justitia, & in veritate solùm morale, quatenus unus homo debet rationabiliter alteri id, sine quo humana societas servari non posset, ut est veritatis manifestatio, sine qua non esset fides; ideò & est veritas justitiæ annexa, sicut virtus secundaria principali; estque ejus manifestatio per exteriora signa actus voluntatis, sicut justitia, quanvis in quantum cognita pertineat ad intellectum; si tamen pro ea supponat veritate, quâ aliquis & vita, & sermone talem, qualis est, se demonstrat; non autem vel pro veritate justitiæ, secundùm quam aliquis servat rectitudinem legis in judiciis, quæ sunt ad alterum, quâ quidem principaliter intendit homo jus suū alteri reddere, & ideò quidam est particularis actus justitiæ; vel pro veritate vitæ, secundùm quam quis rectè vivit in semetipso; vel etiam pro veritate doctrinæ, utpote quæ consistens in manifestatione verborum, de quibus est scientia, non est di-

rectè pertinens ad præfatam veritatem.

ART. 4. *Vtrum virtus veritatis magis declinet in minus.* ℞. *Affirmativè*, non quidem modo negativo, ut scilicet neget sibi inesse quod inest; sed modo affirmativo, totum scilicet quod in ipso est bonum non manifestando. *Primum est*, quia & hoc fit sine præjudicio veritatis, cùm etiam in majori, quod quis non manifestat de seipso, sit id quod manifestat minus; & fit etiam prudentiùs, ut ait Arist. quandoquidem onerosi sunt aliis, quasi excellere volentes, qui majora de se dicunt, quàm sint; & è contra gratiosi illi qui dicunt minora, quasi aliis per quandam moderationem condescendentes. *Secundum est*, quia cùm incurratur falsum per hoc quod negat quis sibi inesse quod inest, ideò veritatis non est ita declinare in minus, negando; quanvis id etiam minus adhuc repugnet veritati, non quidem secundùm propriam rationem veritatis, sed secundùm rationem prudentiæ, quam oportet salvare in omnibus virtutibus, utpote cùm magis repugnet prudentiæ, quod quis se jactet habere quod non habet, quàm quod non existimet, vel dicat se non habere quod habet.

Lib. 4. Ethic. cap. 7.

IN QVÆSTIONEM CX.

De vitiis oppositis veritati.

ARTICVLVS PRIMVS. *Vtrum mendacium semper opponatur virtuti veritatis.* ℞. *Affirmativè*, ita quod directè, sive ex specifica differentia ei opponatur; si tamen sit formaliter tale, sive cum voluntate enuntiandi falsum, non autem solùm materialiter. *Primum est*, quia cùm mendacium nominetur ex eo, quod contra mentem dicitur, proindeque & ratio mendacii sumatur à formali falsitate,

quæ quidem tunc eſt, cùm quis habet fallendi voluntatem & intentionem, etiamſi verum fortaſſe dicat, propterea quod in moralibus, quæ ſcilicet dependent ex intentione voluntatis, cùm ſe habeat obiectum proximum voluntarii actus ad finem ſicut materiale ad formale, non eſt tunc verum, niſi materialiter, ubi eſt intentio dicendi falſum; conſequenter fit, quod ſit mendacium ita formaliter ſumptum, ſive ex ea parte, ex qua ſpeciem & denominationem ſortitur, ſemper oppoſitum virtuti veritatis. Et quidem ſive verbis, ſive nutibus falſum ſignificare intendat, utpote cùm voces præcipuum teneant locum inter alia ſigna; & ita cùm dicitur mendacium falſa vocis ſignificatio, ibi nomine vocis intelligatur omne ſignum. *Secundum eſt*, quia ubi eſt ſolùm falſum materialiter, putà ſi quis falſum enuntiet credens eſſe verum, cùm tunc falſitas ſit præter intentionem dicentis, & quod præter intentionem dicentis eſt, per accidens eſt, ex quo quidem non poteſt eſſe ſpecifica differentia; ideò nec tunc directè, nec ſpecificè opponitur virtuti veritatis, ſicut nec habet perfectam rationem mendacii; ita tamen quod nec cupiditas fallendi, ſeu falſitatem imprimendi pertineat ad ſpeciẽ mẽdacii, ſicut nec aliquis effectus pertinet ad ſpeciem ſuæ cauſæ, eſto quod pertineat ad perfectionem ipſius.

Vtrum mendacium ſufficienter dividatur per mendacium officioſum, iocoſum, & pernicioſum. ℞. *Affirmativè*, ita tamen quod non ſit hæc propria & per ſe mendacii diviſio; ſed in quantum habet mendacium rationem culpæ. *Primum eſt*, quia cùm diviſum men- ART. 2.

dacium sub ratione culpæ, secundùm ea dividi debeat, quæ ipsum aggravant, vel diminuunt; ideò rectè in officiosum dividitur, quod cùm fiat ob bonum utile, minuit rationem culpæ; in jocosum, quod fit ob bonum delectabile; & in perniciosum, quod cùm fiat causâ nocumenti, maximè aggravat. *Secundum est*, quia sumptum mendacium secundùm propriam rationem prout opponitur veritati, in jactantiam potiùs dividitur, quæ scilicet excedit verum in dicendo; & in ironiam, quæ deficit à veritate in minus, sicut & sumptum secundùm comparationem ad finem, in octo partes ultrò dividitur. Primum scilicet, quod est in doctrina religionis, quod est directè contra Deum. Secundum quod alicui obest, & nulli prodest. Tertium quod sic uni prodest, ut alteri obsit: quæ quidem ad mendacium spectant perniciosum. Quartum, quod fit sola mentiendi, & fallendi libidine, quod propriè oritur ex habitu vitioso. Quintum, quod fit cupiditate placendi. Sextum, quod alicui prodest ad obtinendam pecuniam, & nulli obest. Septimum, quod nulli obest, & prodest alicui ad mortem vitandam. Octavum, quod nulli obest, & ad vitandam corporis pollutionem alicui prodest. In quibus omnibus quanto melius est bonum intentum, tanto culpa mendacii est minor.

ART. 3. *Vtrum omne mendacium sit peccatum.* ℟. *Affirmativè*, ita quod nullo modo honestari possit, seu fieri licitum; & quidem etiamsi aliquando ex intentione dicentis non dicatur ad fallendum. *Primum est*, quia cùm nullo modo possit esse bonum & licitum, quod est secundùm se malum ex ge-

nete; & mendacium ſit hujuſmodi, utpote quod eſt ſemper actus cadens ſuper materiam indebitam, propterea quod cùm voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt, atque indebitum, quod homo aliquid voce ſignificet, ut facit in mendacio, quod non habet in mente; ideò fit, quod ex nullo capite honeſtari poſſit mendaciũ, ſed per ſe pravum ſit, & fugiendum, ut dicit Ariſt. Vnde nec in ulla ſcriptura canonica eſt mendacium, quandoquidem periret tunc fidei certitudo, quæ authoritati Scripturæ innititur, adeò ut quod in eis aliquãdo Evangeliſtarum verba diverſimodè recitentur, non propterea, inquit Aug. arbitrari debeamus mentiri quemquam, ſi pluribus reminiſcẽtibus rem quam audierunt, vel viderunt, non eodem modo atque eiſdem verbis eadem res fuerit indicata: nec obſtetrices in Ægypto fuere à Deo remuneratæ propter mendacium, ſed ob timorem Dei, & benevolentiam, ex qua proceſſit mendacium: neque mentiri cuiquam licet, ut aliquem à quocumque periculo liberet, eſto quod liceat veritatem prudenter occultare ſub aliqua diſſimulatione, ſicut fecit Abraham dicendo Saram eſſe ſororem ſuam, qui quidem celavit veritatem, ſed non dixit mendacium, quia verè erat etiam ſoror ex parte patris, ut dicitur Gen. 20. Sed nec quæ in Scriptura videntur mendacia, in dictis Sanctorum talia ſunt, ſed ſunt intelligenda ſecundùm Aug. myſticè, figuraliter, & propheticè, ſicut myſticè dixit Iacob, ſe eſſe Eſaü primogenitum, quia ſcilicet primogenitura ei de jure debebatur: & in hoc etiam ſenſu dici poteſt, verba Iudith ad

Lib. 4. Ethic. cap. 7.

Lib. 4 de conſenſu Evangel. cap. 12.

Exod. 1.

Holofernem veritatem habere secundùm aliquem mysticum intellectum; aut certè si mentita est, non ex eo laudatur, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi. *Secundum est*, quia quanvis ex intentione dicentis non dicatur mendacium aliquod ad fallendum, ut in mendacio jocoso; quia tamen ex ipso genere operis habet rationem fallendi, & ita est, quantum est ex se, deceptionis causa; ideo nec etiam tunc honestari potest mendacium, nisi fortè, ut ait Aug. honestum se aliquis arbitretur deceptorem. Cum quo tamen stat, non idem dicendum esse de hyperbolicis, aut quibuscumque figurativis loquutionibus, quæ etiam in Scriptura inveniuntur, utpote cùm omne figurativè aut dictum, aut factum hoc enuntiet, non quod significat quomodocumque, sed quod significat eis, quibus intelligendum prolatum est, ut notat Aug. in qua quidem acceptione non est mendacium.

Lib. contra mendacium, cap. 5.

ART. 4. *Vtrum omne mendacium sit peccatum mortale.* ℞. *Negativè*, ita quod possit quidem mendacium contrariari charitati, & secundùm se, & secundùm finem intentum, & etiam per accidens; non tamen semper contrarietur, etiam in viris perfectis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm possit mendacium contrariari charitati ex ipsa falsa significatione, quæ quidem si sit circa res divinas, contrariatur charitati Dei, & virtuti fidei ac religionis, unde & est gravissimum peccatum; si autem sit circa aliquid, cujus manifestatio spectat ad hominis bonum, opponitur charitati fraternæ; ideò & potest secundùm se contrariari charitati,

sicut & per accidens, ratione scilicet scandali, vel cujuscumque damni consequentis, quod etiam est mortale, dum quis ob scandalum non veretur publicè mentiri; necnon & propter finem intentum, ut si mendacium dicat ad injuriam Dei, vel damnum ac infamiam proximi; quod etiam est mortale, utpote cùm quis ex sola intentione peccati mortalis peccat mortaliter; sed quia finis intentus non est semper contra charitatem, ut in mendacio officioso, aut jocoso; ideò nec etiam semper ex fine intento mortale est, sicut neque secundùm se, seu ex falsa significatione, si nimirum falsa opinio ex mendacio generata sit circa aliquid, de quo non referat, utrum sic, vel sic cognoscatur. Vnde non nisi de mendacio pernicioso intelligitur dictum illud Scripturæ, & aliæ similes sententiæ: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Nec est mendacium contra præceptum Decalogi, nisi in quantum est contra dilectionem Dei & proximi, ut suprà dictum est; & quidem etiam in viris perfectis, nisi fortè per accidens ratione scandali, utpote cùm nulla circumstantia aggravet in infinitum, sive usque ad mortale, nisi quæ transfert in aliam speciem; & circumstantia personæ non transferat in aliam speciem, nisi fortè ratione alicujus annexi, putà si sit contra votum ipsius.

IN QVÆSTIONEM CXI.

De simulatione, & hypocrisi.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum omnis simulatio sit peccatū. ℞. *Affirmativè*, ita quod qua ratione mendacium semper peccatum est, pari ratione & simulatio; si tamen non largè sumatur simulationis nomen pro quacumque fictio-

ne, sed propriè. *Primum est*, quia cùm nihil referat ad mendacium, an quis mentiatur verbis, vel alio facto; ideo sicut veritati opponitur, & quidem culpabiliter, quod quis per verba exteriora aliud significet, quàm quod habeat apud se, quod ad mendacium pertinet; ita & opponitur veritati, & consequenter peccatum est, quod aliquis per signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, sive sit de bono, sive de malo; quod quidem propriè est simulatio, quæ est mendaciũ quoddam in signis exteriorum factorum consi-
Luc. ult. stens. Vnde non simulavit Christus, quando se finxit longiùs ire, utpote qui ita composuit motum suum, quasi volentis longiùs ire, ad figurativè significandum quod lon-
Lib. 2. de quæst. Evang. cap. 51. gè erat ab eorum fide; ut enim notat Aug. tunc solùm quod fingimus, mendacium est, quando nihil significat, non autem quando ad aliquam refertur significationem, quo modo finxit & Abraham, cùm dixit ser-
Gen. 22. 1. Reg. 21. vis: Ego & puer, cùm adoraverimus, revertemur ad vos; & David dum immutavit faciem suam coram Achis Rege Geth, utpote cùm tunc fictio sit aliqua figura veritatis; bene tamen simulavit Iehu Rex Israel,
4. Reg. 10. dum interfecit Sacerdotes Baal, fingens se idola colere velle; sed nec eũ excusare à peccato necesse est, cùm malus fuerit, sicut nec pro simulatione fuit remuneratus à Deo, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal. *Secundum est*, quia loquendo de simulatione largè pro quacumque fictione, utilem dicit Hieron. simulationem, & in tempore assumendam, cùm tamen nullum peccatum sit utile.

Vtrum hypocrisis sit idem quod simulatio. ART. 2.
℞. *Affirmativè*, non quòd sit omnis simulatio, sed ita quod sit idem cum simulatione, quâ simulat personam alterius. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm tractum sit nomen hypocritæ à specie eorum, qui in spectaculis contecta facie incedunt, distinguentes vultum vario colore, ut ad personæ quam simulat, colorem perveniat; proindeque qui in Ecclesiis, & in omni vita humana se vult videri quod non est, hypocrita sit, quippe qui se justum, vel talem simulat, sed non se talem exhibet; ideò & est idem hypocrisis cum simulatione (etiam quamvis consistat hæc in exteriori signo, & in hypocrisi attendatur mala intentio, utpote quæ solùm attenditur ut signatum, quod non respondet signo;) si tamen pro ea simulatione, quâ simulat personam alterius. Vnde & qui per bona opera quæ facit, ex suo genere ad Dei servitium pertinentia, non quærit Deo placere, sed hominibus, est simulator, sicut hypocrita; non quòd simulet rectum opus quod facit, sed quia simulat intentionem rectam, quam non habet. Cum quo tamen stat, quod quia habitus sanctitatis, putà religionis, significat statum, quo quis obligatur ad opera perfectionis; ideò esset quidem hypocrita, qui talem assumeret habitum, ut se justum ostéderet; non tamen si intenderet se ad statum perfectionis transferre, & per infirmitatem deficiat, quippe qui non tenetur peccatum suũ manifestare sanctitatis habitũ deponédo

Vtrum hypocrisis opponatur virtuti veritatis. ℞. *Affirmativè*, non quòd non opponatur & alteri virtuti indirectè, sed ita ART. 3.

quod ad virtutem veritatis habeat oppositionem directam. *Primum est*, quia cùm directa oppositio hypocrisis ad aliquam virtutem sit attendenda secundùm speciem actus, quæ quidem accipitur secundùm proprium objectum, & finem proximum; ideò cùm sit hypocrisis simulatio quædam, quâ quis se simulat habere personam, quam non habet, adeò ut se alium ostendere quàm sit, sit finis proximus, nec sit lucrum, vel gloria finis simulatoris, nisi remotus; ideò & directè opponitur veritati, quâ scilicet nos vita & sermone exhibemus, quales sumus, non autem alteri virtuti, quantumvis eam simulet; nec enim eam assumit, ut finem, nisi secundùm apparentiam, quasi volens videri eam habere, proindeque non illi virtuti, sed veritati directè opponitur, in quantum scilicet vult homines decipere circa illam virtutem. Cum quo tamen stat, quod etiam directè opponatur simplicitati, utpote quæ est eadem cum veritate, seu sola ratione differens, quatenus dicitur veritas secundùm quod concordant signa signatis; simplicitas autem, secundùm quod non tendit ad diversa. *Secundum est*, quia attendi potest indirecta oppositio hypocrisis secundùm quodcumque accidens, putà secundùm aliquem finem remotum lucri, vel gloriæ, vel etiam secundùm aliquod instrumentum actus, dum nunc per orationem, nunc per jejunium virtutem simulat, in quibus omnibus oppositionem habet ad alias virtutes.

ART. 4. *Vtrum hypocrisis semper sit peccatum mortale.* ℞. *Negativè*, ita quod sit quidem hypocrita in peccato mortali, ex quo privatur

ſanctitate; non tamen ſemper ſit ei ſimulatio ſanctitatis peccatum mortale, ſed quandoque veniale. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm intentio hypocritæ, quà talis, ſit ut videatur bonus, quod quidem non eſt contra charitatem; & naſcatur hypocriſis ex inani gloria, quæ non eſt ſemper peccatum mortale; nec quælibet perfectio ſanctitatis, quam quis ſimulat, ſit de perfectione ſalutis; ideò eſt quidem hypocriſis peccatum mortale, prout includit & defectum ſanctitatis, & ſimulationem ipſius, ut ſcilicet hypocrita dicatur, qui non curat ſanctitatem habere, ſed ſolùm ſanctus apparere, ut conſuevit accipi in Scriptura: eſt, inquam, tunc peccatum mortale, cùm nullus totaliter privetur ſanctitate, niſi per peccatum mortale; non ita tamen quod ſemper ipſa ſimulatio mortalis ſit, ſicut nec ſemper eſt mendacium mortale, ſed eſſe poteſt quandoque venialis; quod quidem diſcernendum erit ex fine, qui ſi ſit contra charitatem Dei, vel proximi, erit mortalis, ſecus autem venialis.

IN QVÆSTIONEM CXII.

De jactantia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum jactantia opponatur virtuti veritatis. ℞. *Affirmativè*; ſi tamen ſermo ſit de jactantia, non ſecundùm quod ſolùm excedit opinionem, vel etiam ſecundùm ſuam cauſam, ſed magis propriè dicta. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia licèt etiam jactantia ſit, cùm aliquis verbis ſe extollit, non ſupra id quod in ſe eſt, ſed ſupra id, quod de eo homines opinantur, quam fugiebat Apoſt. dicens: Parco ne quis me exiſtimet, &c. tamen magis propriè jactantia

dicitur, quando aliquis se verbis extollit supra id quod in ipso est secundùm rei veritatem; proindeque licèt jactantia priori modo sumpta in ordine ad opinionem non semper opponatur veritati, sicut cùm aliquis excellentiam suam ostentat, ut refert
Hester 1. Scriptura de Assuero; quia tamen magis judicandum est aliquid secundùm id quod est in se, quàm secundùm quod est in opinione, ideò adhuc veritati opponitur jactantia secundùm excessum, si nimirum consideretur propriè & secundùm speciem actus, esto quod secundùm suam causam possit alteri quàm veritati opponi; quandoquidem etsi non semper, tamen utplurimùm ex superbia procedit, sicut à causa interiùs motiva, & impellente, unde & ponitur à
Lib. 31. Mor. cap. 31. Greg. species superbiæ: necnon & causatur ex divitiis, vel occasionaliter prout aliquis de divitiis superbit, vel etiam per modum finis, prout scilicet aliqui seipsos jactant, non solùm propter gloriam, sed etiam propter lucrum, ea scilicet de seipsis fingendo, ut quod sint Medici, aut Divini, ex quibus lucrari possunt.

ART. 2. *Vtrum jactantia sit peccatum mortale.*

℞. *Negativè*, non quòd quandoque non sit mortale, sed ita quod sive secundùm se, sive secundùm causam suam consideretur, possit esse veniale. *Ratio utriusque partis est*, quia si consideretur jactantia secundùm se, ut est mendacium quoddam, sicut mortale est quando quis jactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei, vel contra charitatem proximi, ut Pharisæus apud Lucam,
Luc. 18. quo quidem modo est mendacium perniciosum; sic & est solùm veniale, quando

quis de se talia jactat, quæ nec Dei, nec proximi charitati contrariantur; sic enim pertinet ad mendacium officiosum, ut si jactet se ad hoc ut gloriam, vel lucrum acquirat, dummodò sit sine alterius damno: sicut autem si secundùm suam causam consideretur, putà secundùm superbiam, vel appetitum lucri, aut inanis gloriæ, mortale est peccatum, si causa sit mortalis, in quo sensu intelligenda venit Glossa Eccles. 6. putà cùm ex superbia oritur; vel etiam quando quis se jactat eo fine, ut jurgia concitet, adeò ut sit jactantia jurgiorum causa, nedum per accidens, sed etiam per se: sic etiam solùm venialis erit, si causa sit solùm venialis.

IN QVÆSTIONEM CXIII.

De ironia.

VTrum *ironia, per quam aliquis de se fingit minora, sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit quis de se minora dicere sine peccato, sed ita quod peccatum sit, in quantum ex ironia minora dicit. *Primum est*, quia à veritate declinat qui ex ironia minora dicit, ut cùm quis asserit de se aliquid vile, quod in se non recognoscit, aut cùm negat de se aliquid magnum, quod tamen percipit in seipso esse, quod quidem semper est peccatum, etiamsi fieret ut superbia vitaretur; quia, ut ait Aug. cùm humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antequam mentiaris, mentiendo effeceris; nec enim faciendum est unum peccatum, ut vitetur aliud; sed ita in hoc casu caveri debet arrogantia, ut veritas non relinquatur. Vnde quod dicit Greg. quod bonarum mentium est suas ibi agnoscere cul-

ARTICVLVS PRIMVS.

Lib. de verbis Apostoli serm. 29.

In epistola ad Aug. Anglorum Episcopum. pas, ubi nulla est culpa, non aliter intelligi debet, nisi quod homo, qui ad justitiæ perfectionem tendit, in culpam reputare debet, non solùm si deficiat à communi justitia, quod verè culpa est, sed etiam si deficiat à perfectione justitiæ, quod quandoque culpa non est. Neque negavit Amos, (Amos cap. 7.) se esse Prophetam, nisi ex origine; quia scilicet de genere Prophetarum non erat ut postea subdit: sicut nec qui à Deo erat confortatus, dixit Proverb. 30. (Prov. 30.) Stultissimus sum virorum, nisi secundùm reputationem humanam, propterea quod humana contemnit, quæ hominum sapientia quærit. *Secundum est*, quia potest quis de se minora dicere, etiam salva veritate, & consequenter sine peccato, putà dum vel majora quæ in ipso sunt, reticet, vel quædam minora de se profert, quæ nihilominus in se recognoscit. Ita tamen quod id ad ironiam non pertineat, sicut nec est peccatum secundùm genus suum, nisi fortè per alicujus circumstantiæ corruptionem.

ART. 2. *Vtrum ironia sit majus peccatum, quàm jactantia.* ℞. *Negativè*, non quòd non sit in aliquo æqualis, imò & aliquando peior jactantiâ; sed ita quod utplurimùm jactantia gravior sit. *Ratio utriusque partis est*, quia licèt ironia, & jactantia in hoc æqualia sint, quod circa conditionem personæ vel verbis, vel quibuscumque exterioribus signis mentiuntur; quia tamen utplurimùm jactãtia ex turpiori procedit motivo, scilicet ex appetitu lucri, vel honoris; ironia verò ex hoc quod fugit (licèt inordinatè,) per elationem aliis gravis esse; ideò potest quidem ironia in aliquo æqualis esse, ex parte

ſcilicet materiæ, in quantum utraque declinat à veritate; imò & aliquando eſſe gravior, quando ſcilicet ex doloſa humilitate nequiter vocẽ ſuam ſubmittit, juxta illud, Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius; eſt tamen utplurimùm jactantia gravior, & quidem quanvis vitium ironiæ, & jactantia ſimul aliquando concurrant, dum ſcilicet aliquis per verba, vel ſigna prætendit quidem defectum in exterioribus rebus, ſed per hoc ipſum intendit aliquam oſtendere ſpiritualem excellentiam; nec enim tunc ironia eſt idem cum jactantia, quandoquidẽ ſunt ibi ſecundũ diverſa. Prov.26.

IN QVÆSTIONEM CXIV.

De amicitia, quæ affabilitas dicitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum amicitia ſit ſpecialis virtus. ℞. *Affirmativè*, loquendo ſcilicet de amicitia, non quæ conſiſtit principaliter in affectu, ſed quâ quis habet ſe decenter ad eos, cum quibus converſatur. *Primum eſt*, quia cùm virtus ordinetur ad bonum, proindeque & ubi occurrit ſpecialis ratio boni, quod quidem in ordine conſiſtit, oporteat eſſe ſpecialem virtutem; ideo cùm oporteat convenienter ad alios ordinari in communi cõverſatione, tam in factis, quàm in dictis, adeò ut ad ſapientem pertineat, ut condelectationem honeſtam afferat his cũ quibus verſatur, juxta illud: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, &c. eſto quod etiam aliquando contriſtet ſapiens, propter ſcilicet bonum aliquod conſequendum, vel malum fugiendum, ut Paulus fecit, & Ariſt. docet, debet propterea eſſe quædam ſpecialis virtus, quæ hanc obſervet conve- Pſal.132. 2.Cor.7. 4. Ethic. cap.6.

nientiam ordinis, quæ quidem vocatur amicitia, sive affabilitas. Vnde non ideò di-
Eccles.7. citur cor sapientum esse ubi est tristitia, quasi ipsi proximo tristitiam inferant, sed magis ut contristantibus consolationem conferant ex affabilitate; sicut nec cor stultorum ubi lætitia, quasi ipsi alios lætificent, sed ut aliorum potiùs lætitiâ perfruantur. *Secundum est*, quia amicitia quæ in affectu consistit principaliter, ad omnem generaliter consequitur virtutem, utpote cùm bonum omnibus sit amabile, ut ait Dion. proindeque & virtus quælibet sit amicitiæ causa.

ART.2. *Vtrum hujusmodi amicitia sit pars justitiæ.*

℟. *Affirmativè*, ita quod habeat unde cum justitia conveniat, sed etiam unde ab ea deficiat, velut secundaria à principali. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm sit hæc amicitia ad alterum, utpote cùm teneatur homo ex quodam naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat, nisi propter aliquam causam necesse sit aliquãdo eos utiliter contristare; ideò & habet ex hoc cum justitia convenire, & ei adjungi tanquam pars, & quidem potiùs quàm temperantiæ, ad quam non pertinet refrenare nisi delectationes sensibiles; cùm tamen hæc virtus consistat circa delectationes in convictu, quæ ex ratione proveniunt; sed quia non habet perfectam debiti rationem, ex quo scilicet aliquis alteri obligatur, vel debito legali, ad cujus solutionem lex cogit; vel alio debito ex suscepto beneficio proveniente, utpote quæ solùm attendit quoddam debitum honestatis ad omnibus decenter convivendum, in quo quidem

ſenſu dicit Ariſt. quod ſimiliter ad notos & ignotos operatur, non ita quod eodem modo colloqui debeat & convivere notis, & ignotis, ſed quia ad omnes oportet facere, quod decens eſt; ideò & à juſtitia deficit, velut ſecundaria virtus à principali. 4. Ethic. cap. 6.

IN QVÆSTIONEM CXV.

De adulatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum adulatio ſit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non poſſit quis aliũ laudare ſine peccato, ſed ita quod peccatum ſit quoties ex adulatione laudat. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm amicitiæ virtus, ſive affabilitas, licèt intendat principaliter delectare; tamen ubi neceſſe eſt propter aliquod exequendum bonum, vel malum fugiendum, etiam contriſtat: ideo poſſumus quidem ad delectationem laudare ſine peccato, ſi nimirum ſerventur debitæ circumſtantiæ, utpote quod pertinet tunc ad virtutem amicitiæ; ſi tamen quis velit in omnibus ad delectationem loqui, ſive hoc fiat ſola intentione delectandi, in quo caſu dicitur ex adulatione placidus, ſive intentione lucri conſequendi, ex quo ſimpliciter dicitur adulator, cùm tunc excedat modum in delectando; ideò & tunc peccatum eſt, & vitioſum: ſicut & vituperare malum, ſi debitæ prætermittantur circumſtantiæ, eſt etiam malum; & quidem licèt contrarietur adulatio detractionis vitio; nihil enim prohibet duo vitia habere aliquid unde ſibi contrarientur.

ART. 2.

Vtrum adulatio ſit peccatum mortale. ℞. *Negativè*, ita quod veniale tantùm ſit, ſi ex ſola aviditate alios delectandi, vel ad aliquod vitandum malum iis aduletur, eſto

quod sit mortale, ubi vel laudatur peccatum, vel cum intentione nocendi, vel etiam cum occasione peccandi. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm peccatum mortale sit, quod charitati opponitur; & in priori casu charitatem non extinguat, unde & Aug. inter peccata minuta hoc numerat; benè tamen in aliis casibus, ut cùm laudatur peccatum, quod quidem est contra dilectionem Dei, quia contra ejus justitiam loquitur; & contra dilectionem proximi, quem scilicet in peccato suo fovet; ideò & in his solùm casibus, de quibus intelligi debent, quæ in contrarium afferuntur authoritates, est adulatio peccatum mortale; ita tamen, quod in postremo casu ubi sit laus adulatoris occasio alteri ad peccandum, considerandum sit, an sit occasio data, vel accepta, sicut & qualis inde consequatur ruina.

Serm. 4. de purg.

IN QVÆSTIONEM CXVI.

De litigio.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum litigium opponatur virtuti amicitiæ, seu affabilitatis. ℞. *Affirmativè*, ita quod contradictio, ut spectat ad litigium, seu facta intentione contristandi, opponatur amicitiæ, esto quod ea quæ fit propter personam dicentis, potiùs pertineat ad discordiam. *Primum est*, quia cùm amicitiæ sit aliis delectabiliter convivere, ideo & ei opponitur contradictio illa in verbis, quæ oritur ratione personæ, quam scilicet quis contristare non veretur; adeò ut licèt litigium oriatur quandoque ex ira, non tamen sit necesse, quod opponatur mansuetudini, utpote cùm unum vitium ex diversis causis oriri possit, sicque directa oppositio

oppositio vitiorum ad virtutes non attendatur secundùm causas, sed magis secundùm speciem actus, ex quo quidem opponitur contradictio præfata ad contristandum ipsi amicitiæ, ut docet Arist. qui propterea eos qui contristant, litigiosos, & discolos vocat. Vnde & illud, Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris? non nisi de concupiscentia intelligitur, secundùm quod est generale peccatum, ex quo omnia oriuntur vitia, non autem ut specialiter opponitur temperantiæ. *Secundum est*, quia ubi contingit contradictio propter personam dicentis, cui scilicet contradicens recusat consentire ob defectum amoris, potiùs pertinet ad discordiam charitati contrariã, sicut & contentio.

4. Ethic. cap. 6.

Iacob. 4.

ART. 2.

Vtrum litigium sit gravius peccatum, quàm adulatio. ℞. *Affirmativè*, non quòd secundùm aliqua exteriora motiva non possit adulatio esse gravior, sed ita quod secundùm speciem utriusque gravius sit litigium. *Primum est*, quia cùm tanto aliquod vitium sit gravius, secundùm speciem, quãto magis repugnat oppositæ virtuti, & hujusmodi sit litigium, quandoquidem amicitiæ virtus principaliùs tendit ad delectãdum, quàm ad contristandum; ideò & est secundùm speciem adulatione gravius, & hoc maximè, quia sicut potest adulator nocere occultè decipiendo; ita & litigiosus potest interdum nocere, manifestè impugnando: quod quidem gravius est propter violentiam, sicuti & hac de causâ gravior est rapina, quàm furtum. Vnde potest quidem adulatio, quia est cum dolo, esse turpior, non tamen est propterea gravior;

quanvis etiam de ipsa magis verecundetur homo, utpote cùm verecundia sequatur turpitudinem, cum qua tamen non semper commensuratur gravitas: quod patet in peccatis carnalibus, & spiritualibus, quorum illa turpiora sunt, quanvis ista graviora. *Secundum est*, quia secundùm exteriora motiva potest quis intendere adulando indebitum honorem, vel etiam lucrum acquirere per deceptionem, in quo casu gravior est adulatio; sicut è contra gravius est litigium, quando intendit homo vel veritatem impugnare, vel dicentem in contemptum adducere.

IN QVÆSTIONEM CXVII.

De liberalitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTtrum liberalitas sit virtus. ℞. *Affirmativè*, non quòd virtus sit ex hoc precisè, quod multa consumuntur, & expenduntur, etiam in bonos usus; sed ita quod ex hoc, quod liberalitatis est benè uti his rebus, debeat liberalitas esse virtus. *Primum est*, quia cùm benè uti his, quibus malè uti possumus, pertineat ex Aug. ad virtutem; & possimus benè, vel malè uti non solùm his quæ intra nos sunt, ut passionibus, sed etiam his, quæ sunt extra, scilicet rebus ad sustentationem vitæ concessis; ideò ex hoc quod liberalitatis est benè uti his rebus, habet esse virtus: superabundantia namque divitiarum, ut ait Basilius, datur aliquibus à Deo, ut meritum bonæ dispensationis acquirant, ac proinde cùm pauca uni sufficiant, plura in alios laudabiliter expendit liberalis quàm in seipsum; ita tamen, ut sic in alios intendat, quod omninò se, & suos non despi-

Lib. de lib. arb. cap. 19.

Serm. ad divites.

ciat, quod non esset liberalitatis, utpote ad quam pertinet ita divitias emittere, ut tamen remaneat unde emittens sustentetur, aut unde virtutis opera exequatur, ut ajunt Arist. & Ambros. quibus ad beatitudinem pervenitur; nisi fortè quis, ut Elisæus, omnia sua pauperibus daret, ut nullâ curâ domesticâ teneretur, quod quidem pertinet ad perfectionem. *Secundum est*, quia ut ait Ambros. si adjuves eum, qui possessiones aliorum eripere conatur, non probatur largitas: sicut nec illa perfecta est liberalitas, si jactantiæ causâ, magis quàm misericordiæ largiaris: imò sicut & aliarum virtutum opera faciunt homines antequam habeant virtutis habitum, licèt non eodem modo, quo virtuosi, ut jam dictum est; nihil etiam prohibet aliquos multa in bonos usus expendere, & habitum liberalitatis non habere: sicut è contra quia consistit liberalitas non in datorum multitudine, sed in habitu dantis, nec etiam prohibet virtuosos aliquos, quanvis pauperes, nihilominus liberales esse.

1. Ethic. cap. 1. Lib. 1. off. c. 20.

1. 2. q. 65. art. 1.

Vtrum liberalitas sit circa pecunias. ℞. *Affirmativè*, non quidem tanquam circa materiam immediatam, sed tanquam circa objectum passionum, quæ sunt immediata materia. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad liberalem pertineat esse emissivum, quod etiam ex ipso patet nomine, utpote cùm aliquis aliquid à se emittens, illud quodammodo à sua custodia, & dominio liberet, & animum suum ab ejus affectu ostendat liberum, unde etiam largitas nominatur; ideò quia ea quæ emittenda sunt ab uno homine in alium, sunt bona possessa, ART. 1.

quæ quidem omnia nomine pecuniæ significantur, eo quòd antiqui bona omnia sic habita habebant in pecoribus, est consequenter liberalitas circa pecunias, non tamen velut circa immediatam materiam, quæ potiùs sunt ipsæ interiores passiones, utpote cùm non attendatur liberalitas in quantitate dati, sed in ipso dantis affectu, qui quidem disponitur secundùm passiones amoris, & concupiscentiæ, & per consequens delectationis, & tristitiæ; sed tanquam circa hujusmodi passionum objectum. Cum quo tamen stat, adhuc esse pecuniam materiam justitiæ, sed sub alia ratione, ut scilicet æqualitatem constituat in his rebus.

ART. 3. *Vtrum uti pecunia, seu divitiis, sit actus liberalitatis.* ℞. *Affirmativè*; non tamen sub quacumque ratione, sed in quantum divitiæ sunt. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virtus quælibet convenienter se habeat ad suum objectum, ex quo quidem sumitur species actus, proindeque & liberalitatis actus sit proportionatus pecuniæ; ideò cùm cadat hæc sub ratione bonorum utilium, utpote quia omnia exteriora bona ad usum hominis sunt ordinata, debet bonus divitiarum usus esse proprius liberalitatis actus, non quidem secundùm rationem debiti, cùm sic pertineat usus ad justitiam; sicut nec sub ea ratione, quâ assumuntur ad alicujus operis magni expletionem; sic enim spectat ad magnificentiam, sed in quantum sunt consumptibiles divitiæ. Vnde quia usus pecuniæ, sive divitiarum est duplex, alter ad seipsum, qui videtur ad sumptus & expensas pertinere; alter ad

alios, qui pertinet ad dationes; ideò & liberalitatis eſt, cujus quidem propinqua materia ſunt interiores paſſiones, efficere ne quis propter immoderatum pecuniæ amorem impediatur à convenientibus expenſis, ſicut nec à convenientibus dationibus. Cum quo tamen ſtat, quod quia ad virtuoſum pertinet, non ſolùm convenienter uti ſuâ materiâ, vel inſtrumento, ſed etiam præparare opportunitates ad benè utendum, ideò & liberalis ſit non ſolùm dare, ſed etiam præparare, conſervare, & accipere ad idoneos uſus.

Vtrum ad liberalitatem maximè pertineat dare. ℞. *Affirmativè*, ita quod laudetur maximè liberalis ex datione, modò tamen fiat datio convenienter. *Primum eſt*, quia cùm proprium ſit liberalis uti pecunia, uſu ſcilicet non acquiſitionis, vel cuſtodiæ, utpote quæ magis aſſimilantur generationi, & habitui, ſed emiſſionis; ideò cùm emiſſio quanto ſit ad aliquid diſtantius, tanto à majori virtute procedat, ut patet in his, quæ projiciuntur; & virtutis proprium ſit, ut præcisè tendat in id, quod perfectius eſt, cùm ſit perfectio quædam, maximè etiam ad liberalitatem pertinet dare, quandoquidem ex majori virtute procedit, quod aliquis emittat pecuniam aliis dando, quàm expendendo eam circa ſeipſum; & hoc maximè cùm in ſeipſum inclinetur à natura, & non niſi ex virtute in alios. Vnde liberalis non eſt eſſe ad recipiendum promptus, & multò minùs ad petendum, cùm liberalitas ſit ita principium dationis, nec ſit idem principium agendi, & patiendi. *Secundum eſt*, quia cùm ad liberalitatem ART. 4.

pertineat convenienter uti pecunia, ut di-
Art. præc. ctum est, ad quod quidem major etiam requiritur prudentia, quàm ad utiliter conservandum, quandoquidem plura sunt attendenda in usu, qui motui assimilatur, quàm in conservatione, quæ assimilatur quieti; consequens est, ut & ad eam pertineat convenienter dare, quod est quidam pecuniæ usus; taliter tamen, quod quia ei opponitur, & non dare quod convenienter est dandum,& dare aliquid inconvenienter; sed primum magis, quia scilicet plus opponitur proprio actui: hinc de utroque tristatur quidem liberalis, sed de primo magis, unde nec etiam omnibus solet dare.

ART. 5. *Vtrum liberalitas sit pars justitia.* ℞. *Affirmativè*, non quòd sit justitiæ species, sed ita quod ex convenientia cum justitia, ei annectatur, sicut secundaria principali. *Primum est*, quia cum justitia convenit & in hoc quod principaliter est ad alterum; &
Artic. 2. quia est circa res exteriores, licèt secundùm aliam rationem, ut dictum est, sicque ad justitiam reduci debet; & quidem potiùs quàm ad temperantiam, quippe quæ est circa concupiscentias, non animales, ut est concupiscentia pecuniæ, sed corporalium delectationum; necnon & potiùs quàm ad misericordiam, seu charitatem, utpote cùm datio misericordiæ, & charitatis procedat ex eo quod homo est aliqualiter affectus circa eum cui dat; cùm tamen liberalitatis datio ex eo proveniat, quod dans est aliqualiter affectus circa pecunias, dum eas non concupiscit, neque amat. *Secundum est*, quia alteri exhibet justitiæ species, quod est ejus, attendens propte-

rea legale debitum; cùm tamen liberalitas exhibeat id quod suum est, nec nisi morale quoddam attendat debitum, quod est ex quadã ipsius decentia, absque obligatione.

Vtrum liberalitas sit maxima virtutum. ART. 6.

℞. *Negativè*, non quòd non habeat ex consequenti quandam excellentiam super virtutes, sed ita quod maxima non sit secundùm id, quod primò & per se ei competit. *Primum est*, quia cùm virtus quælibet tendat in aliquod bonum, proindeque & illa per se potior sit, quæ per se tendit in majus bonum; ideò cùm aliæ respectu liberalitatis sint hujusmodi, utpote cùm non nisi ad ordinandum affectiones circa exteriora bona per se tendat liberalitas, quæ quidem bona longè inferiora sunt ad bonum corporis, circa quod versatur temperantia, & magis adhuc ad bonum publicum & commune, circa quod ordinant justitia & fortitudo, una scilicet tempore pacis, & altera tempore belli; propterea fit, quod etiam liberalitati præemineant, omnibus autem præferantur virtutes, quæ ad bonum ordinantur divinum. Vnde nec propter liberalitatem fit aliquis maximè similis Deo, quandoquidem datio divina magis videtur pertinere ad charitatem, quàm ad liberalitatem, utpote proveniens ex eo quod amat quibus dat, non ex affectu ad ea quæ dat: neque solùm liberalitas, sed & quælibet virtus participat rationem boni quantum ad emissionem proprii actus, & quidem taliter, quod actus quarundam meliores sint pecuniâ, quam emittit liberalis. Cum quo tamen stat, quod adhuc maximè amentur liberales, non quidem amicitiâ honesti,

quasi meliores, sed amicitiâ utilis. *Secundum est*, quia ad omnia præfata bona, sive publicum, sive privatum corporis, vel etiam Dei ordinatur ex consequenti liberalitas, quatenus scilicet ex hoc, quod homo non est pecuniæ amativus, sequitur ut de facili utatur ea & ad seipsum, & ad utilitatem aliorum, & ad Dei honorem: unde & habet secundùm hoc excellentiam quandam.

IN QVÆSTIONEM CXVIII.

De vitiis liberalitati oppositis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum avaritia sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, & quidem taliter, quod secundùm quod variè accipitur, sit directè peccatum, & in proximum, & in seipsum; non nisi tamen ex consequenti peccatum in Deum. *Primum est*, quia cùm in his, in quibus bonum consistit in mensura, necesse sit ut per excessum, vel diminutionem illius mensuræ malum proveniat; & bonum hominis circa bona exteriora, quæ quidem habent rationem utilium ad finem, non possit non consistere in quadam mensura, quia quæ sunt ad finem, debent fini commensurari; ideo & in excessu hujus mensuræ, dum scilicet quis supra modum vult ea acquirere vel retinere, quod pertinet ad avaritiam, peccatum est; & quidem directè in proximum, si hæc accipiatur avaritia pro immoderantiâ circa ipsas res exteriores, quantum ad acceptionem & conservationem; peccatum verò in seipsum, si immoderantiam importet circa interiores affectiones, quas quis ad divitias habet, utpote quâ ejus deordinatur affectus. Vnde licèt senex ob naturæ defectum avidiùs ex-

teriorum rerum subsidia requirat; non tamen propterea à peccato excusatur, si debitam rationis mensuram excedat; appetitus namque exteriorum rerum est quidem homini naturalis, sed ut eorum quæ sunt propter finem. Vnde in tantum vitio caret, in quantum continetùr sub regula sumpta ex ratione finis, quam quidem regulam avaritia excedit. *Secundum est*, quia in tantum est peccatum contra Deum, in quantum propter bonum temporale contemnit ex consequenti æternum.

Vtrum avaritia sit speciale peccatum. **Art. 2.**
℞. *Affirmativè*, non quidem sumpta secundùm id omne ad quod ampliatum est avaritiæ nomen, sed pro immoderato amore possessiones habendi pecuniæ nomine designatas. *Primum est*, quia cùm peccata speciem sumant ab objecto, quod est illud bonum in quod tendit inordinatus appetitus, proindeque & ubi est specialis ratio boni, quod inordinatè appetitur, sit ibi specialis ratio peccati; ideò quia in divitiis est particularis ratio boni utilis, quod avaritia inordinatè appetit, est etiam avaritia speciale peccatum, adeò ut licèt quis honores & voluptates possit pecuniâ consequi; tamen quia aliam habent rationem appetibilitatis, non dicitur eorum appetitus avaritia, sumpta scilicet ut est speciale peccatum. *Secundum est*, quia avaritia secundùm ampliationem nominis designat omnem inordinatum appetitum habendi quãcumque rem, ut scientiam, altitudinem; sicque non est in hac acceptione speciale malum, sed potiùs generale, juxta Glossam dicentem, concupiscentiam avaritiæ esse omne malum.

ART. 3. *Vtrum avaritia opponatur liberalitati.*

℟. *Affirmativè*; si tamen accipiatur immoderantia avaritiæ, non circa acceptionem & conservationem divitiarum immediatè, sed circa affectiones earundem interiores.

Primum est, quia cùm ponatur liberalitas ad moderandum hujusmodi affectiones, ut dictum est; ideò & ei opponitur avaritia, ut præfatam importat immoderantiam. Vnde quia est liberalitas virtus media inter duo vitia contraria, ex Philos. habet etiam avaritia sub hac ratione vitium oppositum, scilicet prodigalitatem, quanvis illud non habeat prout justitiæ opponitur, utpote cùm minùs habere, quod ei tunc opponitur, non habeat rationem culpæ, sed pœnæ.

Quæst. præc.

In 2. & 4. Ethic.

Secundum est, quia sumpta avaritia prout alteram dicit immoderantiam, in quantum aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, aliena surripiendo, & retinendo, ipsi potiùs justitiæ opponitur, utpote cujus est statuere mẽsuram in acceptionibus, & conservationibus divitiarum secundùm rationem legalis debiti, ad differentiam liberalitatis; quæ quidem mensuram constituit rationis, sed principaliter in interioribus affectionibus.

Vt dicit Chrys. homil. 6. in Matt.

ART. 4. *Vtrum avaritia sit peccatum mortale.*

℟. Esse quidem semper ex genere suo peccatum mortale, secundùm quod justitiæ opponitur; non tamen semper secundùm quod opponitur liberalitati. *Primum est*, quia ad avaritiam pejori modo sumptam pertinet, quod aliquis injustè accipiat, & retineat; quod quidem spectat ad rapinam, vel furtum, quæ sunt mortalia peccata ex genere; licèt quandoque possit esse pecca-

tum veniale, non quidem casu quo teneatur aliquis ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel ubi adesset periculum necessitatis, de quo casu loquitur Basilius; sed propter imperfectionem actus, sicut de furto dictum est. *Secundum est*, quia avaritia, ut opponitur liberalitati, est inordinatus amor divitiarum, qui si in tantum crescat, ut præferatur charitati, erit quidem tunc peccatum mortale; in quo etiam sensu tenebra animæ ex Chrysost. est pecuniarum cupido, exclusione scilicet luminis charitatis; non nisi tamen veniale erit, si non præferatur, ut accidit, dum scilicet propter divitias non vellet aliquid facere contra Deum, aut contra proximum.

In serm. ad divites.

Qu. 66. art. 6.

Hom. 15. in Matt.

Vtrum avaritia sit maximum peccatorum. ART. 5.

℞. *Negativè*, non quòd ex parte boni, ad quod fit inordinata conversio, non sit turpius; sed ita quod ex parte boni quo privat, nec proinde simpliciter, non sit majus. *Primum est*, quia cùm corruptio, seu privatio boni formaliter se habeat in peccato, & conversio ad bonum non nisi materialiter, proindeque magis pensanda sit peccati gravitas ex parte boni quod corrumpitur; ideò cùm in peccato contra Deum sit bonum quod corrumpitur & deseritur multò majus, tum postea majus sit in peccato quod est contra personam hominis; sit etiam peccatum contra Deum gravissimum, postea peccatum contra personam hominis, sub quo proinde est illud, quod est contra res exteriores, quæ pertinent ad avaritiam. Vnde quod dicit Aug. venenum charitatis esse cupiditatem, non nisi de cupiditate generaliter cujuscumque boni intelligendum

Lib. 83. quæst.

venit, non autem specialiter de avaritia; sicut nec nisi propter aliqualem similitudinem dicitur avaritia idolorum servitus, quatenus tam avarus, quàm idololatra se subjicit creaturæ exteriori; verùm diverso modo, unde & oritur diversa gravitas, cùm iste se subjiciat ei exhibendo cultum divinum, quod est gravissimum; avarus autem immoderatè concupiscendo ad usum. Cum quo tamen stat, quod quia avaritia dicitur insanabilis, non quidem ex parte contemptus, sicut est peccatum in spiritum Sanctum, quod Dei contemnit misericordiam, aut justitiam, quodque propterea est etiam gravius; sed insanabilis ex parte defectus humani, ex quo scilicet egemus adminiculo exteriorum rerum: ideò si non gravius, sit saltem quodammodo periculosius. *Secundum est*, quia cùm bonum exteriorum rerum sit infimum inter humana bona, ideò & ex parte boni, cui per avaritiam subditur humanus appetitus, deformius est peccatum avaritiæ: in quo quidem sensu intelligitur illud, Avaro nihil est scelestius; & aliæ hujusmodi authoritates.

Ephes. 5. Arist. 4. Eth. c. 1. Eccl. 10.

Art. 6. *Vtrum avaritia sit peccatum spirituale.*

℞. *Affirmativè*, ita quod ex parte termini ad quem, sive specificantis, spirituale sit, esto quod ratione objecti medium teneat inter purè spiritualia, & purè carnalia. *Primum est*, quia illa sunt peccata spiritualia ex parte termini specificantis, quæ scilicet perficiuntur in spiritualibus delectationibus, absque carnali, utpote cùm peccatum præcipuè consistat in affectu, & animæ affectiones terminentur ad delectationes & tristitias; quod quidem convenit & avari-

tiæ, quandoquidem delectatur avarus in hoc quod considerat se possessorem divitiarum. Vnde procedit quidem ex aliquo defectu carnis, quod patet in senibus; non tamen ideò est carnale, cùm motus recipiat speciem à termino ad quem, non à quo: sicut nec comparatur avarus dæmoniaco, ex Chrysost. quasi vexetur in carne, sed potiùs per oppositum, ut sicut ille, de quo legitur Matth. 5. se denudabat; ita avarus se divitiis onerat. *Secundum est*, quia vitia purè spiritualia sunt, quæ quærunt delectationem spiritualem circa purè spiritualia, ut superbia circa excellentiam; & purè carnalia delectationem corporalem circa corporalia; cùm tamen avaritia delectationem quærat, animalem quidem, non corporalem, sed circa corporalia. Hom. 2r. in Matt.

Vtrum avaritia sit vitium capitale. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit ab aliis oriri vitiis, sed ita quod alia vitia secundùm rationem finis ex ea plerumque oriri soleant. *Primum est*, quia cùm avaritia sit appetitus divitiarum, & divitiæ per se promittant sufficientiam; omnia enim, ex Scriptura, obediunt pecuniæ; sufficientia autem sit una de conditionibus felicitatis, quæ est finis, & maximè appetibilis: ideò fit, quod cùm sit avaritiæ finis tam multùm appetibilis, pecunia enim etsi ordinetur ad alium finem, habet tamen quandam similitudinem felicitatis, cùm contineat quodammodo omnia virtute, ut est utilis ad omnia sensibilia bona acquirenda; ideò, inquam, fit quod propter ejus appetitum procedat homo ad multa facienda, proindeque quod ex avaritia secundùm ratio- ART. 7. Eccl. 10.

nem finis plerumque oriri soleant alia vitia, tanquam ex capitali vitio; & quidem quanvis non opponatur principali virtuti; liberalitas namque ideò non est principalis virtus, quia non respicit ad principale bonum rationis; cùm tamen respiciat avaritia ad pecuniam, quæ quandam habet principalitatem inter bona sensibilia, ut dictum est, sicque sit adhuc principale vitium.
Qu. 36. art. 4. & 1. 2. q. 84. *Secundum est*, quia nihil prohibet, vitium capitale interdum à quibusdam aliis oriri vitiis, ut dictum est.
ART. 8. *Utrum proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio, sint avaritiæ filiæ.* ℟. *Affirmativè*, ita quod & habeant illa septem, quod oriantur ex avaritia, & unde ab invicem distinguantur, & quod ad illa reducantur, quæ aliàs enumerari possent; quanvis non ita, quod ad idem pertineant vitii genus. *Primum est*, quia cùm avaritia, utpote superfluus amor habendi divitias, in duobus excedat: primùm in retinendo, & sic oriatur obduratio contra misericordiam, quia non vult miseris subvenire; tum deinde in accipiendo, & hoc vel in affectu, & sic oriatur inquietudo, quia ingerit homini solicitudines; vel in effectu, in acquirendo scilicet aliena, & sic oriatur tum violentia, si ad illud utatur vi; tum fallacia, si dolo utatur in simplici verbo; tum perjurium, si addatur juramentum; tum fraus, si committatur dolus in opere quantum ad res; tum denique proditio, si quantum ad personas: ideò & sunt præfata vitia avaritiæ filiæ, tanquam ab ea provenientia, præcipuè secundùm appetitum finis; &

quidem taliter, quod & ab invicem sufficienter distinguantur, etiam loquendo de proditione, fraude, & fallacia; & ad talia reducantur, quæ aliàs enumerari possent, seu quæ ab Isidoro enumerantur; cùm mendacium, & falsum testimonium contineantur sub fallaciu; furtum sub fraude; appetitus turpis lucri sub inquietudine; rapacitas sub violentia; & inhumanitas sit idem quod obduratio. Cum quo tamen stat, quod alia possint enumerari vitiorum genera, sintque de facto enumerata ab Arist. pertinentia ad avaritiam, ut parcus, tenax, &c. sed quæ sunt magis illiberalitatis, sive avaritiæ species, quàm filiæ. *Secundum est*, quia: cùm ad finem unius vitii possint ordinari etiam peccata alterius generis; aliud est enim peccatum habere filias, & peccatum habere species: ideò nec oportet avaritiæ filias ad idem pertinere vitii genus, sed possunt diversis opponi virtutibus, ut violentia justitiæ, perjurium religioni, &c.

IN QVÆSTIONEM CXIX.

De prodigalitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum prodigalitas opponatur avaritiæ. R. *Affirmativè*, ita tamen, quod in affectione divitiarum superabundet avaritia, & deficiat prodigalitas; circa verò exteriora excedat prodigalitas, & deficiat avaritia. *Ratio utriusq; partis est*, quia in moralibus attēditur oppositio vitiorum ad invicē, & ad virtutem secundùm abundantiā & defectum, quo quidem modo, juxta scilicet sensus expositos, different prodigalitas, & avaritia, adeò ut tā prodigalitas, quàm avaritia, quia oppositæ sint circa idem, scilicet: circa passiones animæ, sed diversa hac ra-

tione abundantiæ & defectus. Vnde licèt prodigus frequenter ad intemperantias declinet, non ideò prodigalitas magis opponitur temperantiæ, cùm aliquando abundet prodigus in dando, non propter voluptates, circa quas est temperantia, sed eo quòd taliter disponitur, ut divitias non curet. Cum quo tamen stat, adhuc posse aliquem esse avarum simul, & prodigum utpote cùm nihil prohibeat, eidem inesse opposita secundùm diversa, putà cùm quis excedit in dando, ex quo est prodigus; & simul excedit in accipiendo, vel ex necessitate, vel ex animi inordinatione, quod pertinet ad avaritiam.

ART. 2. *Vtrum prodigalitas sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem principaliter ex quantitate dati, sed in quantum excedit quod fieri oportet. *Primum est*, quia cùm illud vitiosum sit, & peccatum, quod corrumpit bonum virtutis; & hujusmodi sit prodigalitas, utpote quia opponitur avaritiæ secundùm superabundantiam & defectum, ut dictum est, quorum utrumque corrumpit virtutis medium; ideò ex quo excedit quod dari oporteat, est principaliter peccatum, & quidem quanvis hortetur Paulus divites, ut facilè tribuant, & communicent sua, utpote quod intelligitur secundùm quod oportet; quod non faciunt prodigi. Cum quo tamen stat, adhuc verificari, quod radix omnium malorum est cupiditas, cùm sic dicatur avaritia radix omnium malorum, non quia omnia mala semper ex avaritia oriantur, sed quia nullum malum est, quod non interdum oriatur ex avaritia. Vnde & prodigalitas quandoque ex avari-

1. Tim. cap. ult.

1. Tim. ult.

tia nascitur, sicut cùm aliquis multa consumit prodigè intentione captandi favorem aliquorum, à quibus divitias accipiat. *Secundum est*, quia quandoque liberalis majora dat secundùm quantitatem, quàm prodigus, si necessarium sit. Vnde & qui intentione sequendi Christum omnia sua dant, & omnem temporalium solicitudinem removent, non sunt prodigi, sed magis perfectè liberales.

Vtrum prodigalitas sit peccatum minùs grave, quàm avaritia. ℞. *Affirmativè*, & quidem ex triplici ratione, non tamen desumpta secundùm hoc, quod est peccare in alium, & in seipsum. *Primum est*, quia & magis differt avaritia à virtute opposita, scilicet liberalitate; & est prodigus multis utilis, quibus dat: avarus autem nulli, nec sibi ipsi, ut dicit Arist. tum denique, quia prodigalitas, ad differentiam avaritiæ est facilè sanabilis, eo quòd scilicet homo & declinet ad senectutem, quæ est prodigalitati contraria, & facilè perveniat ad egestatem; & etiam quia de facili ad virtutem liberalitatis perducitur, propter scilicet conformitatem, quam habet cum ipsa. Vnde quanvis prodigi, qui propter intemperantiam superfluè consumunt, sint pejores quàm avari, quia hoc jam nominat simul peccata multa, est tamen prodigalitas secundùm se considerata minus peccatum quàm avaritia; & quidem quanvis abstineat avarus ab accipiendis alienis, utpote cùm ex causa propter quam facit, quia scilicet non vult ab aliis accipere, ne cogatur aliis dare, id magis sit vituperabile, quàm laudabile; imò & quanvis prodigalitas magis opponatur pru-

ART. 3.

In 4. Ethic. cap. 5.

dentiæ, utpote cùm omnia vitia opponantur prudentiæ, prout ab ea omnes diriguntur virtutes; & ideo ex eo quod vitium soli prudentiæ opponitur, levius putetur. *Secundum est*, quia tam prodigus, quàm avarus peccant & in seipsos, & in alios, quanvis diversa ratione; ita tamen quod prodigus in hoc minùs peccet, quod sic sibi, & quibusdam nocet (sua consumendo: unde & ipse vivere, & aliis providere debet,) ut tamen aliquibus prosit; cùm è contra avarus, deficiens & in sumptibus, & in dationibus, nec sibi, nec aliis prosit.

IN QVÆSTIONEM CXX.

De Epiikia, seu æquitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum epiikia sit virtus. ℞. *Affirmativè*, ita quod virtuosum sit, non quidem de lege judicare, sed verba legis prætermittere in certis casibus, ad sequendum per epiikiam, quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm leges ab hominibus institutæ, quandoque patiantur instantiam, nec potuerit dari lex, quæ in omnibus simpliciter observanda esset, propter scilicet diversitatem circa actus humanos contingentem; ideò necessaria est virtus, quâ judicetur non quidem de lege, quasi dicat eam non esse rectè positam; ut enim dicit Aug. quanquam de iis legibus homines judicent, cùm eas instituunt; tamen cùm fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas; sed in quo casu à communi lege recedendum sit, ita ut potiùs intentio legislatoris attendatur, quàm verba legis posita: in quo quidem casu non de lege judicat, sed potiùs de aliquo particu-

Lib. de vera Relig. c. 31.

lari negotio, quod occurrit. Neque deſinit tunc epiikia juſtum ſimpliciter, ſed tantummodò juſtum quod eſt lege determinatum, quod quidem vitioſum eſſet ſequi, ſicut & verba legis, in caſu in quo non oportet, juxta illud commune dictum: Non dubium eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra Legiſlatoris nititur voluntatem. Vnde nec in caſibus ita manifeſtis opus eſt interpretatione intentionis, quæ quidem, ut dicitur, ad ſolum pertinet Principem; ſed opus potiùs exequutione. In Codice de legibus, & conſt. Princ.

Vtrum epiikia ſit pars juſtitiæ. ℞. *Affirmativè*, & quidem pars ſubjectiva juſtitiæ communiter dictæ, ſed quæ priùs prædicetur de epiikia, quàm de legali juſtitia. *Primum eſt*, quia illa eſt pars ſubjectiva, de qua eſſentialiter prædicatur totum, & eſt quid minus; quod quidem verificatur in epiikia, quæ eſt juſtitia quædam, ut ait Ariſt. nec tamen melior omni juſtitiâ, cùm ſit ipſa quædam juſtitia; ſed melior ſolùm legali, quæ ſcilicet obſervat verba legis, quæ ipſa epiikia moderatur: ita tamen quod non propterea reduci debeat ad modeſtiam, quæ ponitur pars temperantiæ, utpote cujus eſt moderari non obſervantiam verborum, ſed exteriorem hominis vitam, eſto quod apud Græcos transferatur epiikiæ nomen per quandam ſimilitudinem ad omnes moderationes. *Secundum eſt*, quia cùm legalis juſtitia dirigatur ſecundùm epiikiam, ex quo quidem ſequitur, quod epiikia ſit quaſi ſuperior regula humanorum actuum; ideò priùs de epiikia prædicatur juſtitia communiter dicta, quàm de ART. 2.

legali. Cum quo tamen ſtat, quod ſi dicatur legalis juſtitia, quæ obtemperat legi, nedum quantum ad verba legis, ſed etiam quantum ad intentionem legiſlatoris, quæ potior eſt, tunc ſit epiixia pars etiam, & quidem potior, legalis juſtitiæ.

IN QVÆSTIONEM CXXI.

De pietate.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum pietas ſit donum. *℟. Affirmativè*, non ea quidem, quæ exhibet patri carnali officium, & cultum; ſed ea, quæ per inſtinctum Spiritus ſancti talia exhibet Deo, ut patri. *Primum eſt*, quia dona Spiritus ſancti ſunt quædam habituales animæ diſpoſitiones, quibus ſcilicet eſt promptè mobilis à Spiritu ſancto, à quo quidem inter cætera movetur homo ad hoc ut affectum quendam filialem habeat ad Deum, ſeu ad quem clamet *Abba Pater*, ut ait Apoſt. quod quidem ad pietatem pertinet. (Rom. 8.) Ita tamen quod ſicut per virtutem pietatis exhibetur officium etiam omnibus ſanguine junctis, ſic & pietas ut donum etiam omnibus hominibus cultum exhibeat, ut pertinentibus ad Deum, & ex conſequenti etiam in miſeria conſtitutis ſubveniat. Et quanvis iſte actus non habeat locum in patria, præcipuè poſt diem judicij, habebit tamen locum præcipuus actus ejus, ſcilicet Deum revereri filiali affectu. *Secundum eſt*, quia pietas exhibens patri carnali cultum, virtus eſt, & ita non eſt donum, quod quidem eſt excellentius virtute, ut dictum eſt, etiam Religione, ſicut & excellentius eſt Deum ut patrem colere, quàm dominum; eſto quod religio ſit potior pietate, prout eſt virtus. (1.2.q.68. art. 8.)

Vtrum dono pietatis respondeat secunda beatitudo, scilicet: Beati mites. ℞. *Affirmativè*; si tamen in adaptatione beatitudinum ad dona, attendatur convenientia, non secundùm propriam rationem doni, & beatitudinis, sed secundùm rationem ordinis. *Ratio utriusque partis est*, quia si attendatur convenientia secundùm rationem ordinis, quam sequutus est Aug. sicut prima beatitudo ex eodem attribuitur ultimo dono, scilicet timori, sic & secunda pietati: sed si convenientia attendatur secundùm propriam rationem doni & beatitudinis, cùm tunc oporteat quod adaptatio fiat secundùm objecta & actus; ideò sic pietati magis respondent quarta, & quinta beatitudo, scilicet: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*; tum: *Beati misericordes*, potiùs quàm secunda; ita tamen quod in hoc etiam sensu habeat aliquam cum pietate convenientiam, in quantum per mansuetudinem tolluntur impedimenta actuum pietatis. Vnde & in hoc eodem sensu, juxta scilicet proprietatem beatitudinum & donorum, oportet quod eadem beatitudo respõdeat scientiæ & pietati, sicut & bonitas, & benignitas in fructibus possunt ita attribui directè pietati; mansuetudo autem, ob præfatam convenientiam, indirectè. ART. II.

IN QVÆSTIONEM CXXII.

De præceptis Iustitiæ.

VTrum *præcepta Decalogi sint præcepta justitiæ.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non pertineant ad charitatem sicut ad finem, sed ita quod sint immediatè de actibus justitiæ. *Primum est*, quia cùm præcepta Decalogi sint prima principia legis, qui- ARTICVLVS PRIMVS.

bus statim ratio naturalis assentit, sicut manifestissimis principiis; & ratio debiti, quæ requiritur ad præceptum, manifestissimè appareat in justitia, quæ est ad alterum, quia quisque est obligatus alteri reddere quod debet; ideò oportuit præcepta Decalogi ad justitiam pertinere, adeò ut tria prima sint de actibus religionis, quæ est pars potissima justitiæ; quartum de actibus pietatis, quæ est secunda; & reliqua de actibus justitiæ communiter dictæ inter æquales. Neque enim intendit lex omnes homines facere virtuosos, nisi ordine quodam, scilicet ut priùs tradat præcepta in his, in quibus est manifestior ratio debiti. Vnde nec quæ pertinent ad bonum commune, fuerunt ponenda inter Decalogi præcepta, sed inter judicialia, cùm oporteat diversimodè dispensari secundùm hominum diversitatem; sed neque judicialia, quæ quidem sunt determinationes moralium præceptorum, ut ordinantur ad proximum, sicut cæremonialia sunt determinationes moralium, prout ordinantur ad Deum, debent in Decalogo contineri; sed sunt determinationes Decalogi, & sic ad justitiam pertinent. *Secundum est*, quia cùm finis præcepti sit charitas, ex
1. ad Tim. 1. Apost. ideò & pertinent præcepta Decalogi ad charitatem, sicut ad finem.

ART. 2. *Vtrum primum præceptum Decalogi convenienter tradatur.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & oportuerit quasi in eo jacere fundamentum quoddam religionis, per quam homo debitè ordinatur in Deum; & oportuerit cultum falsorum Deorum in eo excludere. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad legem pertineat facere homines bonos, proin-

deque oporteat, ut ordinentur præcepta legis secundùm ordinem generationis, quâ homo fit bonus; ideò cùm in ordine generationis duo attendantur: primum, ut prima pars, scilicet cor, primò constituatur, & hæc in bonitate animæ sit bonitas voluntatis, quæ quidem bonitas attenditur ad objectum suum, quod est finis; ideò, inquam, fit quod in eo, qui erat per legem instituendus ad vitutem, primò oportuerit quasi jacere fundamentum quoddam religionis, per quam scilicet homo debitè ordinaretur ad Deum, qui est ultimus finis voluntatis humanæ. Sed quia secundò attenditur in eodem generationis ordine, quod primò tollantur contraria, & impedimenta, ut patet in agricola primò purgante agrum, posteà projiciente semina; ideò circa religionem sic erat homo primò instituendus, ut impedimenta veræ religionis excluderet, & consequenter, quod in primo præcepto excluderetur cultus falsorum Deorum, utpote cùm præcipuum veræ religionis impedimentum sit, quod homo falsò adhæreat Deo: unde & negativum est primum præceptum, quanvis affirmatio naturaliter sit prior, eo quòd in via generationis negatio, quâ removentur impedimenta, sit prior: ita tamen, quod quando dicitur, *Non habebis Deos alienos* (sub quo quidem intelliguntur omnes aliæ superstitiones prohibitæ, quatenus scilicet omnes procedunt ex pacto aliquo cum dæmonibus tacitè, vel expresè inito,) id dicatur ratione illorum, qui quasdam creaturas pro Diis colebant sine institutione imaginum: dicatur autem, *Nec facies tibi sculptile,*

ad prohibendum cultum falsorum Deorum sub imaginibus: unde subditur, *Non coles ea.*

ART. 3. *Utrum secundum præceptum Decalogi convenienter tradatur.* ℟. *Affirmativè*, ita quod & convenienter præmittatur præceptum, quo prohibetur superstitio, huic secundo præcepto, quo perjurium prohibetur; & in hoc secundo præcepto convenienter prohibeatur perjurium potiùs quàm blasphemia; & convenienter exprimatur per nomen Dei in singulari. *Primum est*, quia ubi aliquis instituitur ad virtutem, cùm priùs oporteat impedimenta vera religionis excludere, quàm eum in vera religione fundare; & religioni aliquid opponatur, primò & priùs per excessum, dum scilicet id, quod est religionis, alteri indebitè exhibetur, quod pertinet ad superstitionem, quæ quidem applicando animum cultui indebito impedit, ne suscipiatur Deus ad colendum: tum deinde opponatur aliquid, quasi per defectum reverentiæ, cùm Deus contemnitur, quod pertinet ad irreligiositatem, quæ facit ne Deus postquam susceptus est, honoretur; ideò cùm priùs sit Deum suscipere ad colèndum, quàm eum susceptum honorare, prius etiam, & primo præcepto prohiberi debuit superstitio primum impediens; & solùm in secundo prohiberi perjurium, seu assumptio nominis Dei in vanum, quod quidem ad irreligiositatem pertinet, quæ facit, ne Deus postquam susceptus fuit, honoretur. Ita tamen quod per hoc præceptum (cujus quidem litteralis sensus est, non jurare pro re, quæ non est, adeò ut aliæ quæ afferri solent expositiones, sint solùm mysticæ,) non

non prohibeatur quævis aſſumptio divini nominis, ſed propriè illa, quâ & inordinatè aſſumitur divinum nomen ad confirmationem humani verbi, utpote quæ frequentior eſt apud homines; & in qua intervenit perjurium. Expoſitio namque, quæ habetur Exodi 20. *Non aſſumes*, jurando ſcilicet pro nihilo, nedum de vana juratione intelligitur, ſed etiam de falſa, quæ eſt perjurium; quandoquidem qui pro nihilo jurat, tunc juret pro eo quod non eſt, quod pertinet ad falſitatem. *Secundum eſt*, quia cùm lex in præceptis Decalogi, quæ ſunt prima, debuerit ea ponere quæ communiùs ſolent accidere; ideò & inter præcepta Decalogi convenienter prohibetur perjurium, quia frequentiùs accidit, & potiùs quàm blaſphemia, in quam homo rariùs prolabitur. *Tertium eſt*, quia licèt multa ſint Dei nomina; quia tamen nominibus ejus debetur reverentia ratione rei ſignificatæ, quæ eſt una; ideo convenienter exprimitur hæc prohibitio per nomen Dei in ſingulari.

Vtrum tertium Decalogi præceptum convenienter tradatur, ſcilicet de ſanctificatione Sabbati. ℞. *Affirmativè*, ita quod in ſignum operis creationis convenienter præcipiatur ſanctificari diem ſeptimam, ſeu deputari ad vacandum Deo; quanvis non ita, quod ab omni omninò opere ceſſandum ſit. *Primum eſt*, quia remotis impedimentis veræ religionis per primum, & ſecundum præceptum, conſequens fuit, ut tertium poneretur præceptum, per quod homines in vera religione fundarentur: quod cùm convenienter fiat per hoc præceptum, quod eſt de exteriori cultu religionis ſecundùm ali- ART. 4.

quod sensibile signum, utpote cùm ad interiorem cultum, qui consistit in oratione, & devotione, magis homo inducatur ex interiore instinctu Spiritus sancti; ideò cùm præcepta Decalogi sint quædam prima, & communia legis principia, convenienter in tertio præcepto præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, à quo requievisse dicitur Deus die septima, in cujus propterea signum mandatur sanctificanda, seu deputanda ad Deo vacandum. Ita tamen, quod hoc præceptum quidem partim morale est, quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus ad vacandum divinis; imò & morale generale, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deum: tum etiam partim cæremoniale, in quantum scilicet in hoc determinatur speciale tempus in signum non quorundam particularium effectuum Dei, sicut sunt aliæ cæremoniæ legis, quæ propterea non ponuntur inter generalia præcepta Decalogi, sed in signum generalis beneficii creationis ponatur hujusmodi præceptum in Decalogo, in quantum morale est, non in quantum cæremoniale. *Secundum est*, quia cùm opus servile, quod solùm prohibetur per hoc præceptum, ut exponitur Levit. 23. dicatur tale à servitute, quæ quidem triplex est: prima, quâ homo servit peccato: alia, quâ homo servit homini; & quidem secundùm corpus, juxta quod opera servilia dicuntur opera corporalia: tertia autem servitus Dei, secundùm quam opus latriæ dici potest opus servile; ideò cùm hoc ul-

mum non sit prohibitum die Sabbati, cùm contrarium non sit, sed conveniens fini observationis Sabbati, qui est ut homo vacet rebus divinis, sicut nec contrarium est ullius spiritualis actus exercitium, ut docere verbo, vel scripto; nec etiam per hoc præceptum cessandum est ab omni opere, etiam servili, sed solùm à servili primo, & secundo modo, utpote impediente applicationem hominis ad divina: ita tamen, quod quia corporalia in tantum dicuntur servilia, in quantum sunt propria servitutis, adeò ut quæ communia sunt servis, & liberis, non dicantur servilia; & quilibet, tam servus, quàm liber teneatur in necessariis providere non tantùm sibi, sed etiam proximo, ut docet Scriptura; ideo nec Sabbatum violat corporale opus, quod ordinatur ad salutem, sive proprii, sive alterius corporis, vel etiam quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, ut etiam docet Scriptura; imò & in die Dominica, quanvis succedat Sabbato, non quidem ex vi præcepti legis, aliàs ceremonialis, & figuralis esset; sed ex Ecclesiæ constitutione, & consuetudine quædam opera conceduntur, quæ in die Sabbati prohibebantur; & hoc ideò, quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet; cùm tamen opera secundùm se considerata immutari possint pro loco, & tempore.

Prov. 24. Deut. 22. Matt. 12.

Art. 5. *Utrum convenienter tradatur quartum præceptum de honoratione parentum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ex quadam affinitate ad præcepta primæ tabulæ sequi debet immediatè præceptum de honore reddendo pa-

rentibus, & quidem potiùs quàm de debito reddendo ex gratia, aut observantia, vel etiam reddendo ex pietate consanguineis, & patriæ; imò & potiùs quàm de sustentatione parentum. *Ratio primæ partis est*, quia cùm præcepta Decalogi ordinentur ad dilectionem Dei & proximi, & inter proximos maximè obligemur parentibus; ideò & immediatè post præcepta ordinantia ad Deum, qui est principium nostri universale, convenienter ponitur ex quadam affinitate præceptum ordinans nos ex pietate ad parentes honorandos, qui quidem sunt principium particulare nostri esse; ita tamẽ quod longævitas, quæ hîc promittitur honorantibus parentes, quanvis non solùm sit quantum ad futuram vitam, sed etiam ad præsentem, utpote cùm mereatur secundùm quandam congruentiam, ut sibi beneficium conservetur, qui gratus est benefico; quia tamen præsentia bona, vel mala non cadunt sub merito, nisi in ordine ad futuram remunerationem, ut dictum est; ideo & aliquando secundùm occultam rationem divinorum judiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, aliqui qui in parentes pii sunt, citiùs vitâ privantur, & qui sunt impii, diutiùs vivunt. *Ratio secundæ partis est*, quia respicit pietas aliquid omnibus commune, debitum scilicet erga parentes; & ideo inter præcepta Decalogi, quæ quidem communia sunt, poni potiùs debet, quàm aliæ justitiæ partes, quæ respiciunt debitum speciale; cúmque per priùs debeatur parentibus, quàm patriæ, & consanguineis, propterea & magis ordinant Decalogi præcepta, utpote prima

1.2.q.114. art.10.

legis præcepta, ad parentes, quàm ad alios; & quidem ut honorandos potiùs quàm sustentandos (esto quod istud in illo subintelligatur, sicut & patria & consanguinei in parentibus,) utpote cùm sustentatio, & alia hujusmodi non debeantur parentibus per se loquendo, sicut honor, sed ratione alicujus accidentis, & indigentiæ.

Vtrum alia sex præcepta Decalogi convenienter tradantur. ℟. *Affirmativè*, ita quod post præceptum quartum, quod est pietatis, sequi debeant sex alia ad justitiam propriè dictam pertinentia, & quidem nedum convenienter, sed & sufficienter. *Primum est*, quia cùm per justitiam propriè dictam reddat quis debitum communiter omnibus, sicut per justitiæ partes debitum reddit determinatis personis, quibus aliqua speciali ratione obligatur; ideò & post tria præcepta, quæ spectant ad religionem, quâ redditur debitum Deo; & quartum, quod est pietatis erga parentes, necesse fuit ut ponerentur præcepta aliqua ad justitiam propriè dictam pertinentia, quæ scilicet indifferenter debitum omnibus reddit; & quidem prohibitiva, seu negativa de non nocendo; non verò affirmativa de exhibendo, utpote cùm communiter homo ad hoc obligetur, ut nulli inferat nocumentum; cùm tamen ea quæ sunt proximis exhibenda, diversimodè debeantur diversis. Ita tamen, quod per præcepta prohibitiva concupiscentiæ, non quidem homicidii, utpote quod de se non est concupiscibile, sed adulterii, aut furti, seu boni delectabilis, vel utilis, non intelligatur prohibitus primus concupiscentiæ motus, qui quidem consistit intra ART. 6.

limites sensualitatis;sed consensus ipse voluntatis,qui est in opus, vel delectationem. *Secundum est*, quia & in homicidio, tanquam in principaliori intelliguntur prohiberi omnia alia nocumenta,quæ scilicet in personam proximi inferuntur; & in adulterio, quæ inferuntur in personam conjunctam, maximè per modum libidinis; & in furto, quæ pertinent ad damna rerum; & in falso testimonio, quæ pertinent ad loqutiones.

IN QVÆSTIONEM CXXIII.

De fortitudine.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum fortitudo sit virtus. ℞. *Affirmativè*,ita quod faciat fortitudo & hominem, & opus ejus bonum esse, sive secundùm rationem; si tamen supponat pro fortitudine, non corporis,sed animæ. *Primum est*, quia quod virtus humana bonum faciat habentem, & opus ejus bonum reddat,sive secundùm rationem, ex quo quidem virtus dicitur,cùm hoc fiat tripliciter: primò prout ipsa ratio rectificatur, quod fit per virtutes intellectuales: secundò prout ipsa rationis rectitudo in rebus humanis instituitur,quod pertinet ad justitiam: tertiò prout tolluntur impedimenta hujus rectitudinis in rebus humanis ponendæ; ideò quia voluntas impeditur, nedum ex hoc quod attrahitur ab aliquo delectabili ad aliquid aliud, quod rationis rectitudo non requirit, quod quidem impedimentum per temperantiam tollitur; sed etiam quandoque ex hoc, quod deterretur ab eo, quod est secundùm rationem, propter scilicet aliquod difficile,ideò & ad hoc tollendum impedimentum requiritur fortitudo men-

tis, ad quam quidem pertinet, ut infirmitatem animæ fortiter ferat. Vnde non in infirmitate animæ, sed carnis perficitur animæ virtus, de qua Apost. loquitur. Cum quo tamen stat, non esse inconveniens, aliquos haberi actus fortitudinis aliũde, quàm ex fortitudine, ut qui feruntur in id quod est difficile, ac si non esset difficile, quod ut inquit Arist. accidit vel ex ignorantia, vel propter spem, quia aliàs pericula aliquis evasit; vel propter scientiam & artem, quâ ratione milites non timent pericula belli; vel etiam propter impulsum passionis, scilicet tristitiæ, aut iræ; vel propter electionem finis non debiti. *Secundum est*, quia licèt non sit contra rationem virtutis, & consequenter fortitudinis, quæ quidem est bona qualitas mentis, quod ex naturali complexione habeat aliquis naturalem inclinationem ad virtutem, ut dictum est; bene tamen quod consistat in corpore, esto quod ad similitudinem corporalis fortitudinis dicatur fortitudo animæ. 3. Ethic. cap. 8. 1.2.q.63. art. 1.

Vtrum fortitudo sit virtus specialis. ℞. *Affirmativè*, si tamen sumatur secundùm quod importat animi firmitatem, non quidem absolutè, sed in periculis gravibus sustinendis, & repellendis. *Primum est*, quia considerata in periculis gravibus sustinendis, sic habet materiam determinatam: unde Tullius sic eam describit, Est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio; proindeque & est specialis virtus, maximè cùm sic sumpta non solùm sit principium agendi, quod est commune omni virtuti; sed etiam referatur ad ultimum potentiæ, secundùm quod potest aliquis re- ART. 2.

sistere corrumpentibus, qui quidem est modus magis specialis. *Secundum est*, quia cùm ad virtutem requiratur firmiter & immobiliter operari; ideo si accipiatur fortitudo, ut absolutè importat quandam animi firmitatem respectu quorumcunque impugnantium, in quo quidem sensu dixit Ambr. quod fortitudo sola defendit ornamenta virtutum omnium, sic potiùs est conditio generalis cujuslibet virtutis.

Lib. 1. offic. cap. 39.

ART. 3. *Vtrum fortitudo sit circa timores & audacias.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit mediatè circa pericula, & labores, vel etiam secundariò circa spem; sed ita quod immediatè sit circa timores & audacias. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad virtutem fortitudinis pertineat removere impedimentum, quo retrahitur voluntas à sequela rationis; & quod aliquis retrahatur ab aliquo difficili pertineat ad timorem; ideò & est immediatè fortitudo, ad modum cohibentis, circa timores difficilium rerum, quæ possunt à sequela rationis voluntatem retrahere: sed quia oportet hujusmodi difficilium impulsum non solùm firmiter tolerare, cohibendo timorem, sed etiam moderatè aggredi quando oportet, ac etiam exterminare ad securitatem in posterum habendam, quod videtur pertinere ad rationem audaciæ; propterea fit, quod & immediatè sit fortitudo circa audacias, tanquam moderativa, adeò ut cùm ait Greg. quod justorum fortitudo est carnem vincere, & propriis voluptatibus contraïre, loquatur de fortitudine, ut se habet ad omnes virtutes, non propriè ut est specialis virtus. Ita tamen quod mediatè sit circa peri-

cula & labores, utpote quæ objecta sunt prædictarum passionum, circa quas est immediatè; necnon & circa spem, non quidem propriè sicut circa audaciam, cùm spes sit de bono, & fortitudo propriè respiciat mala retrahentia à virtute; sed secundariò, in quantum connectitur audaciæ.

Vtrum fortitudo sit solùm circa pericula mortis. ℞. *Affirmativè*, non quòd in aliis non dicatur homo fortis secundùm quid; sed ita quod ex hoc solùm, quod benè tolerat etiam maxima mala, dicatur simpliciter fortis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm nullum bonum corporale æquivaleat bono rationis, proindeque & oporteat ut illa sit propriè & simpliciter dicta fortitudo animi, quæ firmiter tenet voluntatem hominis in bono rationis contra quæcumque, & consequenter maxima corporalia mala, maximè quia ad rationem virtutis pertinet, ut respiciat ultimum; ideò quia maximè terribile inter omnia corporalia mala est mors, quæ quidem omnia tollit corporalia bona, ut ait Aug. est quidem homo fortis secundùm quid in aliis, sicut & in omnibus adversis tolerandis benè se habet fortitudo; non nisi tamen ex toleratione mortis reputatur simpliciter fortis: & hoc maximè, quia cùm amor propriæ vitæ sit non ex passione, sicut in aliis bonis, quorum propterea amor, & consequenter timor ad moderationem reducitur per alias virtutes; sed sit ex natura, oportuit etiam esse specialem virtutem, quæ timores mortis moderaretur, & quidem quanvis versetur tunc circa extrema; extremum namque in virtutibus non nisi secundùm

ART. 4.

Lib. 22. de mor. Eccl.

excessum rationis rectæ attenditur: unde nec est virtuti contrarium, si quis maxima, sive extrema pericula subeat secundùm rationem.

ART. 5. *Vtrum fortitudo propriè consistat circa pericula mortis, quæ sunt in bello.* ℞. *Affirmativè*; si tamen sumatur bellum, non solùm pro generali, sive pro decertantibus in acie, sed & pro particulari, etiam in domesticis, & urbanis, impugnatione. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm fortitudo confirmet animum hominis contra maxima pericula, quæ sunt pericula mortis, & quidem propter aliquod bonum, utpote quæ est virtus, de cujus ratione est, ut semper tendat in bonum; ideò cùm hoc directè sit circa pericula mortis, quæ sunt in bello justo, & quidem sive sit generale, sive particulare ex particulari & domestica impugnatione, utpote cùm pericula mortis, quæ sunt ex ægritudine, vel tempestate maris, &c. non videantur alicui directè imminere propter aliquod bonum, consequenter fit quod circa præfata belli pericula sit præcipuè fortitudo, & consequenter circa cujuscumque alterius mortis pericula, quæ potest homo subire propter virtutem: ut si quis non refugiat amico infirmanti obsequi propter timorem mortiferæ infectionis. Vnde & fortitudinis est propter pacem reipublicæ se periculo mortis exponere, utpote quæ secundùm se est bona, nec ex eo quod multi ea abutuntur, redditur mala; & præcipuè commendatur Martyrum fortitudo, quatenus sustinentium personales impugnationes propter summum bonum, quod est Deus.

Vtrum ſuſtinere ſit principalis actus fortitudinis. ℞. *Affirmativè*, ita quod difficilius ſit immobiliter ſiſtere in periculis, quàm aggredi; & quidem multiplici ratione. *Ratio eſt*, quia cùm ipſum periculum, quod eſt objectum audaciæ, & timoris, de ſe conferat aliquid ad repreſſionem audaciæ, & è contra operetur ad augmentum timoris; ideò cùm aggredi pertineat ad fortitudinem, prout moderatur audaciam, & ſuſtinere ſequatur repreſſionem timoris, difficilius etiam eſt, & conſequenter principalius in fortitudine immobiliter ſuſtinere in periculis, quàm aggredi circa audacias temperandas; ſed inſuper quia ſuſtinere videtur aliquis à fortiori invadente, & difficilius eſt pugnare cum fortiori: tum qui ſuſtinet, jam ſentit pericula imminentia, adeò ut non timeat præſente jam causâ timoris, quam tamen ſolùm ut futuram habet qui aggreditur: tum denique, quia cùm difficilius ſit diu manere immobilem, & ſuſtinere importet diuturnitatem temporis, aggredi autem poſſit eſſe ex ſubito motu; ideò & difficilius, & virtuoſius eſt ſuſtinere, & quidem quanvis importet paſſionem corporis, utpote quod ſimul importat actum animæ immobiliter adhærentis bono, & quidem principaliùs, cùm virtus magis circa animam attendatur. Art.6.

Vtrum fortis operetur propter bonum proprii habitus. ℞. *Affirmativè*, non quidem tanquam propter finem ultimum, & remotum; ſed ita quod finis ejus proximus ſit, ut exprimat in actu ſimilitudinem ſui habitus. *Primum eſt*, quia cùm finis proximus cujuſvis agentis ſit ut ſimilitudinem ſuæ Art.7.

formæ in alium inducat, ut patet in igne dum calefacit, ficut & in ædificatore, qui quidem intendit inducere in materia similitudinem suæ artis; idem consequenter est dicendum de forti, utpote qui agere intendit secundùm convenientiam sui habitus, ut scilicet intendat pro fine proximo non quidem essentiam habitus, utpote quæ prior est actu, sed ipsam similitudinem sui exprimere in actu. *Secundum est*, quia finis remotus, ideft quodcumque bonum, quod ex priori fine sequitur ut intentum, est in fortitudine ipsa beatitudo, vel Deus. Vnde & dicit Aug. quod fortitudo est amor omnia propter Deum facilè perferens.

ART. 8. *Vtrum fortis delectetur in suo actu.* ℞. *Negativè*, non quòd non habeat fortis unde delectetur ex una parte, scilicet de ipso actu virtutis, & de fine ejus; sed ita quod à magnitudine corporalis doloris evanescat spiritualis hæc delectatio. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm duplex sit delectatio, altera corporalis, quæ tactum corporalem consequitur; altera animalis, quæ consequitur apprehensionem animæ, & propriè consequitur actus virtutum; ideò quia principalis actus fortitudinis est virtuosè sustinere aliqua tristia secundùm apprehensionem animæ, ut amissionem vitæ, vulnera, &c. habet proinde fortis ex una parte unde delectetur, scilicet secundùm delectationem animalem de actu virtutis, & de fine suo; sicut & ex altera unde doleat animaliter, dum considerat amissionem vitæ, &c. Sed quia sensibilis dolor corporis facit non sentiri animalem delectationem virtutis, adeò ut tristitia quidem animalis

vincatur à fortiore delectatione virtutis; non tamen dolor corporalis, qui est sensibilior, & propterea apprehensio sensitiva homini manifestior: ideo fit quod quanvis habeat fortis, unde possit delectari spiritualiter, evanescat tamen spiritualis hæc delectatio, ex vehementia scilicet actus vel passionis potentiæ sensitivæ, quâ scilicet impeditur actus alterius potentiæ, scilicet apprehensivæ, nisi fortè superabundet gratia Dei. Vnde requiritur quidem à forti, quod non absorbeatur ratio à corporalibus doloribus, quod quidem facit virtus; non tamen, inquit Arist. ut delectetur, quasi delectationem sentiens, sed sufficit ut non tristetur; & hoc maximè, quia virtutis opera, etsi possint esse delectabilia, præcipuè propter finem; possunt tamen aliunde esse tristia, quod præcipuè contingit in fortitudine.

Vtrum fortitudo maximè consistat in repentinis. ℞. *Affirmativè*, si nimirum consideretur in operatione fortitudinis, non quidem electio ipsius, sed ipsa manifestatio virtuosi habitus. *Primum est*, quia cùm agat habitus ad modum naturæ, ideò quod aliquis absque præmeditatione faciat ea quæ sunt virtutis, cùm necessitas imminet propter repentina pericula, hoc maximè manifestat, quod sit fortitudo habitualis in anima confirmata. *Secundum est*, quia cùm jacula quæ prævidétur, minùs feriant, ut ait Greg. ideò & eligit fortis præmeditari pericula, quæ possunt imminere, ut eis resistere possit, aut faciliùs ea ferre; sicut & potest aliquis, etiam qui habitu fortitudinis caret, ex diuturna præmedita- ART. 9. Hom. 35. in Evãg.

tione animum suum contra pericula præparare.

ART. 10. *Vtrum fortis utatur ira in actu suo.* ℞. *Affirmativè*; si tamen subintelligatur de moderata ira, non de immoderata. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm motus appetitus sensitivi, quos quidem passiones animæ vocant Peripatetici, moveantur per imperium rationis ad hoc, ut cooperentur ad promptiùs agendum; ideò jure ponitur, ut ponebant illi, iram & alias passiones assumendas esse virtuosis, non quidem ut sunt immoderati quidam affectus appetitus sensitivi, quos scilicet ægritudines, vel morbos animæ nominabant Stoïci, & ideò à virtute passiones separabant; passione namque, putà irâ ita immoderatè sumptâ, non potest homo uti pro suo arbitrio; sed prout sunt affectiones quædam moderatæ, utpote quæ moderatæ non sunt, nisi in quantum rationi subjiciuntur. Cum quo tamen stat, quod sit adhuc ira ratione infirmior, utpote quia ratio non eam assumit ad actum suum, quasi auxilium ab ea accipiens, sed quia utitur appetitu sensitivo, ut instrumento: tum etiam, quod fortitudo non ad actum sustinendi, ad quem quidem sola ratio sufficit, sed ad actum aggrediendi assumat iram, & quidem magis quàm tristitiam, & alias passiones; quandoquidem ad iram pertinet insilire in rem contristantem: unde directè cooperatur fortitudini, cùm tamen tristitia secundùm propriam rationem succumbat nocivo, & per accidens solùm coadjuvet ad aggrediendum, in quantum scilicet est causa iræ, vel ut quis se exponat periculo, ut tristitiam fugiat.

Vtrum fortitudo sit virtus cardinalis. ART. II.
℞. *Affirmativè*, ita quod, sicut aliæ cardinales, principaliter sibi vindicet quod communiter pertinet ad virtutes; imò & principaliùs, quàm temperantia. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm inter alias communes virtutis conditiones sit firmiter operari, ex Arist. & hanc firmitatis laudem potissimè sibi vendicet fortitudo, & quidem magis quàm temperantia, utpote quæ est circa dolores & pericula mortis, quæ quidem magis fugimus, quàm voluptatem sequamur, ut notat Aug. quin imò & videmus immanissimas bestias à maximis voluptatibus exterreri dolorum metu; ideò & id sibi vendicat fortitudo, & principaliùs quàm temperantia, quod communiter perinet ad virtutes, proindeque & est cardinalis virtus, & quidem licèt ad mala corporalia ordinetur tanquam ad contraria, cùm adhuc ad bonum rationis, sicut aliæ virtutes, ordinetur tanquam ad finem: tum etiam licèt ira, quæ ei cooperatur, non sit passio principalis; & ipsa pericula mortis, circa quæ est, rarò immineant, utpote cùm non cooperetur ira fortitudini ad principalem actum, qui est sustinere; & illorum periculorum occasiones frequenter occurrant, & ita adhuc sit fortitudo, sicut & aliæ cardinales virtutes, de his quæ maximè occurrunt in vita humana.

In 2. Ethic.

Vtrum fortitudo præcellat inter omnes alias virtutes. ℞. *Negativè*, non quòd non sit potior temperantiâ, imò & præcellat omnibus secundùm quandam generalitatem utilitatis; sed ita quod absolutè potior omnibus sit prudentia, & post prudentiam justitia. ART. 12.

Primum est, quia cùm in his, quæ non mole magna sunt, idem sit esse majus, quod melius, ex Aug. proindeque & oporteat quod tanto aliqua virtus sit major, quanto est melior; ideò cùm bonum hominis sit bonum rationis, ex Dionys. & hoc essentialiter habeat prudentia, quippe quæ est rationis perfectio; justitia autem sit hujus boni factiva, prout scilicet ponit ordinem rationis in rebus; cùm tamen aliæ virtutes sint solùm ejusdem boni conservativæ secundùm remotionem impedimenti, in quâtum scilicet passiones moderantur: ideò, inquam, fit quod præ cæteris præcellat prudentia, sicut quod dicitur essentialiter, potius est eo quod dicitur & effectivè, & conservativè: tum post prudentiam justitia, & quidem quanvis sit fortitudo de difficiliori, & circa mortis pericula, utpote cùm magnitudo virtutis magis sit mensuranda secundùm rationem boni, quàm secundùm rationem difficilis; & insuper non exponat homo personam suam mortis periculis, nisi propter justitiam conservandam, sicque fortitudinis laus dependeat quodammodo ex justitia. *Secundum est*; quia cùm inter ea, quæ abducunt hominem à bono rationis, timor periculorum mortis sit maximè efficax, & magis quàm delectationes tactus, propterea fit, quod potior sit fortitudo ad conservandum, quàm temperantia; sed præterea & potior omnibus secundùm quandam generalitatem utilitatis, ut insinuat Ambrosius, prout scilicet & in rebus bellicis, & in cilibus, sive domesticis utilis est, ad differentiam liberalitatis, quæ solùm utilis est in quibusdam particularibus beneficiis.

In 6. de Trinit. cap. 8.

Cap. 4. de div. nom.

In 1. de offic. cap. 35.

IN QVÆSTIONEM CXXIV.

De Martyrio.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Martyrium sit actus virtutis. ℞. *Affirmativè*, ita quod de ratione martyrii sit, quod ad rationem virtutis pertineat, non tamen absolutè, sed secundùm præparationem animi. *Primum est*, quia ad virtutem pertinet, ut aliquis in bono rationis conservetur, quod quidem cùm consistat in veritate sicut in proprio objecto, & in justitia ut in proprio effectu; ideo & est de ratione martyrii, utpote cujus est, ut aliquis firmiter stet in veritate, & justitia, contra persequentium impetum. Cum quo tamen stat, quod martyrii gloriam, quam sic in aliis meretur propria voluntas ex virtute, adhuc innocentes pro Christo occisi assequuti sint per Dei gratiam, quatenus scilicet sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam. *Secundum est*, quia cùm consistat martyrium in debita sustinentia passionum injustè inflictarum, ideò & sufficit ut homo sit paratus, quod si alius injustè egerit, moderatè sufferat usque ad mortẽ; non autem debet se martyrio ingerere, ne detur alteri occasio injustè agendi: ita tamen, quod adhuc honorentur sanctæ aliquæ fœminæ quæ seipsas pro servanda pudicitia interfecerunt; id enim, ut ait Aug. divina dispositione factum est, quatenus aliquibus fide dignis testificationibus divina persuasit authoritas Ecclesiæ, ut dictarum mulierum memoriam honoraret.

ART.2. *Vtrum martyrium sit actus fortitudinis.* ℟. *Affirmativè*, non quòd non compareтur ad fidem velut ad finem, & ad charitatem ut ad virtutem imperantem; sed ita quod fortitudinis sit tanquam virtutis elicientis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm propriè spectet ad fortitudinem, ut hominem confirmet in bono virtutis, maximè contra pericula mortis, & præcipuè ejus, quæ est in bello; & in martyrio ita firmetur homo in bono virtutis, dum fidem & justitiam non deserit propter imminentia pericula mortis, quæ etiam in quodam particulari certamine à persequutoribus imminent; ideo ad fidem quidem comparatur martyrium sicut ad finem, in quo aliquis confirmatur, & sic mater martyrii dicitur fides: imò & est actus charitatis tanquam inclinantis & imperantis, ad modum primi, & principalis motivi, quo fit ut illam pariter manifestet: cum hoc tamen stat, quod sit fortitudinis tanquam virtutis elicientis ad modum proprii motivi, juxta illud: Fortes facti sunt in bello. Ita tamen, quod concomitanter commendetur in Martyribus patientia, quandoquidem deservit fortitudini ex parte actus principalis, qui est sustinere.

ART.3. *Vtrum martyrium sit actus maximæ perfectionis.* ℟. *Affirmativè*, non quidem secundùm speciem ipsius actus, seu ex parte virtutis proximè elicientis; sed secundùm quod comparatur ad primum sui motivum, sive secundùm genus suum. *Primum est*, quia cùm primum motivum actus virtutis, secundùm quod pertinet ad perfectionem vitæ, sit amor charitatis, quæ est vinculum perfectionis, ex Apost. & marty- Ad Coloss.3.

rium inter omnes actus virtuosos demonstret maximè perfectionem charitatis, utpote cùm tanto magis aliquis ostendat se aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, remque eligit magis odiosam; & homo inter omnia bona hujus vitæ maximè amet vitam, & odiat mortem; ideò & est actus martyrii in ordine ad primum sui motivum perfectior secundùm suum genus inter humanos actus, quasi maximæ charitatis signum, & specialiter pefectior obedientiâ, cùm complectatur id, quod est summum in ea, ut scilicet sit quis obediens usque ad mortem; & quidem quanvis in aliquo casu sit martyrium de necessitate salutis, & cadat sub præcepto; nec enim, ut notat Aug. ullus est actus perfectionis sub consilio cadens, qui in aliquo eventu non cadat sub præcepto, ut patet de eo qui incidit in necessitatem continentiæ servandæ propter infirmitatem, vel absentiam uxoris. *Secundum est*, quia cùm tolerare mortem non sit laudabile secundùm se, sed solùm secundùm quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis, putà ad fidem, & dilectionem Dei; ideo cùm iste actus melior sit, utpote habens rationem finis, non potest martyrii actus esse secundùm se, aut secundùm speciem quam habet ex parte virtutis proximè elicientis omnium perfectissimus.

Vtrum mors sit de ratione martyrii. ℟. *Affirmativè*; si tamen sermo sit de martyrio secundùm perfectam martyrii rationem, non secundùm quandam similitudinem. *Primum est*, quia cùm dicatur martyr, quasi testis Fidei Christianæ, per quam nobis ART. 4.

visibilia pro invisibilibus contenenda proponuntur, proindeque ad martyrium pertineat, ut homo testificetur fidem, ostendens opere se omnia præsentia contemnere, ut ad invisibilia bona perveniat; ideò quia quamdiu homini remanet vita corporalis, nondum opere ostendit se temporalia cuncta despicere, secundùm illud, Cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua; ideo fit, quod ad perfectam martyrii rationem debeat aliquis etiam mortem sustinere pro Christo, adeò ut martyrium non propriè dicatur de tolerantia carceris, vel exilii, vel rapinæ divitiarum, &c. nisi secundùm quod ex his sequitur mors, sitque martyrii meritum non quidem post mortem, sed in ipsa voluntaria sustinentia mortis. Vnde quod mulier aliqua pro fide Christi integritatem carnis perdat, nón propterea propriè habet rationem martyrii, cùm apud homines non reddatur propter hoc testimonium sufficiens fidei, esto quod apud Deum, qui corda scrutatur, possit hoc ad præmium deputari, ut B. Lucia dixit. *Secundum est*, quia loquendo de martyrio secundùm quandam similitudinem, rectè dixerim cum Hieron. quod Dei genitrix virgo & martyr fuit, quanvis in pace vitam finiverit; necnon & cum Greg. quod quanvis occasio persequutionis desit, habet tamen & pax nostra martyrium suum; quia etsi colla ferro non subjicimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria mente trucidamus.

Iob 2.

In sermone de Assumpt. Homil. 3. in Evãg.

ART. 5. *Vtrum sola fides sit causa martyrii.* ℞. *Negativè*, non quòd aliud quàm fidei veritas possit esse causa martyrii, sed quia fidei veritatem protestatur etiam quicumque

patitur pro quocumque bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato propter Christum vitando. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm Martyres ideò dicantur quasi testes, quia corporalibus passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati fidei, ideò sola quidem fidei veritas est martyrii causa; sed quia ad veritatem fidei non solùm pertinet ipsa cordis credulitas, verùm etiam ipsa exterior protestatio, quæ quidem non solùm fit per verba, sed etiam per facta, quibus se aliquis fidem habere ostendit, juxta illud Scripturæ, Ego ostendam tibi ex operibus fidem; propterea non sola fides, sed & omnium virtutum opera, & quodcumque bonum humanum, prout in Deum referuntur, possunt esse martyrii causa, adeò ut ipsa etiam vitatio mendacii, ut est divinæ legi contrarium, possit esse martyrii causa, esto quod id non habeat veritas aliarum scientiarum, utpote quia non pertinet ad divinitatis cultum. Est enim aliquis Christi, & Christianus, non solùm quia ejus fidem habet, sed etiam quia spiritu Christi ad opera virtuosa procedit; & ideo patitur Christianus non solùm propter fidei confessionem, quæ fit per verba, sed etiam pro quocumque bono opere faciendo, vel malo vitando propter Christum. Vnde & Ioannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui tamen non pro fidei confessione, sed pro reprehensione adulterii morte fuit coronatus. Iacob. 2.

IN QVÆSTIONEM CXXV. ARTICVLVS PRIMVS.

De timore.

VTrum timor sit peccatum. ℟. *Affirmativè*, non quidem prout communiter di-

ctus, aut secundùm quod refugit quod est secundùm rationem fugiendum; sed quando fugimus ex timore ea, quæ ratio dictat esse sustinenda. *Ratio utriusque partis est,* quia cùm ille timor peccatum sit, qui est inordinatus, utpote cùm bonum rationis consistat in ordine, qui quidem requirit, ut appetitus subdatur regimini rationis; & talis sit timor, non quidem communiter dictus, ut dicit simpliciter fugam; sic enim nec importat rationem boni, nec mali, sicuti nec aliæ passiones; sed nec ille, quo fugimus quod est secundùm rationem fugiendum, qualis quidem est timor ille ad
Ephes. 6. quem inducit Apost. scilicet ut timeat servus, ne deficiat in obsequiis Domini; necnon & timor malorum, quibus homo resistere non potest, & ex quorum sustinentia nihil nobis provenit boni, utpote cùm uterque sit ordinatus & secundùm rationem; sed timor quo fugit appetitus quæ ratio dictat esse sustinenda, ne scilicet ab aliis desistat, quæ magis debet prosequi; quandoquidem dictat ordinata ratio, quædam bona esse magis prosequenda, quàm quædam mala fugienda, & in his quædam magis, & quædam minùs; ideo & est præfatus ille timor peccaminosus.

Art. 2. *Vtrum peccatum timoris opponatur fortitudini.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non includatur inordinatus timor in quolibet peccato, sed ita quod opponatur antonomasticè inordinatus timor virtuti fortitudinis. *Primum est*, quia cùm præcipuus timor sit periculorum mortis, ex Aristotele; ideò & opponitur antonomasticè talis timoris inordinatio virtuti fortitudinis, quæ est circa

pericula mortis; & quidem etiam in illo, qui se periculis mortis exponit, ut fugiat aliquid laboriosum, utpote qui à timore tunc vincitur; quod est fortitudini contrarium, ad quam scilicet pertinet, ut se exponat fortis periculis mortis propter bonum. Cum quo tamen stat, quod timor ut opponitur spei, cùm sit causa desperationis, referatur ad aliud genus, scilicet ad res divinas, nec sit ejusdem rationis cum timore, qui opponitur fortitudini, utpote pertinente ad pericula mortis. *Secundum est*, quia cùm timor ex amore procedat, utpote cùm nullus timeat nisi contrarium ejus, quod amat; & amor ordinatus includatur in qualibet virtute, quandoquidem quilibet virtuosus amat proprium bonum virtutis; ideo & includitur inordinatus timor communiter sumptus in quolibet peccato, proindeque & diversis opponitur virtutibus.

Utrum timor sit peccatum mortale. ℞. *Affirmativè*, non quòd mortalis sit secundùm quod consistit in sensualitate, sed ita quod prout pertingit usque ad appetitum rationalem, possit esse mortalis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm timor sit peccatum secundùm quod inordinatus, in quantum refugit quod secundùm rationem non est fugiendum; & hæc inordinatio quandoque consistat in solo appetitu sensitivo, non superveniente consensu voluntatis, in quo quidem appetitu est tunc solùm veniale peccatum, ut dictum fuit; ideò & est tunc timor solummodò venialis, sicut & quando revocat à bono, quod non est de necessitate præcepti, sed de perfectione; sed quia ART. 3. 1.2.q.74. art. 4.

adest aliquando consensus voluntatis, quæ ex libero arbitrio refugit bonum aliquod, non secundùm rationem; ideò & erit tunc timor mortalis, si nimirum quis ob timorem mali sit dispositus ad aliquid faciendum prohibitum, vel prætermittendum quod est in lege divina præceptum. Vnde erit timidis pars in stagno ignis, ut dicitur Apocal.21. ita tamen, quod adhuc dicatur homo timidus reparabilis, ut dicit quædam Glossa; quandoquidem etiamsi timor sit peccatum mortale, non tamen aliquis ita obstinatè terretur, quin persuasionibus revocari possit.

ART.4. *Vtrum timor excuset à peccato.* ℞. *Affirmativè*, non quòd semper excuset totaliter, vel ex ea parte quâ est peccatum; sed ita quod ex ea parte quâ est involuntarius, semper minuat, & excuset, dum facit mala fugere, quæ secundùm rationem sunt magis fugienda. *Primum est*, quia cùm dictet ratio, quædam mala esse magis aliis fugienda; & aliunde minùs voluntarium sit quod ex timore agitur, utpote ex quo quædam imponitur necessitas; ideò & ex ea parte, quâ est involuntarius, semper minuit, & excusat in casu, quo facit mala fugere, quæ secundùm rationem sunt magis fugienda, putà si quis propter timorem mortis latronibus aliquid promitteret, aut daret, utpote quia magis est fugienda mors corporalis, quàm amissio temporalium rerum. Vnde & habet locum timor ille ita excusans, tum respectu mortis, quanvis immineat omnibus ex necessitate, cùm sit diminutio vitæ temporalis quoddam malum, & per consequens timendum: tum etiam respectu

respectu mali temporalis, utpote cùm sint temporalia minima saltem bona, ut dicit Aug. & ut Peripatetici senserunt contra Stoïcos; & ita contraria eorum sint timenda, quanvis non multùm, ut scilicet pro eis recedatur ab eo, quod est bonum secundùm virtutem. *Secundum est*, quia cùm timor ille sit inordinatus, quo mala fugimus, quæ secũdùm rationem sunt minùs fugienda, & mala incurrimus, quæ magis fugienda sunt, ut si quis peccata, seu mala animæ incurreret, ut fugiat mala corporis; ideò non semper excusat timor à peccato, esto quod etiam tunc aliqualiter diminuat, non quidem ex ea parte, quâ est peccatum, cùm potiùs peccatum peccato aggravetur, sed quia est minùs voluntarium. Lib. 2. de lib. arb. cap. 18.

IN QVÆSTIONEM CXXVI.

De vitio intimiditatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum intimiditas sit peccatum. ℟. *Affirmativè*, ita quod & licitum sit mortem & alia temporalia timere modo debito; & nihil horum timere sit vitiosum. *Primum est*, quia cùm timor, quo temporalia mala timentur, de quo hîc agitur, oriatur ex amore temporalium, proindeque idem sit utriusque judicium; ideò cùm amor ille temporalium sit licitus quando debito modo amantur, iis scilicet solùm utendo propter ultimum finem, utpote cùm hujusmodi amore & vita, & quæ ad eam necessaria sunt, naturali inclinatione amentur, etiam licitus erit eorundem timor. Vnde non propterea commendatur justus in Scriptura velut leo sine terrore, quasi sine omni timore sit, quandoquidem ex eadem Scriptura, qui sine timore est, justificari non potest; Prov. 28. Eccles. 1.

sed quia timorem non habet à bono retrahentem. *Secundum est*, quia cùm id omne vitiosum sit, quod est contra naturalem inclinationem, utpote à Deo authore naturæ convenienter inditam; & nihil horum timere, quæ nobis in temporalibus imminere possunt, sit hujusmodi, utpote quia amor debitus in vita, eique necessariis, etiam sibi ipsi est naturaliter impendendus, ut dictum est; ideò & est hujusmodi intimiditas vitiosa, & quidem sive causetur ex defectu amoris, sive causetur ex elatione animi de se præsumentis, & alios contemnentis, sive etiam causetur ex stoliditate, non tamen invincibili, quæ quidem excusat à peccato. Vnde debent quidem temporalia bona contemni, ut impediunt nos ab amore, & timore Dei, non tamen ut nos ad ea instrumentaliter juvant; sed possunt sub hac ratione timeri, sicut & mors, & quidquid ab homine potest inferri, in quantum scilicet his impeditur homo in operibus virtuosis, esto quod timenda non sint eâ ratione, ut à justitia recedatur, juxta illud Scripturæ, Nolite timere eos qui occidunt corpus.

Art. 2. *Vtrum esse impavidum opponatur fortitudini.* ℟. *Affirmativè*, non quidem secundùm excessum, sed secundùm defectum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm fortitudo sit circa timores, & audacias; & omnis virtus moralis constituat modum rationis in materia circa quam est, ideò fit, quod ad fortitudinem pertineat timor moderatus secundùm rationem, ut scilicet homo timeat quod, & quando oportet; qui quidem modus rationis per impaviditatem corrumpitur, non quidem per excessum; sic enim

corrumpitur per audaciam, quæ propterea fortitudini opponitur secundùm excessum; sed secundùm defectum timoris, & quidem quanvis actus fortitudinis sit timores sustinere, & aggredi, utpote quod non facit qualitercumque, sed secundùm rationem, quod non facit impavidus. Cum quo tamen stat, quod impaviditas secundùm suas causas possit aliis opponi virtutibus, quanvis quia secundùm speciem suam corrumpit medium fortitudinis, ideò & directè ei opponatur.

IN QVÆSTIONEM CXXVII.

De audacia.

ARTICVLVS PRIMVS. Lib. 31. Mor. cap. 18.

V*Trum audacia sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem secundùm quod ratione moderata, sed prout per superabundantiam dicta. *Ratio utriusque partis est*, quia audacia ut ratione moderata potiùs pertinet ad virtutem fortitudinis, ut insinuat Greg. ut autem per superabundantiam dicitur, excessum dicit, aut defectum; quod quidem in moralibus, quæ medium exposcunt, est semper vitiosum. Vnde in tantum laudabilis est audacia, quæ facit ad velocitatem operandi post consilium, in quantum à ratione ordinatur. Quin imò quia quando sive vitia, sive virtutes innominata sunt, utimur nominibus passionum ad illa significanda; ideò & ponitur audacia vitium, & è contra spes quæ habet bonum pro objecto, ponitur virtus, licèt ambo sint passiones.

ART. 2.

Vtrum audacia opponatur fortitudini. ℞. *Affirmativè*, non quidem secundùm causam vitii, seu vitiosi, quod est in audacia; sed secundùm ipsam vitii speciem. *Primum*

est, quia cùm omne vitium, quod importat immoderantiam circa materiam alicujus virtutis moralis, opponatur illi virtuti, ut immoderatum moderato; & audacia, ut sonat in vitium, & secundùm vitii speciem importet excessum passionis circa materiam fortitudinis, qui audacia nominatur; ideò & opponitur ita sumpta virtuti fortitudinis, & quidem quanvis excessus timoris, sive timiditas habeat aliud vitium sibi oppositum secundùm defectum timoris; cùm enim consistat motus audaciæ in invadendo id quod est homini contrarium, ad quod quidem natura inclinat, nisi in quantum impeditur talis inclinatio per timorem patiendi nocumentum ab alio; ideo nec habet audaciæ excessus contrarium defectum, nisi timiditatem tantùm. *Secundum est*, quia cùm oriatur audacia ex præsumptione, tanquam ex causa; ideò & oporteret eidem opponi, cui præsumptio, si attenderetur oppositio vitii ad virtutem secundùm causam; necnon & opponi justitiæ, si attenderetur oppositio secundùm effectum, utpote cùm nocumentum, quod ex audacia provenit, sit ejus effectus.

IN QVÆSTIONEM CXXVIII.

De partibus fortitudinis.

ARTICVLVS VNICVS.

VTrum partes fortitudinis convenienter numerentur. ℞. *Affirmativè*, ita quod omnes fortitudinis partes ad quatuor illas principales reducantur, quas Tullius ponit, magnificentiam, fiduciam, patientiam, & perseverantiam; taliter tamen, quod si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, sint quasi partes integrales ipsius; si autem ad quascumque materias difficiles

referantur, ſint partes ſolùm potentiales, ſeu ei adjunctæ, tanquam ſecundariæ principali. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm fortitudini (utpote quæ eſt tam ſpecialis virtus, ſive circa tam ſpecialem materiam) non poſſint aſſignari partes ſubjectivæ, ſed ſolùm vel potentiales, ſecundùm quod ea, quæ fortitudo obſervat circa difficilia, aliquæ virtutes obſervant circa aliquas materias minùs difficiles; vel integrales, ſecundùm ea, quæ oportet ut concurrant ad actum fortitudinis, cujus actus ſunt aggredi, & ſuſtinere; ideò cùm ad actum aggrediendi duo requirantur: primum quoad animi præparationem, ut aliquis promptum habeat animum ad aggrediendum; & quantum ad hoc ponit Tullius fiduciam, quâ habet homo ſpem non in Deo, ſic enim eſt virtus theologica; ſed in ſe ipſo, quāvis ſub Deo, & ſub qua comprehendūtur magnanimitas, & ſecuritas, quas Macrobius addit: alterum ne deficiat quis in exequutione illorum quæ fiducialiter inchoavit, ad quod ponit magnificentiam, quæ quidem cùm addat circa materiam liberalitatis quandam magnitudinem habentem rationem ardui, quod eſt objectum iraſcibilis, quem perficit fortitudo; ideò & ex hac parte ſpectat ad fortitudinem, maximè cùm ſit periculoſum quaſcumque res magnas aggredi; quia in his deficere eſt valde nocivum, ſicque affinitatem habeant cum fortitudine & magnificentia, & fiducia; ſed inſuper cùm ad alium actum fortitudinis duo ſimiliter requirantur: primum ne difficultate imminentium malorum frangatur animus per triſtitiam, ad quod quidem poni-

tur patientia, cujus loco ponit Macrobius tolerantiam: alterum verò ut ex diuturna difficilium passione homo non ita fatigetur, ut desistat, ad quod ponitur perseverantia, seu firmitas, ut dicit Macrobius, esto quod prout dicit continuitatem boni operis usque in finem, sic potiùs sit circumstantia omnis virtutis, quàm pars fortitudinis; consequenter sit quod partes fortitudinis convenienter, & sufficienter enumerentur præfatæ quatuor, ad quas quidem possunt etiam reduci partes illæ, quas Andronicus ponit: ita tamen, quod non nisi partes sint potentiales fortitudinis, seu virtutes adjunctæ, ut vagantur ad aliquas alias materias, in quibus est minùs difficultatis, & solùm sint integrales partes, prout coarctantur ad propriam materiam fortitudinis, sive circa pericula mortis, utpote sine quibus esse non potest tunc fortitudo.

IN QUÆSTIONEM CXXIX.

De magnanimitate.

ARTICULUS PRIMUS.

VTrum *magnanimitas sit circa honores.* ℞. *Affirmativè*, non quidem sic, ut pro magno æstimet humanum honorem; sed ita quod studeat ea facere, quæ sunt honore digna. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm is simpliciter sit magnanimus qui habet animum ad actum magnum, non quidem solùm secundùm proportionem, qui etiam reperitur in usu optimo rei parvæ; sed simpliciter magnum, utpote cùm habitus ab actu principaliter determinetur; ideò cùm talis consistat in usu optimo rei magnæ, qualis quidem inter res exteriores est honor: tum quia est propinquissimum virtuti, cujus est signum:

tum quia debetur Deo, & optimis: tum denique quia homines ad honorem consequendum, & vituperium vitandum omnia alia postponunt; propterea fit quod esse debeat magnanimitas mediatè saltem circa honores, tanquam circa objectum passionis spei, sicut & est fortitudo mediatè circa difficillima, prout scilicet habet honor rationem ardui & magni, sub qua scilicet ratione ad irascibilẽ pertinet, in quo est magnanimitas, nõ autem ad concupiscibilem; non tamen taliter, ut pro magno æstimet magnanimitas humanum honorem, cùm potiùs laudabiles sint & virtuosi, qui non nimis appretiantur, adeò ut pro eis adipiscendis nihil inconveniens faciant; sed taliter quod studeat facere quæ sunt honore digna, utpote cùm vituperabilis esset, qui hoc modo honores contemneret, ut non curaret facere quæ honorem merentur.

Vtrum magnanimitas de sui ratione habeat, quod sit circa magnum honorem. ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit virtus aliqua, quæ sit circa mediocres honores; sed ita quod alia insuper sit, cujus propria materia sit magnus honor, scilicet magnanimitas. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virtutes morales sint circa passiones, quæ quidem pugnant contra rationem, seu rationis modum; ideò cùm hoc dupliciter possit accidere, vel principaliter ex parte passionum, vel etiam ex parte rerum, quæ sunt passionum objecta, sed cum hoc discrimine, quod passiones secundùm se, nisi fuerint vehementes, non multùm repugnant rationi, benè quidem illæ, quæ ex rebus sumuntur exterioribus, quod patet in pecuniæ, vel ART. 2.

honoris cupiditate; consequenter fit quod quanvis in prioribus poni non debeant virtutes, nisi circa id quod est magnum in passionibus, sicut non nisi circa maximos timores & maximas audacias est fortitudo; in his tamen passionibus quæ ex rebus sumuntur, non solùm oporteat esse virtutem circa maxima, sed etiam circa mediocria & minora, quando & hæc sunt multùm appetibilia; atque ita sicut circa appetitum pecuniæ sunt duæ virtutes, scilicet liberalitas pro mediocribus, & magnificentia circa magna; sic & circa honores, una circa mediocres, innominata; sed alia insuper circa magnos, quæ nominatur magnanimitas; & quidem quanvis magnum & parvum per accidens se habeant ad honorem, utpote cùm adhuc maximam faciant differentiam, secundùm quod comparantur ad rationem, cujus modus difficiliùs observatur in magnis honoribus, ad differentiam iræ, in qua quidem non habet notabilem difficultatem, nisi id quod est maximum. Cum quo tamen stat, quod quia qui benè magnis utitur, multò magis potest uti & parvis; ideò nec extollitur magnanimus magnis honoribus, quia eos non reputat supra se; sed nec dehonorationibus frangitur, sed magis eas contemnit, quia reputat sibi indignè afferri.

Art. 3. *Vtrum magnanimitas sit virtus.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit magnanimus magnitudine extremus, imò & tendere videatur ad contraria humili; sed ita quod cum hoc medius sit, seu modum rationis ponat magnanimitas, nec reipsa humilitati contraria sit. *Ratio utriusque partis est*, quia

cùm ad rationem virtutis humanæ pertineat, ut in rebus humanis bonum rationis ſervetur, quod eſt proprium hominis bonum; & inter res humanas exteriores, honores præcipuum obtineant locum: ideò quanvis tendat magnanimus ad maxima, & ita ſit magnitudine extremus; quia tamen non excedit in hoc virtutis medium, quandoquidem ſectatur maxima ſecundùm rationem, eſt conſequenter magnanimitas virtus moralis, adeò ut quanvis non competat actus magnanimi omni virtuoſo, nec enim virtutum connexio intelligi debet ſecundùm actus; ſit tamen connexa magnanimitas omnibus virtutibus ſecundùm habitum ſimul in anima exiſtentibus, ratione ſcilicet principiorum, quæ ſunt prudentia & gratia. Vnde nec eſt magnanimitas humilitati contraria, cùm non faciat ut homo ſe dignificet magnis, niſi ſecundùm conſiderationem donorum, quæ ex Deo poſſidet; nec alios contemnat, niſi prout deficiunt à donis Dei, quod quidem cum humilitate compatitur, ex qua ſcilicet homo ſeipſum ſolùm parvipendit ſecundùm conſiderationem proprii defectus; ſed nec habet proprietates culpabiles, utpote cùm non dicatur magnanimus beneficiorum immemor, niſi quia ei non eſt delectabile, quod ab aliis recipiat, quin majora recompenſet; nec dicatur otioſus & tardus, quaſi deficiat ab operando quæ ſibi conveniunt; ſed quia non ſe ingerit quibuſcumq; operibus, ſed ſolùm magnis, quæ pauca ſunt, unde & habet motum tardum, & vocem gravem: nec niſi quia non totam ſuam oſtendit magnitudinem, dicatur ironia uti ad multos,

non autem prout opponitur ironia veritati.

Art.4. *Vtrum magnanimitas sit specialis virtus.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non respiciat ex consequenti, seu ratione materiæ omnes virtutes; sed ita quod secundùm se considerata ab aliis condistinguatur virtutibus. *Primum est*, quia specialis virtus dicitur, quæ ponit modum rationis in aliqua determinata materia; quod quidem facit magnanimitas, quippe quæ modum ponit circa honorem, qui est quoddam speciale bonum; imò & ita specialiter, ut nec etiam sit circa quoscumque honores, cùm ideò intendat magnanimus in qualibet virtute magna operari, quia tendit ad ea quæ sunt digna magno honore; nec promptum se exhibeat ad actus aliarum virtutum, qui ei attribuuntur in quantum tales, sed prout habent rationem cujusdam excellentiæ, sicut & ea ratione defectus vitat, quia contrarii excellentiæ. Vnde nec dicitur ornatus omnium virtutum, quasi non habeat virtus quælibet decorē ex sua specie, sed quia per magnanimitatē alius superadditur ornatus ex magnitudine operis virtuosi. *Secundum est*, quia cùm honor sit cujuslibet virtutis præmium, ideò & omnes respicit virtutes ex consequenti, ratione scilicet materiæ.

Art.5. *Vtrum magnanimitas sit pars fortitudinis.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non conveniat magnanimitas cum fortitudine in confirmando animum circa aliquid arduum, imò & possit aliqualiter pro eodem accipi; sed ita quod in hoc ipso à fortitudine deficiat, tanquam adjūcta, & secundaria à principali. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm tanto principalior, seu magis capitalis sit virtus, quæ firmitatem præstat animo, utpote quæ

firmitas est generalis modus in omni virtute, quanto difficilius est firmiter in aliquo se habere, præcipuè arduo, ubi præcipuè laudatur firmitas; & difficilius sit firmiter se habere in periculis mortis, in quibus confirmat animum fortitudo, quàm in maximis bonis adipiscendis, ad quæ firmat magnanimitas, quandoquidem sicut homo maximè diligit vitam suam, ita maximè refugiat pericula mortis; ideò convenit quidem magnanimitas cum fortitudine, imò & potest quodammodo pro eodem accipi, in quantum non superari à periculis, accipitur pro eo, quod est attingere ad magnum bonum: sed cùm alia sit ratio difficultatis in utraque, ut dictum est, nec sit magnanimus periculi amator, quandoquidem non indifferenter se exponit, sed pro his tantùm quæ sunt magna; propterea fit quod adhuc condistinguatur à fortitudine, & quidem tanquam secundaria à principali, utpote in materia minùs difficili; magis namque repugnat firmitati animi prosequutio ardui in malis, quàm ardui in bonis, licèt bonum simpliciter loquendo sit principalius, quàm malum, utpote cùm malum ad differentiam boni sit per se potiùs fugiendum, nec nisi per accidens, seu propter boni conservationem sit circa malum persistendum.

Vtrum fiducia pertineat ad magnanimitatem. ℞. *Affirmativè*, non quòd non pertineat ex consequenti ad fortitudinem, sed ita quod magis propriè pertineat ad magnanimitatem. *Primum est*, quia cùm nomine fiduciæ hîc principaliter significetur quod quis spem concipiat ex hoc quod cre- ART. 6.

dit alicujus verbis auxilium promittentis; vel quod quis ſpem alicujus rei concipiat ex aliquo conſiderato vel in aliis, vel in ſeipſo; unde & importat robur quoddam ſpei ex aliqua conſideratione proveniens, quæ vehementem facit opinionem de bono aſſequendo; ideo & ad magnanimitatem propriè pertinet, quæ quidem propriè eſt circa ſpem alicujus ardui, imò & ad quam pertinet fiduciam habere de aliis, in quantum ſcilicet homo talis eſt naturæ, quod aliis indigeat; utpote cùm hoc etiam ad excellentiam hominis pertineat, quod habeat alios in promptu, qui eum juvare poſſint. Vnde non nominat fiducia propriè loquendo virtutem aliquam, ſed conditionem virtutis, ſcilicet modum, ſeu robur quoddam ſpei, quandoquidem etſi habeat modus alicui affectioni adhibitus, quod poſſit pertinere ad commendationem ipſius actus, ut ex hoc ſit meritorius præmii; non tamen ex hoc determinatur ad ſpeciem virtutis, ſed ex materia. *Secundum eſt*, quia cùm ſpes audaciam cauſet, quæ quidem pertinet ad fortitudinem; ideò cùm fiducia robur quoddam importet ſpei, ex conſequenti pertinet ad fortitudinem; minùs tamen propriè, quàm ad magnanimitatem, utpote quæ eſt non circa mala, ut fortitudo, ſed circa proſequutionem boni, quod quidem eſt objectum ſpei.

ART. 7. *Vtrum ſecuritas ad magnanimitatem pertineat.* ℞. *Affirmativè*, ita ſcilicet quod ex conſequenti pertineat ad magnanimitatem, ſed tamen immediatè ſpectet ad fortitudinem. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſecuritas quandam importet perfectam

quietem animi à timore, sicut fiducia est quoddam robur spei, utpote quæ secura dicitur per remotionem curæ, non quidem cujuslibet, utpote quod non esset laudabile, sed prout debet, & in quibus timere non oportet; ideò cùm timor directè pertineat ad fortitudinem, sicut spes ad magnanimitatem; propterea fit quod sicut fiducia immediatè pertinet ad magnanimitatem, sic & securitas ad fortitudinem, non quidem quasi idem cum illa, cùm non laudetur præcipuè fortitudo ex hoc, quod non timet, sed tanquam ipsius conditio, quæ tamen ad virtutis præmium pertinet, quando est perfecta securitas: sed quia sicut spes est causa audaciæ, ita timor est causa desperationis; ideò sicut fiducia ex consequenti pertinet ad fortitudinem, ut utitur audacia, ita securitas ex consequenti pertinet ad magnanimitatem, prout repellit desperationem.

Vtrum bona fortuna conferant magnanimitatem. ℞. *Affirmativè*, & quidem sive comparetur magnanimitas ad materiam suam, quæ est honor; sive comparetur ad suum finem, qui est magnum aliquid operari. *Primum est*, quia honor virtuosis exhibetur non solùm à sapientibus, sed etiam à multitudine, quæ quidem cum magnificiat bona fortunæ, ideò & major honor exhibetur his, qui talia bona possident. *Secundum est*, quia cùm per divitias, potentias, & amicos detur nobis facultas operandi; ideò fit quod ad actus virtutum organicè deserviant bona fortunæ, adeò ut quanvis virtus sibi sufficiens esse dicatur, quia sine his exterioribus bonis esse potest; his ta- ART. 8.

men indigeat, ut expeditiùs operetur. Vnde contemnit quidem magnanimus bona hæc, prout non reputat ea magna bona, pro quibus aliquid indecens facere debeat; nec etiam multùm extollitur si adsint, sicut nec in eorum amissione multùm dejicitur; non tamen ita contemnit, quod non reputet ea utilia ad opus virtutis exequendum.

IN QVÆSTIONEM CXXX.

De præsumptione.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *præsumptio sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quòd vitiosum sit ad aliquid virtuosum intendere, quod non possumus per nos ipsos; sed ita quod in eo, in quo præsumptuosum est, peccatum sit, quasi contra ordinem naturalem existens. *Primum est*, quia cùm ea quæ sunt secundùm naturam, sint ordinata ratione divina, quam debet humana imitari, proindeque & vitiosum sit & peccatum, quasi contra naturalem ordinem, quidquid secundùm rationem humanam fit, quod est contra ordinem communiter in naturalibus rebus inventum; ideò quia communiter in rebus naturalibus invenitur, quod quælibet actio commensuretur virtuti agentis; & nullum agens naturale nitatur in id, quod excedit suam facultatem, vitiosum consequenter est, quia præsumptuosum, quod quis assumat ad agendum ea, quæ præferuntur suæ virtuti, & potentiæ. Cum quo tamen stat, quod quia nihil prohibet, aliquid esse supra potentiam activam alicujus rei naturalis, quod non est supra potentiam passivam ejusdem, vitiosum quidem esset, quia præsumptuosum, si qui nondum in virtute profecit, tentaret ea quæ sunt perfectæ virtu-

tis; non tamen si ad hoc tendat, ut proficiat, quo modo Paulus hortabatur ad profectum. Imò nec præsumptionis est, si homo se tradat ad divinã, utpote qui potentiam habet intellectus, & voluntatis, per quas potest conjungi immortalibus & divinis. *Secundum est*, quia cùm id quod per amicos possumus, aliqualiter per nos ipsos posse censeamur, ex Philos. & cum Dei auxilio possimus & bonum facere, & cogitare, sicque non totaliter excedat facultatem nostram; ideò nec ad hoc intendere vitiosum est, sicut nec præsumptuosum. Ad Philipp. 3. In 3. Ethic. cap. 5.

Vtrum præsumptio opponatur magnanimitati per excessum. ℟. *Affirmativè*, non quidem quantum ad id in quod tendit, sed per excessum comparativè ad proportionem suæ facultatis. *Ratio utriusque partis est*, quia quanvis magnanimus secundùm quantitatem ejus in quod tendit, tendat in maximum, & ideò quantum ad id non excedat præsumptio; quia tamen constituitur in medio secundùm proportionem ad propriã facultatem, utpote qui non tendit in majora, quàm sibi conveniant; ideò comparativè ad hanc proportionem, ei per excessum opponitur præsumptuosus, qui quidem transcendit proportionem suæ facultatis. Quanvis enim id ad quod aliquis tendit supra vires suas, quandoque secundùm rei veritatem non sit magnum simpliciter, ut pretiosis vestibus indui, despicere & injuriari aliis; & ideò præsumptuosus secundùm rei veritatem quandoque deficiat à magnanimo: quia tamen adhuc est magnum quid secundùm stultorum opinionem, propterea fit quod adhuc secundùm ART. 2.

apparentiam comparetur præsumptio ad magnanimitatem secundùm excessum. Cum quo tamen stat, quod præsumptio, quæ solùm aliquo modico proprias transcendit vires, opponatur virtuti, quæ est circa mediocres honores, non autem magnanimitati, sicut nec præsumptio, quæ ponitur peccatum in Spiritum sanctum, illa scilicet, quâ quis divinam contemnit justitiam ex inordinata divinæ misericordiæ confidentia, quæ quidem opponitur charitati; esto quod adhuc magnanimitati possit opponi, ut scilicet excedit contemptus proportionem propriæ facultatis.

IN QVÆSTIONEM CXXXI.

De ambitione.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ambitio sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, non quòd vitiosum sit honorem ordinatè appetere; sed quia importat ambitio inordinatum appetitum honoris. *Primum est*, quia cùm honor quandam importet reverentiam in testimonium excellentiæ, nostræ quidem, sed tamen datæ à Deo; & quidem ad hoc, ut homo aliis prosit, quæ proinde in tantum debet placere homini, in quantum paratur via, ut aliis prosit; ideò & erit honoris appetitus inordinatus, & consequenter vitiosa ambitio, sive appetat aliquis ex ambitione testimonium excellentiæ, quam non habet, quod est honorem appetere supra suam proportionem; sive non referat in Deum honorem, vel in aliorum utilitatem, sed in ipso quiescat. Vnde dicitur quidem honor præmium virtutis, non tamen quoad ipsum virtuosum, qui beatitudinis præmium expetit, sed quoad alios, qui non habent aliquod ma-

In 1. Ethic.

jus, quod ei tribuant. *Secundum est*, quia cùm honor sit bonum quoddam, nec sit appetitus boni vitiosus nisi quando transcendit regulam rationis; ideò nec erit appetitus honoris vitiosus, si secundùm ordinem rationis appetatur, maximè cùm aliqui provocentur ad bonum, & revocentur à malo, quando debito modo appetitur, sicut & ubi appetitur inordinatè, potest esse occasio ad multa mala. Vnde & dicit Tullius, quod honor alit artes. Cum quo tamen stat, quod qui propter honorem tantùm agunt, non sint virtuosi, ut dicit Arist. Lib. de Tuscul. quæst. 3. Ethic. cap 8.

Vtrum ambitio opponatur magnanimitati per excessum. ℞. *Affirmativè*, non quidem comparativè ad finem, seu opus magnum, ad quod respicit magnanimitas; sed per excessum comparativè ad ipsius materiam, quæ est honor. *Primum est*, quia cùm importet ambitio appetitum inordinatum honoris; non enim est ambitio circa exteriorem cultum, seu apparatum, ob quem homines honorari solent, nisi secundùm quod pertinet ad honorem; sicut nec pertinet inordinatus appetitus dignitatum ad ambitionem, nisi prout illis, qui sunt in dignitate constituti, propter quandam excellentiam status debetur honor; ideò & opponitur magnanimitati per excessum quantum ad materiam, utpote quæ versatur circa honores, & eis utitur ut oportet. *Secundum est*, quia ex parte finis, seu operis magni, ad quod etiam respicit magnanimitas, ei potiùs opponitur præsumptio, cujus quidem est attentare magnum aliquod supra suam facultatem: unde & habet medium magnanimitatis plura extrema, seu ART. 2.

excessus; quod quidem inconveniens non est, cùm hoc non sit nisi comparativè ad diversa.

IN QVÆSTIONEM CXXXII.

De inani gloria.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum appetitus gloriæ sit peccatum. ℞. Affirmativè, non quòd gloriæ appetitus de se nominet aliquid vitiosum, sed ita quod appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importet. *Primum est*, quia cùm quodlibet vanum appetere vitiosum sit, juxta illud, Vt quid diligitis vanitatem? (Psal. 4.) ideò & appetitus vanæ gloriæ vitium importat, & quidem sive dicatur vana, quia quæritur de eo, quod non est, vel non est gloriâ dignum; sive ex parte ejus, à quo gloria quæritur, quando scilicet ejus judicium non est firmum; sive ex parte appetentis, quia suum appetitum non dirigit in debitum finem, scilicet ad honorem Dei, & proximi utilitatem, propter quam potest homo etiam laudabiliter gloriam suam expetere, sicut & Deus ipse gloriam suam quærit, non propter se, sed propter nos; ad perfectioné namque hominis pertinet quidem ut ipse cognoscat, non autem quod cognoscatur; & ideò id ex se non est expetendum, nisi pro Dei gloria, & proximi utilitate, in quo etiam sensu præcipitur curam haberi de bono nomine. (Eccl. 24.) Vnde nec est verè virtuosus, qui propter humanam gloriam operatur, ut probat Aug. (In 5. de civ. Dei, cap. 12.) esto quod provocentur aliqui ex appetitu gloriæ: nec gloria, quæ virtuti promittitur in Scriptura, est alia quàm vera gloria, quæ scilicet habetur à Deo. *Secundum est*, quia cùm nomen gloriæ propriè importet manifesta-

tionem alicujus de hoc, quod apud homines decorum videtur, sive illud sit bonum corporale, sive spirituale; aut saltem, si largiùs sumatur nomen gloriæ, quod à paucis cognoscatur, vel etiam à nobis ipsis, dum aliquis proprium bonum considerat; ideò cùm peccatum non sit, ex Apost. quod aliquis bonum suum cognoscat, & appetat, sicut nec quod quis velit opera sua bona ab aliis approbari, cùm Christus Dominus velit ea lucere coram aliis; nec etiam de se nominat gloriæ appetitus aliquid vitiosum. 1. Cor. 2. Matth. 5.

ART. 2. *Vtrum inanis gloria magnanimitati opponatur.* ℞. *Affirmativè*, & quidem tum per defectum, loquendo secundùm rei veritatem; tum etiam per excessum, loquendo secundùm cupidi æstimationem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm gloria sit effectus honoris & laudis; & magnanimitas sit circa honores, consequens est, ut sit etiam circa gloriam, hoc est ut sicut aliquis moderatè utitur honore, ita moderatè utatur gloriâ, proindeque quod inordinatus gloriæ appetitus ei directè opponatur; & quidem tum per defectum, loquendo secundùm rei veritatem, quatenus gloriatur inanis gloriæ cupidus in his, quæ magnanimus parva æstimat, & reipsa parva sunt; tum etiam per excessum, secundùm ejus æstimationem, utpote qui gloriam quam appetit, reputat aliquid magnum. Vnde nec prohibet ea, quæ aliis virtutibus opponuntur, opponi etiam magnanimitati, secundùm quod habentur pro magnis quæ parva sunt; quandoquidem hoc ipsum magnitudini animi repugnat, quod quis res modicas

tanti faciat, ut de eis glorietur: in quo etiam sensu ei opponitur contentio, cùm nullus soleat contendere, nisi pro re, quam æstimat magnam.

ART. 3. *Vtrum inanis gloria sit peccatum mortale.*
℞. *Negativè*, non quòd non sit dispositio ad peccata gravia, vel etiam mortalis, si charitati contrarietur; sed quia fieri potest, quod non repugnet charitati, neque quantum ad id de quo est gloria; neque quantum ad intentionem gloriam quærentis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm id solùm peccatum mortale sit, quod repugnat charitati; ideo ubi repugnat inanis gloria dilectioni Dei, & quidem sive repugnet ratione materiæ, ut cùm quis gloriatur de aliquo falso contrario divinæ reverentiæ, ut si quis dicat, ut dictum fuit, Deus ego sum; vel etiam cùm quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo; sive etiam repugnet ex parte gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam, tanquam ad ultimum finem, pro quo non prætermittit facere etiam quæ sunt contra Deũ, tunc dicitur peccatum mortale; sed quia fieri potest, quod amor humanæ gloriæ, quanvis inanis, nullo ex his modis repugnet charitati; nec enim inanis gloriæ cupidus surripit sibi quod est proprium Dei; quandoquidem non appetit honorem, qui debetur Deo, sed qui debetur homini virtuoso: ideò & potest esse solummodò venialis, & quidem quanvis cum ea non lucretur quis vitam æternam, unde & ait Chrysost. inanem gloriam etiam locum habere in servis Christi, esto quod tunc mortalis sit, quando aliquis per eam simpliciter

Ezech. 28.

amittit vitam æternam. Cum quo tamen ſtat, quod ſit ſecundùm ſe diſpoſitio ad peccata gravia, & ideo dicitur periculoſa, in quantum ſcilicet per eam redditur homo præſumptuoſus, ac de ſeipſo nimis confidens, ſicque paulatim diſponitur ad hoc, quod interioribus privetur bonis.

Vtrum inanis gloria ſit vitium capitale. ART. 4.
℞. *Affirmativè*, non quòd non poſſit cum hoc ab alio oriri vitio, putà à ſuperbia; ſed quia etiam ut oriens à ſuperbia, adhuc rationem habet maximè appetibilis, unde multa oriuntur vitia. *Primum eſt*, quia cùm inanis gloria, utpote importans manifeſtationem bonitatis, propinquitatem habeat ad excellentiam, quam quidem homines maximè appetunt; ideò & habet eſſe maximè appetibilis, proindeque & talis, quod ex ejus inordinato appetitu multa oriantur vitia; & quidem quanvis ambitio honoris non ſit vitium capitale, vel etiam quanvis non ſit ex ſe mortalis, utpote cùm gloria comparetur ad honorem & laudem ſicut finis, quia propter hoc aliquis amat honorari ut gloriam conſequatur, & ita poſſit inanis gloria eſſe vitium capitale, unde alia oriantur, non autem illa; nec ad hoc requiratur ut ſit mortalis, cùm ex veniali diſpoſitivè poſſit & mortale oriri. *Secundum eſt*, quia cùm importet ſuperbia inordinatum appetitum excellentiæ, quam quidem ex omni bono, quod quis appetit, conſequitur, quo fit ut fines omnium vitiorum ordinentur ad finem ſuperbiæ; ideò & habet ſuperbia quandam ſuper omnia vitia generalem cauſalitatem, adeò ut potiùs dici debeat regina, & mater omnium vitio-

Lib. 3. Mor. c. 31. rum, ut ait Greg. proindeque & cum hoc, quod est inanis gloria capitale vitium, adhuc oriri potest à superbia.

ART. 5. *Vtrum convenienter dicantur filiæ inanis gloriæ esse inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & novitatum præsumptio.* ℞. *Affirmativè*, ita quod omnia præfata vitia ad finem inanis gloriæ ordinentur, sed ad quem per jactantiam, hypocrisim, & novitatum præsumptionem directè tendit, & solùm indirectè per alia. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad finem inanis gloriæ, qui quidem est manifestatio propriæ excellentiæ, possit quis tendere dupliciter, directè scilicet, & hoc sive per verba, unde est jactantia; sive per facta, quæ quidem si habent aliquam admirationem, est præsumptio novitatum; si autem falsa sint, est hypocrisis: tum indirectè, ostendendo scilicet, se non esse aliis minorem, & hoc primò quantum ad intellectum, unde pertinacia; deinde quantum ad voluntatem, unde discordia; postea quantum ad loquutionem, unde contentio; postremò quantum ad factum, unde inobedientia: consequenter fit, quod hæc omnia ad finem inanis gloriæ ordinentur tanquam filiæ, sed directè priora tria, & posteriora indirectè. Cum quo tamen stat, quod jactantia, quæ quidem frequentiùs ad gloriam & honorem ordinatur, & sic oritur ex inani gloria, ponatur species superbiæ quãtum ad interiorem causam, quæ est arrogantia: tum etiam quod causet ira discordiam, & contentionem, non nisi tamen ex adjunctione inanis gloriæ, quæ quidem ex Chrysost. est in eleemosyna maximè ma-

lum, non quòd in ea præsumatur fieri aliquid novum, sed propter defectum charitatis, qui videtur esse in eo qui præfert inanem gloriam utilitati proximi, dum propter eam illud facit.

IN QVÆSTIONEM CXXXIII.

De pusillanimitate.

VTrum pusillanimitas sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, ita quod naturali à Deo inclinationi contrarietur per defectum, sicut præsumptio per excessum; imò & aliqualiter ex superbia contrarietur, quanvis non nisi per defectum. *Primum est*, quia cùm unicuique rei insit naturalis inclinatio ad exequendam actionem suæ potentiæ commensuratam; & ab hoc deficiat pusillanimis dum recusat tendere in id quod est suæ potentiæ consentaneum, sicut & hoc per præsumptionem excedit, dum scilicet nititur ad majora quàm possit; ideò & naturali contrariatur inclinationi, quod quidem peccatum est: unde & damnatur servus, qui acceptam pecuniam fodit in terram. Cum quo tamen stat, quod dicatur pusillanimis ab Arist. non esse malus, subintelligendo in ordine ad proximum, cui scilicet non nocet, nisi per accidens, dum cessat ab operibus, quibus posset prodesse: tum etiam, quod virtuosus sit, & dignus magnis, juxta scilicet habilitatem ad virtutem, quæ inest ei à natura, vel ex scientia, vel exteriori fortuna; cùm nec repugnet virtuosum posse leviter peccare, dum scilicet non attentat uti sua virtute. *Secundum est*, quia cùm possit aliquis proprio sensu inniti, unde reputet se sufficientem ad ea, quorum sufficientiam habet; potest

ARTICVLVS PRIMVS.

Matt. 25.

4. Eth. cap. 3.

enim quis quantum ad aliqua se dejicere, & se extollere quantum ad alia; ideò & potest pusillanimitas ortum habere ex superbia, sicut & potest quis sine pusillanimitate recusare officium, ad quod non nisi ex divina gratia idoneus est, ut accidit in Moyse, & Ieremia, considerando scilicet propriæ infirmitatis insufficientiam.

ART. 2. *Vtrum pusillanimitas opponatur magnanimitati.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ex parte suæ causæ, aut quantum ad effectum, sed secundùm propriam speciem. *Primum est*, quia cùm pusillanimis ex animi parvitate se retrahat à magnis, sicut magnanimus ex animi magnitudine tendit ad magna, proindeque à magnanimitate differat secundùm differentiam magnitudinis & parvitatis circa idem; ideò & secundùm propriam rationem, quæ quidem per ipsa nomina explicatur, & secundùm quam magis attenditur oppositio ad virtutem, opponitur magnanimitati. Vnde & gravior est secundùm propriam speciem, quàm præsumptio; quandoquidem per ipsam recedit homo à bonis, quod est pessimum: esto quod ista dicatur nequissima ratione superbiæ, à qua procedit. *Secundum est*, quia causa pusillanimitatis est ex parte intellectus ignorantia propriæ conditionis, & ex parte appetitus timor deficiendi in his, quæ falsò æstimat excedere suam facultatem: unde non habet ex ea parte opponi magnanimitati, sicut nec ex parte effectus, qui est pigrum reddere; nec tamen sic spectata opponitur ex parte ignorantiæ ipsi prudentiæ, cùm non procedat hæc ignorantia ex insipientia, sed ex pigritia, seu ex defectu

Matt. 25. 4. Ethic. cap. 3.

fectu

fectu solicitudinis considerandi suam facultatem: sicut nec ex parte timoris habet propterea opponi fortitudini, cùm timor qui causat pusillanimitatem, non sit semper timor periculorum mortis.

IN QVÆSTIONEM CXXXIV.

De magnificentia.

VTrum magnificentia sit virtus. ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit ad artem, sive ad rectè utendum ratione artis; sed ita quod virtutem nominet per hoc quod ejus est operari aliquid magnum, ex quo magnificentiæ nomen sumitur. *Primum est*, quia cùm virtus ita nominetur per comparationem ad ultimum potentiæ, non quidem ex parte defectus, sed ex parte excessus, cujus ratio consistit in magnitudine; ideò & hoc ipso quod est magnificentiæ operari aliquid magnum (quo fit ut in his quæ pertinent ad propriam personam, non soleat quis esse magnificus & sumptuosus, non quòd bonum suum non quærat, sed quia hoc non solet esse magnum,) debet hoc ipso magnificentia esse virtus; & quidem quanvis magnificentia consistat in extremo, considerata scilicet quantitate ejus, quod facit, utpote quæ adhuc medium servat, consideratâ regulâ rationis, quam non transcendit. Vnde quod omnis virtutem habens liberalitatis non sit magnificus, ex Arist. non nisi quantum ad actum id intelligitur, non autem quod non habeat habitum magnificentiæ, vel actu, vel in propinqua dispositione. *Secundum est*, quia oportet, artis esse quandam virtutem moralem, ut docet Arist. per quam inclinetur appetitus ad rectè utendum ratione artis,

ARTICVLVS PRIMVS.

4. Ethic. cap. 2.

6. Ethic. cap 4.

quod quidem ad magnificentiam pertinet, quæ est circa factibilia.

ART. 2. *Utrum magnificentia sit specialis virtus.* ℞. *Affirmativè*, non quidem si accipiatur magnificentiæ nomen ab eo, quod est facere magnum, secundùm quod facere communiter sumitur; sed secundùm quod factio propriè dicitur, seu in exteriori materia. *Primum est*, quia quanvis opus factibile producatur ab arte, quia tamen in ejus usu potest attendi una specialis ratio bonitatis, scilicet quod ipsum opus sit magnum in quantitate, pretiositate, & dignitate; ideò & debet esse ad hoc specialis virtus, quæ quidem non est alia, quàm magnificentia, si propriè accipiatur factio, seu circa factibilia, utpote cùm ad quamlibet virtutem pertineat facere magnum in suo genere, nec non & ad magnanimitatem magnum intendere in omni materia, sed non in opere factibili, quod solùm est magnificentiæ: ita tamen, quòd sanctitati conjungatur magnificentia, juxta illud, Magnificus in sanctitate; utpote quia præcipuus ejus effectus, seu honorabilior sumptus, ad religionem, seu Dei cultum ordinatur tanquam ad sublimiorem finem. *Secundum est*, quia facere, prout communiter sumitur, accipitur pro quacumque actione, sive transeat in exteriorem materiam, sive maneat in agente, ut intelligere, quod quidem potest cuilibet virtuti convenire, si magna sit: sicut & opus magnum temperantiæ facit, qui habet magnam virtutem temperantiæ.

Exod. 15.

ART. 3. *Utrum materia magnificentiæ sint sumptus magni.* ℞. *Affirmativè*, non quòd & ipsa pecunia, & pecuniæ amor, quem moderatur

magnificus, non possint pariter dici materia; sed itaquod & ipsi sumptus, quibus utitur magnificus ad opus magnum faciendum, materia sint. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad magnificentiam pertineat intendere ad magnum aliquod opus faciendum; & magna fieri non possint, nisi magnis expensis: ideo & ad magnificentiam pertinet talia facere, proindeque & versari circa magnos sumptus, etiam in dando dona, vel xenia, utpote quod non facit magnificus sub ratione doni, sed sub ratione sumptus ad bonum aliquod faciendum ordinati; in quo quidem differt à liberalitate, quæ respicit communiter usum pecuniæ, & in ordine ad donum; cùm tamen magnificentia magnum respiciat pecuniæ usum, utpote in ordine ad aliquod magnum opus; quod quidem esse non potest sine sumptu, seu magno usu: sed quia sumptus est quædam pecuniæ emissio, à qua quis prohiberi potest per superfluum amorem pecuniæ; ideò & ipsa pecunia, & amor pecuniæ, quem moderatur magnificus, possunt etiam dici ipsius materia. Ita tamen, quod quia principalis actus virtutis est interior electio, quam virtus potest habere sine exteriore fortuna; ideò & pauper possit adhuc esse magnificus.

Vtrum magnificentia sit pars fortitudinis. ART. 4.
℞. *Affirmativè*, non quidem subjectiva, sed potentialis fortitudini adjuncta, ut secundaria principali. *Primum est*, quia cùm virtus alteri adjungatur ut principali, hoc ipso quod in aliquo conveniat cum ea, & in aliquo ab ea deficit; & magnificentia conveniat cum fortitudine, ut tendit in arduum,

unde & videtur esse in irascibili, ut est fortitudo; deficiat autem, quia arduum, in quod tendit fortitudo, habet difficultatem, propter periculum quod imminet personæ; magnificentia verò propter dispendium rerum, quod est minus: ideò fit, quod sit pars integralis, sive adjuncta fortitudini, ut principali: & quidem quanvis liberalitas ad aliam spectet virtutem, utpote cum qua non convenit in materia, nisi sub diversa ratione, quatenus scilicet liberalitas respicit sumptus per comparationem ad concupiscentiam pecuniarum, magnificentia verò per comparationem ad spem, attingendo ad aliquid arduum, non quidem simpliciter, ut magnanimitas, sed in determinata materia. Ita tamen, quod adhuc scienti assimiletur magnificus, ex Arist. in hoc *scilicet*, quod ad eum pertinet benè uti ratione in attendenda proportione sumptus ad opus faciendum. *Secundum est*, quia non convenit magnificentia, ut est specialis virtus, cum fortitudine in materia, scilicet in timore, sed dumtaxat in conditione materiæ, seu in aliquo arduo, proindeque nec est ut talis pars subjectiva fortitudinis.

4. Ethic. cap. 2.

IN QVÆSTIONEM CXXXV.

De parvificentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum parvificentia sit vitium. ℟. Affirmativè, non quòd vitiosus sit, qui parva moderatur; sed quia non dicitur parvificus, nisi qui deficit à regula rationis in moderando magna, vel parva. *Primum est*, quia cùm ad differentiam magnifici, qui intendit principaliter magnitudinem operis, & secundariò magnitudinem sumptus, quam quidem non vitat, ut faciat magnum

opus; intendat è contra parvificus aliquid parvum facere, etiam in comparatione ad genus operis, ut scilicet minimum consumat, quod principaliter intendit: ideò fit quod deficiat parvificus à proportione, quæ debet esse secundùm rationem inter sumptus, & opus, proindeque & quod in hoc vitiosus sit; imò & in hoc, quod diligenter ratiociniis intendit, utpote qui hoc facit quia inordinatè timet bonorum suorum consumptionem, etiam in minimis. Cum quo tamen stat, quod minus vitium sit parvificentia, quàm illiberalitas, quæ attenditur circa communes sumptus; cùm enim attendatur circa magnos sumptus, quos difficilius est facere, ideò nec est nociva proximo, nec valde turpis. *Secundum est*, quia virtus sicut est moderativa magnorum, sic etiam moderativa parvorum: unde & liberales, & etiam magnifici aliqua parva faciunt.

Vtrum parvificentiæ aliquod vitium opponatur. ℞. *Affirmativè*, ita quod ei opponatur vitium consumptionis, ex ipsa tamen specie actus, non ex parte finis ad quem potest ordinari talis consumptio. *Primum est*, quia sicut contingit sumptum esse parvum in comparatione ad opus, quod efficit parvificentia; sic etiam potest contingere, sumptum esse magnum in comparatione ad opus, ut excedat proportionem secundùm regulam rationis; quod quidem efficit consumptio. Vnde cùm parvo opponatur magnum, ei propterea opponitur consumptionis vitium ita dictum, quia proportionem expensarum excedit, ut scilicet plus expendat, quàm sit operi proportionatum, ad ART. 2.

differentiam magnificentiæ, quæ magna dicitur, non quòd in sumptu excedat proportionem operis, sed quia magnum facit opus. Cum quo tamen stat, vitium hoc consumptionis, quod parvificentiæ opponitur, eo quòd in sumptu excedit operis dignitatem, adhuc opponi magnificentiæ, prout scilicet ubi oportet multa expendere, parvum, aut nihil expendit. *Secundū est*, quia etsi cõsumptor ex ipsa specie actus opponatur parvifico, in quantum regulam rationis transcendit, à qua parvificus deficit; nihil tamen prohibet, quin hoc ad finem ordinetur alterius vitii, putà inanis gloriæ, quæ quidem magnanimitati, non parvificentiæ opponitur.

IN QVÆSTIONEM CXXXVI.

De patientia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *patientia sit virtus.* ℟. *Affirmativè*, non quòd non possit poni inter fructus, quantum ad delectationem, quam habet in actu, sed ita quod sit virtus quantum ad habitum. *Primum est*, quia cùm virtutes morales ordinentur ad bonum in quantum conservant bonum rationis contra impetus passionum; proindeque necesse sit, aliquam esse virtutem, quæ bonum conservet rationis contra tristitiam, quæ quidem efficax est ad illud impediendum, quia tristitia sæ-
2.Cor.7. culi, ut ait Paul. mortem operatur; ideò cùm hoc præstet patientia, quam propterea definit Aug. quâ mala æquo animo toleramus, est consequenter hujusmodi patientia virtus moralis, esto quòd in illis, qui mala sustinent, ut mala faciant, nec miranda sit, nec laudanda patientia, quæ nulla est, sed duritia. Ita tamen, quod quia vir-

tutes morales non remanent secundùm eundem actum in patria, quem habent in via, nec etiam virtus patientiæ erit in patria in sustinendo, sed in fruitione finis, sive bonorum, ad quæ pervenire volebamus patiendo; adeò ut, inquit Aug. æternum ibi sit, quò per patientiam pervenitur. *Secundum est*, quia cùm fructus in sui ratione quandam importet delectationem, & operationes virtutum sint delectabiles secundùm seipsas, ut dicit Philos. ideo & quantum ad hoc meritò ponitur patientia inter fructus, ad Galat. 5.

14. de civ. c. 9.

1. Ethic. cap. 8.

Vtrum patientia sit potissima virtutum. ART. 2.
℞. *Negativè*, ita quod deficiat patientia non solùm à virtutibus theologicis, & prudentia & justitia, quæ directè statuunt in bono; sed & à fortitudine, & temperantia, quæ retrahunt ab impedimentis ad bonum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virtutes secundùm suam rationem ordinetur ad bonum, proindeque & oporteat, quod tanto principalior sit virtus, quantò magis, & directiùs hominem ordinat in bonum; ideò & potiores sunt theologicæ, necnon prudentia & justitia, quæ quidem sunt constitutivæ boni, quàm patientia & aliæ, quæ solùm sunt impeditivæ eorum, quæ abducunt à bono. Vnde nec dicitur homo per patientiam animam suam possidere, nisi in quantum radicitùs evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur; sicut & dicitur radix, & custos omnium virtutum, non quasi eas directè causando, & conservando, sed solùm removendo prohibens: sed quia inter virtutes, quæ ita removent impeditivum boni, tanto aliqua

Luc. 21. Greg. hom. 15. in Evág.

potior eſt, quanto id quod ab ea impeditur, magis à bono retrahit; ſicut & inter eas, quæ ſunt conſtitutivæ boni, tanto aliqua potior eſt, quanto in majori bono conſtituit hominem, ut fides, ſpes, charitas, quàm prudentia & juſtitia; ideò cùm plus à bono retrahant pericula mortis, circa quæ eſt fortitudo, & delectationes tactus, circa quas eſt temperantia, quàm quævis adverſa, circa quæ eſt patientia, ſint etiam fortitudo, & temperantia potiores; ita tamen, quod quia tollere principium uniuſcujuſque eſt perfectius quid, & dicitur patientia habere opus perfectum in adverſis tolerandis, quatenus ex iis procedit primùm triſtitia, quam moderatur patientia, deinde ira, odium, & nocumentum, in hoc etiam perfectior ſit patientia, ſed nòn ſimpliciter.

ART. 3. *Vtrum patientia poſſit haberi ſine gratia.*

℞. *Negativè*, ita quod ſine gratia gratum faciente haberi nequeat patientia ſecundùm quod eſt virtus; eſto quod propter bonum politicæ virtutis poſſit quis mala patienter ferre ſine tali gratia. *Primum eſt*, quia cùm nemo ſpõtè ſuſcipiat ferre quod cruciat, niſi pro eo, quod delectat, ex Aug. quia triſtitiam, & dolorem ſecundùm ſe abhorret animus; proindeque & oporteat, quod quia nuſquam homo ea eligit pati propter ſe, ſed ſolùm propter finem, quòd illud bonum, propter quod ſcilicet vult mala pati, ſit magis volitum & amatum, quàm illud, cujus privatio dolorem ingerit, quem patienter tolerat; ideò quia quod præferat aliquis bonum gratiæ omnibus naturalibus bonis, ex quorum amiſſione poteſt dolor cauſari, ad charitatem perti-

Lib. de pat. c. 4.

net, qua diligit Deum super omnia; ideò nec potest haberi hujusmodi patientiæ virtus sine charitate, nec consequenter sine gratia gratum faciente; & quidem quanvis jam aliqui mala patienter sustineant propter malum, seu propter ea, quæ vitiosè diligunt, ut dicit Aug. cùm enim natura jam non sit integra, in qua quidem prævaleret inclinatio rationis ad patiendum propter bonum, magis quàm propter malum, sed in statu corrupto, in quo prævalet inclinatio concupiscentiæ; ideo fit quod homo sit pronior ad sustinendum propter mala, in quibus præsentialiter delectatur, necnon & propter corporis sanitatem, utpote quod procedit ex amore, quo quis naturaliter amat carnem suam, quàm propter bona futura, quod fieri non potest sine gratia. *Secundum est*, quia cùm bonum politicæ virtutis, ut est patriam non prodere, supernaturale non sit, ut est bonum gratiæ, sed commensuratum naturæ humanæ; ideò & potest voluntas humana sine gratia gratum faciente in illud tendere, licet non sine Dei auxilio.

Vtrum patientia sit pars fortitudinis. **Art. 4.** ℞. *Affirmativè*, & quidem pars potentialis, seu fortitudini adjuncta, ut secundaria principali; esto quod quantum ad aliquid sui dici etiam possit pars integralis. *Primum est*, quia cùm ad patientiam pertineat æquanimiter perpeti in malis omnibus; & in hujusmodi malis, quæ ab aliis inferuntur, præcipua sint, & difficillima ad sustinendum, ea quæ pertinent ad pericula mortis, circa quæ est fortitudo; ideo & distinguitur patientia à fortitudine, quæ quidem nō

est circa qualiacumque, sed circa difficiliora ad sustinendum; & ei pariter adjungitur, scilicet tanquam secundaria principali: non enim solùm consistit actus fortitudinis in hoc, quod aliquis in bono stet contra timores futurorum periculorum, sed etiam ut non deficiat propter præsentem tristitiam, in quo habet patientia affinitatem cum fortitudine, quæ principaliter est circa timores, sicut patientia principaliter circa tristitias. *Secundum est*, quia sub ea ratione, quâ quis patienter mala sustinet, quæ pertinent ad pericula mortis, potest patientia poni pars integralis fortitudinis; & quidem quanvis fortis quandoque etiam aggrediatur eum, qui mala facit, cùm nec illud sit contra rationem patientiæ, juxta illud Chrysost. In injuriis propriis patientem esse, laudabile est: injurias autem Dei patienter sustinere, nimis est impium.

ART. 5. *Vtrum patientia sit idem quod longanimitas.* ℞. *Negativè*, non quòd non conveniat longanimitas in aliquibus cum patientia; sed ita quod habeat unde distingui debeat, imò & unde magis cum magnanimitate conveniat. *Primum est*, quia sicut magnanimitas dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi in magna; ita & longanimitas dicitur, per quam quis habet animum tendendi in aliquid, quod in longinquum distat: & sicut magnanimitas magis respicit spem tendentem in bonum, quàm audaciam, vel timorem, sive tristitiam; ita etiam & longanimitas, quæ propterea poni debet virtus à patientia condistincta; & quidem quanvis propter longinquitatem ex parte loci non ponatur aliqua virtus,

utpote cùm non sit difficultas, nisi ratione temporis, quandoquidem quod est longinquum loco, licèt à nobis sit remotum, non tamen est simpliciter remotum à natura, ut id quod est longinquum tempore. *Secundum est*, quia habet & patientia, sicut & longanimitas, aliqua mala sustinere, propter bonum; quod tanto difficilius est, quanto bonum longinquius expectatur: & insuper hoc ipsum, quod est bonum speratum differri, ex se natum est causare tristitiam, quandoquidem spes, quæ differtur, aggravat animam, proindeque & potest circa illud esse patientia, quæ est ex Tullio, rerum arduarum, causâ honestatis ac utilitatis, voluntaria ac diuturna perpessio.

IN QVÆSTIONEM CXXXVII.

De perseverantia.

VTrum perseverantia sit specialis virtus. R/. *Affirmativè*; si tamen accipiatur perseverantia, non quidem prout dicit persistere immobiliter ex comparatione habitus ad subjectum, vel etiam secundùm quam quis perseverat, in quibus difficillimum est diu sustinere; sed in quantum ad eam pertinet in his, vel aliis virtuosis operibus diuturnitatem sustinere sicut oportet. ARTICVLVS PRIMVS.

Ratio utriusque partis est, quia cùm virtus sit circa difficile & bonum, proindeque sit ibi specialis virtus, ubi occurrit specialis ratio difficultatis vel boni; ideò cùm opus virtutis habeat etiam bonitatem & difficultatem ex diuturnitate temporis, id enim quod est diu insistere alicui difficili specialem habet difficultatem, propterea fit, quod diu persistere in aliquo bono usque ad consummationem, pertineat ad specialem vir-

tutem, quæ non alia est quàm perseverantia, non quidem prout dicit persistere immobiliter, ex comparatione habitus ad subjectum, utpote quod commune est omni virtuti, prout est qualitas difficilè mobilis; vel etiam secundùm quam quis perseverat, in quibus difficillimum est sustinere, in quo sensu loquitur Arist. dum ait continentiam, quæ non est virtus, esse potiorem perseverantiâ, cùm hujusmodi mala, ut sunt pericula mortis, frequentiùs citò transeant, sicque non sit respectu illorum præcipua laus perseverantiæ, sed in quantum ad eam pertinet in his, vel aliis virtuosis operibus diuturnitatem sustinere sicut oportet: quia enim non est difficile diu sustinere bona, sed mala, circa quæ aliquis tristatur; ideò & tunc perseverantia potest esse virtus, quando accipitur secundùm quod aliquis in quocumque bono difficili diu persistit; & quidem quanvis persistere sit alicui minùs difficile, utpote quod potest esse ex perfecta virtute, cujus perfectio magis attenditur secundùm rationem boni, quàm difficilis. Ita tamen, quod ad perseverantiam per se pertineat ut perseveret quis usque ad finem virtuosi actus, quod sufficit ad rationem virtutis; non autem usque ad finem vitæ, esto quod respectu virtutum theologalium, quæ respiciunt non tantùm finem operis, sed & finem ultimum totius humanæ vitæ, non consummetur perseverantiæ actus, nisi duret usque ad finem vitæ.

ART. 2. *Vtrum perseverantia sit pars fortitudinis.*

℞. *Affirmativè*, ita quod fortitudini annectatur, sicut virtus secundaria principali; sed annexione secundùm modum, seu for-

mam, magis quàm ſecundùm materiam. *Primum eſt*, quia cùm fortitudo firmitatem ſervet in his, in quibus difficillimum eſt perſiſtere, proindeque & ei adjungi debeat ut principali omnis virtus, cujus laus conſiſtit in ſuſtinendo firmiter aliquod difficile; ideò quia ſuſtinere difficultatem, quæ provenit ex diuturnitate boni operis, dat laudem perſeverantiæ, quæ propterea ſecundùm quod ponitur virtus aliquas moderatur paſſiones, ſcilicet timorem fatigationis, aut defectus propter diuturnitatem, eſtque in iraſcibili ſicut fortitudo; nec ſit hoc ita difficile, ſicut ſuſtinere pericula mortis, proinde fit quod adjungatur fortitudini perſeverantia, ſicut ſecundaria virtus principali; & quidem quanvis dicat Aug. perſeverantiam non poſſe amitti, utpote qui de ea loquitur, non ut nominat habitum virtutis, ſed prout dicit actum virtutis continuatum uſque in finem. *Secundum eſt*, quia quantum ad materiam magis videtur convenire perſeverantia cum temperantia, utpote circa triſtitias tactus, quàm cum fortitudine; cùm tamen in modo, ſeu forma, quæ quidem potior eſt in unoquoque, magis conveniat cum fortitudine, in quantum ſervat firmitatem contra difficultatem diuturnitatis. Lib. de perſev. cap. 1.

Vtrum conſtantia pertineat ad perſeverantiam. ℞. *Affirmativè*, non quòd ſit idem perſeverantiæ, ſed ita quod cum ea conveniat in fine, proindeque & magis quàm cum patientia. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia convenit conſtantia cum perſeverantia in eo fine, quod ad utramque pertinet perſiſtere firmiter in aliquo bono, & ſic ART. 3.

quia potior est finis, quàm materia, magis cum perseverantia convenit, quàm cum patientia, cui convenit in materia; sed quia perseverantia propriè facit persistere in bono, contra difficultatem, quæ provenit ex diuturnitate actus; constantia autem contra difficultatem, quæ provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis: ideò & differunt ab invicem secundùm ea, quæ difficultatem afferunt ad persistendum in bono. Ita tamen quod principalior pars fortitudinis sit perseverantia, quàm constantia, utpote cùm difficultas, quæ est ex actus diuturnitate, sit essentialior actui virtutis, quàm quæ ex aliis est impedimentis. Et hinc etiam fit, quod ad perseverantiam, sicut & ad magnificentiam, possit constantia pertinere, quandoquidem etiam in parvis, & mediocribus operibus diu persistere habet difficultatem, si non ex magnitudine actus, quam respicit magnificentia, saltem ex ipsa diuturnitate, quam respicit perseverantia.

ART. 4. *Vtrum perseverantia indigeat auxilio gratiæ.* ℞. *Affirmativè*, & quidem gratiâ habituali, si sumatur perseverantia pro habitu secundùm quod est virtus; & insuper gratuito Dei auxilio, si pro actu perseverantiæ durante usque ad mortem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm liberum arbitrium sit de se vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ; ideo nec subest potestati liberi arbitrii per gratiam recuperati, ut se immobiliter in bono statuat; & quidem quanvis in ejus potestate sit electio, cùm plerumque sit in potestate electio, non autem exequutio; proin-

deque indiget quidem perseverantia dono habitualis gratiæ, sicut & cæteræ virtutes infusæ, si accipiatur pro ipso habitu, ut est virtus; sed eget insuper & gratuito Dei auxilio hominẽ conservante in bono usque ad finem vitæ, si accipiatur pro ipso actu durante usque ad mortem, esto quod per se possit quis perseverare in malo, sicut & per se potest cadere in peccatum, à quo tamen non potest perse resurgere sine auxilio gratiæ. Virtus namque perseverantiæ, etsi ex se inclinet ad perseverandum, quia tamen est habitus, quo utimur quando volumus, ideò nec est necesse, quod habens virtutis habitum, eo immobiliter utatur usque ad mortem. Cum quo tamen stat, quod quia pro primo naturæ statu nulla in ea erat corruptio, quæ perseverandi difficultatem præberet, ideò & primo homini datum est, ut ait Aug. quo posset perseverare; non tamen quo perseveraret, sicut nunc datur prædestinatis per gratiam Christi, utpote qui non stetit in tanta felicitate, cum tanta non peccandi facilitate; cùm isti è contra in fide steterint, etiam sæviente mundo, ne starent.

IN QVÆSTIONEM CXXXVIII.

De vitiis oppositis perseverantiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum mollities opponatur virtuti perseverantiæ. ℞. *Affirmativè*, non quidem si diceretur mollis, qui cedit fortiter impellenti; sed quia mollis dicitur, qui cedit debili moventi, sive qui facilè cedit tangenti. *Primum est*, quia cùm laus perseverantiæ in hoc consistat, quod aliquis non recedat à bono propter diuturnam tolerantiam difficillimorum, & laboriosorum, cui directè videtur opponi, quod aliquis de

facili recedat à bono, propter aliqua difficilia, quæ ſuſtinere non poteſt; ideò cùm hoc pertineat ad rationem mollitiei, quæ quidem propriè dicitur, ex Philoſ. dum quis recedit à bono propter triſtitias ex defectu delectationum cauſatas, quaſi cedens debili moventi, utpote quarum cupiditas minùs impellit, quàm metus periculorum; propterea fit, quod quia mollis dicitur, qui ita facilè cedit tangenti, directè opponatur mollities perſeverantiæ, & quidem quanvis delicia, quæ temperantiæ opponitur, mollities quædam ſit, imò & quanvis dicatur mollis & laſcivus, & muliebria patiens, utpote cùm adhuc propriè delicia ſit, cùm quis non poteſt labores, & id quod voluptatem minuit, ſuſtinere; mollities autem propriè reſpiciat defectum delectationum, nec dicatur laſcivus prout in ludo inordinato conſideratur delectatio; ſic enim opponitur eutrapeliæ; ſed in quantum in eo attenditur inordinata quies, ſive remiſſio: & tandem dicatur muliebria patiens, ex eo quod aliqui molles fiunt ex qualitate complexionis, ob quam ſunt animo inconſtantes, ut ſunt mulieres. *Secundum eſt*, quia ut dicit Philoſ. ſi quis à fortibus, & ſuperexcellentibus delectationibus vincitur, vel triſtitiis, non eſt admirabile, ſed magis condonabile, ſi contrà tendat.

Lib. 7. Ethic. cap. 7.

In 7. Eth. cap. 7.

ART. 2. *Utrum pertinacia opponatur perſeverantiæ.*

℞. *Affirmativè*, ita quod per exceſſum ejuſdem medii vituperetur pertinax, in quo quidem exiſtens laudatur perſeverans; eſto quod ſecundùm ſuam cauſam alteri, quàm perſeverantiæ habeat opponi. *Primum eſt*, quia cùm pertinax, ex Iſid. dicatur aliquis,

Lib. 10. Etym. cap. 15.

qui est imprudenter tenax, quasi omnia tenens: & ex Arist. quia in propria perseverat sententia plus quàm oportet; mollis autem minùs quàm oportet, & perseverans secundùm quod oportet; ideo sicut mollities opponitur per defectum perseverantiæ, quæ est in medio, ita & pertinacia per excessum; in hoc enim excedit pertinax, quòd inordinatè persistit in aliquo contra multas difficultates: unde & propriè opponitur perseverantiæ, cujus scilicet laus, ad differentiam aliarum virtutum, est propriè in persistendo; & quidem licèt habeat pertinax aliquam delectationem in fine, ut fortis, utpote quæ vitiosa est, cùm nimis appetat eam. *Secundum est*, quia cùm ideò quis nimis persistat in propria sententia, quia ex hoc vult suam manifestare excellentiam, ideò & causatur pertinacia ex inani gloria, quæ quidem potiùs magnanimitati opponitur, ut dictum est.

In 7. Eth. cap. 9.

IN QVÆSTIONEM CXXXIX.

De dono fortitudinis.

ARTICVLUS PRIMVS.

VTrum fortitudo sit donum. ℟. *Affirmativè*, non quidem secundùm quod perficit animum ad quæcumque pericula sustinenda, sed in quantum fiduciam tribuit etiam evadendi quæcumque pericula. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm fortitudo importet quandam animi firmitatem, quæ requiritur in bonis faciendis, & malis perferendis, præcipuè arduis; & hanc in utroque firmitatem possit homo habere secundùm proprium, & sibi connaturalem modum; ideò non est fortitudo illa donum, per quam homo perficitur, ut non deficiat

à bono propter difficultatem alicujus ardui operis implendi, vel mali perferendi, sed magis generalis, vel specialis virtus; sed quia altiùs movetur à Spiritu sancto animus hominis ad hoc, ut perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, & evadat quæcumque pericula: quod quidem excedit naturam humanam, quia quandoque non est in potestate hominis, ut consequatur finem operis, & evadat mala, cùm interdum opprimatur ab eis in morte: quod tamen operatur Spiritus sanctus in homine, infundens quandam fiduciam menti; ideo est fortitudo donum, in quantum tribuit fiduciam etiam quæcumque pericula evadendi; & quidem respiciens virtutem fortitudinis, non solùm secundùm quod consistit in sustinendo pericula, sed etiam in quocumque arduo opere faciendo; sed cujus actus in patria est perfrui plena securitate à laboribus & malis: unde non est idem cum eo, qui est in via.

ART. 2. *Vtrum quarta beatitudo, scilicet, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, respondeat dono fortitudinis.* ℞. *Affirmativè*, ita quod non nisi cum quadam convenientia attribuat Augustinus præfatam beatitudinem fortitudinis dono; si tamen hîc accipiatur justitia, non pro particulari tantùm, sed & pro universali justitia. *Primum est*, quia cùm fortitudo in arduis consistat, & valde arduum sit, quod quis non solùm opera virtuosa faciat, quæ communiter dicuntur opera justitiæ, sed quod faciat cum insatiabili quodam desiderio, quod potest significari per famem, & sitim justitiæ; ideò attribuens Aug. beatitudines donis secun-

dùm ordinem enumerationis, convenienter attribuit dono fortitudinis præfatam beatitudinem, ficut & inter fructus ponuntur duo, quæ fufficienter correfpondent eidem dono, fcilicet patientia, & longanimitas; ita tamen, quod quia charitas eft radix omnium donorum & virtutum, nec etiam inconveniens fit, ut quidquid pertinet ad fortitudinem, pertineat etiam ad charitatem. *Secundum eft*, quia fola univerfalis juftitia fe habet ad omnia virtutum opera, ut notat Philof. in quibus quidē operibus arduum intendit fortitudo, quæ eft donum. In 5. Eth. cap. 1.

IN QVÆSTIONEM CXL.

De praceptis fortitudinis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum convenienter in lege divina præcepta fortitudinis tradantur. ℞. *Affirmativè*, ita quod & tradita fint fecundùm quod congruit fini legis, & tradi debuerint alia pro veteri, & alia pro novo Teftamento. *Primum eft*, quia cùm præcepta legis ordinentur ad intentionem legiflatoris, proindeque neceffe fit, ut fecundùm diverfos fines, quos intendit legiflator, diverfimodè inftituantur præcepta; ideò cùm finis legis divinæ fit ut homo hæreat Deo, congruenter tradita funt præcepta legis divinæ tam de fortitudine, quàm de aliis virtutibus, fecundùm quod convenit ordinationi mentis in Deum; & quidem negativè quantum ad fortitudinem, magis quàm affirmativè, cùm quæ funt agenda in periculis, non poffint ad aliquod reduci commune bonum; non tamen in Decalogo reponenda, cujus quidem præcepta, utpote quafi prima principia, debent effe de iis, in quibus manifeftè apparet ratio debiti, ut funt actus ju-

stitiæ, non autem actus fortitudinis, in quibus scilicet non ita manifestum videtur, quod aliquis pericula mortis non reformidet, quod est quod præcipitur de fortitu-
Deut. 20. dine. *Secundum est*, quia cùm vetus Testamentum habeat temporalia bona, novum verò spiritualia & æterna; ideò ut ibi fuit necessarium instruere populum in pugna corporali, ita & hîc in pugna spirituali, ut scilicet ad vitam perveniret æternam, juxta illud: Regnum cœlorum vim patitur, &c.
Matt. 11. & illud: Cui resistite fortes in fide. Ita ta-
1. Pet. ult. men quod etiam in novo dari debuerit præceptum contra corporalia pericula, juxta
Matt. 10. illud: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; utpote cùm per ea retrahi possent homines ad spiritualia tendentes.

ART. 2. *Vtrum convenienter tradantur præcepta in lege divina de partibus fortitudinis.* ℞. *Affirmativè*, ita quod convenienter præceptũ sit de actibus virtutum secundarum & adjunctarum, sicut & de actibus principalium; & quæ de adjunctis fortitudini præcepta sunt, modo convenienti fuerint præcepta. *Primum est*, quia cùm lex divina perfectè informet hominem in his, quæ sunt necessaria ad rectè vivendum; & homo ad rectè vivendum non solùm indigeat virtutibus principalibus, sed etiam secundariis adjunctis, ideo & convenienter de earundem actibus præceptum est; exceptis tamen magnificentiâ & magnanimitate, quæ quidem cùm non pertineat ad genus fortitudinis nisi secundùm quandam magnitudinis excellentiam, magis etiam cadunt sub consiliis perfectionis, quàm sub præceptis necessitatis, sub quibus cadunt perseveran-

tia, & patientia. *Secundum est*, quia cùm patientia & perseverantia sint circa minores afflictiones, de quibus potest magis determinari sine periculo quid sit agendum, ad differentiam fortitudinis, quatenus est circa maxima pericula; ideò convenienter præceptum est de illis modo affirmativo, & quidem affirmatione accipienda secundùm præparationem animi, ut homo sit paratus ea adimplere cùm opus fuerit, utpote cùm affirmativa, etsi semper obligent, non tamen pro semper, sed pro loco, & tempore.

IN QVÆSTIONEM CXLI.

De temperantia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum temperantia sit virtus. ℞. *Affirmativè*, ita quod ad idem, ad quod inclinat humana virtus, inclinet temperantia; esto quod possint sine virtute produci aliqualiter temperantiæ actus. *Primum est*, quia inclinat virtus humana ad id quod est secundùm rationem, utpote quæ inclinare debet ad bonum, quod in homine est esse secundùm rationem; quod quidem facit & temperantia, utpote in cujus etiam nomine importatur moderatio, seu temperies quædam, quam ratio facit. Vnde nec contrariatur inclinationi naturæ humanæ, quæ rationalis est, cùm non nisi à delectationibus retrahat, quæ sunt contra rationem; necnon & ei respondet donum timoris, esto quod etiam correspondeat spei, in quantum Deum respicit, cujus offensam vitat. Indiget namque homo maximè timore divino ad fugiendum ea, quæ maximè alliciunt, circa quæ est temperantia. *Secundum est*, quia possunt & vitiosi operari aliqualiter temperantiæ actus ex quadam naturali dis-

positione, prout virtutes quædam imperfectæ sunt hominibus naturales, vel per consuetudinem acquisitæ; quæ tamen non habent in vitiosis perfectionem virtutis, seu rationis, cùm sint sine prudentia.

Art. 2. *Vtrum temperantia sit specialis virtus.* ℞. *Affirmativè*; si tamen sumatur temperantia, non quidem secundùm communitatem suæ significationis, sed antonomasticè, secundùm quod ab his refrenat appetitum, quæ maximè alliciunt. *Primum est*, quia sumpta ita antonomasticè, habet specialem materiam, sicut & fortitudo; proindeque est specialis virtus, adeò ut & tranquillitas animi, & pulchritudo, quæ omni conveniunt virtuti, etiam specialiter, sive per quandam excellentiam, attribuantur temperantiæ, quandoquidem & est circa ea, quæ possunt maximè animum inquietare; & ei convenit quædam moderata, & conveniens proportio, in qua pulchritudinis ratio consistit. *Secundum est*, quia acceptum temperantiæ nomen secundùm cõmunitatem suæ significationis, quandam significat temperiem, & moderationem, quam ratio ponit in operationibus & passionibus; quod quidem est commune in omni virtute morali, sicut & integrum & incorruptum se servare (quod Aug. tribuit temperantiæ,) si pariter accipiatur communiter, non excellenter.

Art. 3. *Vtrum temperantia sit solùm circa concupiscentias & delectationes.* ℞. *Affirmativè*, non quòd ex consequenti non modificet etiam tristitias, imò & omnes passiones irascibilis; sed ita quod præcipuè consistat in moderando concupiscentias, & delecta-

tiones. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad virtutem moralem pertineat conservatio boni rationis contra passiones rationi repugnantes, quarum quidem passionum motus vel est ex eo quod appetitus sensitivus prosequitur sensibilia bona, repugnando rationi per immoderantiam, seu præter modum rationis; vel est in quantum refugit appetitus mala sensibilia, qui quidem motus rationi contrariatur, maximè secundùm suum effectum, prout scilicet quis refugiendo mala sensibilia, quæ concomitantur bonum rationis, consequenter discedit à bono rationis; ideò sicùt fortitudo, quæ firmitatem præstat, præcipuè consistit circa passionem pertinentem ad fugam corporalium malorum; & tamen ex consequenti etiam circa audaciam terribilia aggredientem sub spe boni: ita & temperantia, quæ moderationem dicit, habet præcipuè versari circa concupiscentias tendentes ad sensibilia bona, utpote quæ ad differentiam timoris, quæ dicit retractionem quandam animi, unde & eget fortitudine, dicunt potiùs impetum in delectabile, qui quidem indiget refrenatione, quod pertinet ad temperantiam; & nihilominus etiam ex consequenti circa tristitias, quæ ex absentia talium delectationum contingunt; imò & circa omnes alias passiones, etiam appetitus irascibilis, quæ quidem cùm sint circa fugam mali, præsupponunt passiones concupiscentes bonum, in quantum scilicet ad moderantiam priorum sequitur moderantia posteriorum; in quo etiam sensu habet versari circa exteriores actus, utpote quorum moderatio dependet ex interiorum passionum moderatione.

ART. 4. *Vtrum temperantia sit solùm circa concupiscentias, & delectationes tactus.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non pertineat secundariò ad temperantiam alias moderari concupiscentias, sed ita quod propriè & principaliter tendat ad concupiscentias tactus moderandas. *Primum est*, quia cùm ita sit temperantia circa concupiscentias, & delectationes, sicut fortitudo circa timores, & audacias, ut ex præcedentibus colligitur; & fortitudo sit circa hæc respectu maximorum malorum, ita & erit temperantia circa concupiscentias maximarum delectationũ, quæ quidem cùm sint delectationes ciborum & venereorum, utpote quia maximè consequuntur operationes naturales, quibus scilicet conservatur natura individui, & speciei; & hujusmodi consequantur sensum tactus, ideo & est principaliter temperantia circa delectationes tactus, non quascumque, cùm non sit circa ludos, sed quæ sunt ordinatæ ad conservationem naturæ.
In 4. Ethic. cap. 3. Vnde non accipit Aristoteles temperantiæ nomen, ut designat moderationem exteriorum rerum, cùm ait quod qui est parvis dignus, & his dignificat seipsum, est temperatus: neque est temperantia circa delectationes spirituales, & hoc maximè, quia cùm sint per se loquendo secundùm rationem, ideò nec sunt frenandæ, nisi per accidens, prout scilicet una ab alia retrahit potiori, & magis debita. *Secundum est*, quia cùm ille qui potest refrenare delectationes maximas, multò magis possit & minores frenare, ideò & secundariò pertinet ad temperantiam alias moderari delectationes, sive aliorum sensuum, quæ sunt unius

generis,

generis, sive quascumque alias, ut etiam insinuat Aug. dum ait temperantiæ munus esse in coërcendis cupiditatibus, quæ à legibus Dei avertunt. I lib. de moribus. Eccles. cap. 19.

Vtrum circa proprias delectationes gustus sit temperantia. ℞. *Negativè*, ita quod non nisi circa delectationem tactus sit temperantia principaliter, & per se primò, esto quod secundariò sit etiam circa proprias delectationes gustus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm temperantia sit circa præcipuas delectationes, quæ quidem pertinent ad conservationem humanæ vitæ, vel in specie, vel in individuo; & in his consideretur aliquid principaliter, scilicet usus ipse necessariorum, putà fœminæ ad conservationem speciei, & cibi & potus ad conservationem individui, ad quem quidem usum cibi & potus per se consequitur delectatio tactus: tum etiam consideretur aliquid secundariò, scilicet id quod facit ad hoc, ut usus sit magis delectabilis, ut pulchritudo & ornatus fœminæ; tum sapor & odor in cibis, adeo ut principaliter consistant deliciæ in ipsa substantia alimenti, secundariò autem in exquisito sapore & præparatione ciborum; ideò non nisi circa delectationem tactus est principaliter temperantia, ad quem quidem tactum pertinent & usus ciborum, & delectatio essentialiter ipsum consequens, sicut & ad gustum discretio saporum, quandoquidem tactus est sensus alimenti, ut ait Philos. circa verò delectationes proprias gustus non nisi secundariò. ART. 5. In 2. de anima.

Vtrum regula temperantiæ sit sumenda secundùm necessitatem præsentis vitæ. ℞. *Af-* ART. 6.

firmativè, ita quod tantum eis uti debeat quantum requirit vitæ hujus necessitas, sed necessitas cōvenientiæ, non autem simpliciter dicta. *Primum est*, quia cùm virtus moralis præcipuè consistat in rationis ordine, qui quidem est ut ordinet aliquid in finem, utpote cùm bonum habeat rationem finis; ideò cùm finis sit regula eorum, quæ sunt ad finem, & omnia delectabilia, quæ in usum hominum veniunt, ordinentur in aliquā hujus vitæ necessitatem, sicut ad finem, loquendo scilicet de necessario quantum ad convenientiam vitæ, quæ quidem attenditur & quantum ad convenientiam corporis, ac etiam exteriorum rerum, ut divitiarum, officiorum, & multò magis secundùm convenientiam honestatis, ex Arist. propterea fit, quod accipiat temperantia necessitatem hujus vitæ, sicut regulam, scilicet ut tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit, ut etiam docet Aug. ita tamen, quod ejus quidem rei, quâ utitur temperatus, finis & regula sit necessitas hujus vitæ, sed temperantiæ regula & finis sit beatitudo; alius est enim finis operantis, & alius operis. *Secundum est*, quia non solùm respicit temperantia necessarium, sine quo res non potest esse, qua ratione cibus est necessarius animali; sed etiam sine quo res non potest convenienter esse, propter scilicet bonam habitudinem, ut inquit Arist. Imò quæ ad hoc necessaria non sunt, quanvis his non utatur temperatus, si sint impedimenta sanitatis; si tamen impedimenta non sunt, his moderatè utitur pro loco, & tempore.

In 3. Eth. cap. 11. Lib. de moribus Eccles. cap. 23.

ART. 7. *Vtrum temperantia sit virtus cardinalis.*

℟. *Affirmativè*, ita quod ad modum virtutum cardinalium principalius laudetur ex aliquo, quod in omni virtute requiritur; imò & ex eo, quod circa ea versatur, quæ magis distant à ratione. *Primum est*, quia cùm moderatio, quæ in omni virtute requiritur, præcipuè laudabilis sit in delectationibus tactus, circa quas est temperantia; tum quia tales delectationes sunt nobis magis naturales, unde & vehementiùs movent; tum etiam, quia eorum objecta magis sunt necessaria præsenti vitæ: ideò & est ex hoc temperantia cardinalis, seu principalis virtus, & quidem magis quàm humilitas, licèt spes, quam refrenat humilitas, sit de altioribus, quandoquidem appetitum vehementiùs movent ea, quorum est concupiscentia; impetus namque concupiscentiæ ad delectabilia tactus procedit ex causa naturali, unde & est diuturnior, & communior, proindeque principaliori virtute frenandus, imò & magis quàm impetus iræ, utpote qui cùm causetur ex aliquo accidente, scilicet læsione contristante, citiùs transit. *Secundum est*, quia cùm tanto major ostendatur virtus agentis, quanto in ea, quæ sunt magis distantia, potest suam operationem extendere; ideò & ex hoc principaliùs ostenditur virtus rationis in temperantia, quod potest delectationes magis distantes reprimere.

Vtrum temperantia sit maxima virtutum. Art. 8.
℟. *Negativè*, non quòd non possit temperantia esse potior & fortitudine & justitiâ quoad aliquid; sed ita quod illæ sint simpliciter potiores. *Primum est*, quia cùm virtus tanto melior sit, quanto magis per-

tinet ad bonum multitudinis, utpote quia, bonum multitudinis divinius est, quàm bonum unius; & justitia, & fortitudo magis ad id pertineant, quàm temperantia, cùm consistat justitia in communicationibus, quæ sunt ad alterum; & fortitudo in periculis bellorum, quæ sustinentur pro salute communi; temperantia autem habeat solùm temperare concupiscentias unius hominis: ideò & potiores sunt simpliciter temperantiâ, & magis adhuc virtutes theologicæ, & prudentia, quæ ut jam dictum est, potiores sunt fortitudine, & justitiâ, & quidem quanvis difficilius sit refrenare concupiscentias, quàm per justitiam rectificare actiones exteriores: dignitas enim virtutis magis attenditur secundùm ratione boni, in quo excedit justitia, quàm secundùm rationem difficilis, in quo excedit temperantia.

In I. de offic. Vnde nec tribuũtur maximè honestas & decor temperantiæ à Cicer. propter principalitatem proprii boni, sed magis propter turpitudine contrarii mali, à quo retrahit. *Secundum est*, quia & quantum ad communitatem, non quidem quâ aliquid pertinet ad multitudinem, quæ facit ad excellentiam bonitatis, sed quæ consideratur secundùm quod aliquid frequenter occurrit, habet temperantia usum communiorem quàm fortitudo, quæ scilicet est circa pericula mortis, estque circa difficiliora quàm sit justitia, & sic excedit quantum ad aliquid.

IN QVÆSTIONEM CXLII.

De vitiis quæ adversantur temperantiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *insensibilitas sit vitium.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non liceat à delectationibus tactus propter finem aliquem abstinere; sed ita quod vitiosum sit eas

usque ad insensibilitatem, sive totaliter refugere. *Primum est*, quia cùm vitiosum sit quidquid ordini naturali contrariatur; hic autem ordo requirat, ut homo in tantum delectationibus utatur, quas natura apposuit operationibus necessariis, quantum necessarium est ad conservationem speciei, vel individui; ideò fugienda quidem est delectatio ad vitandum peccatum, sed solùm ne plus quæratur, quàm requirit necessitas; non autem usque ad insensibilitatem, sive totaliter; & hoc maximè, quia non potest homo ratione uti sine sensitivis potentiis, quæ indigent corporali organo, & consequenter sustentatione corporis, quæ quidem fit per operationes delectabiles. *Secundum est*, quia abstinere ab his delectationibus ob sanitatem animæ, vel corporis, & ad exequutionem officii, &c. quandoque laudabile est, vel etiam necessarium. Vnde & Daniel tali utebatur abstinentiâ, non quasi delectationes abhorrens, sed propter aliquem finem laudabilem, scilicet ob contemplationem. Qua etiam de causa homines qui contemplationis officium sumpserunt, ut bonum spirituale spirituali propagatione in alios transmittant, à multis delectationibus laudabiliter abstinent, à quibus qui ex officio carnali generationi vocare debent, laudabiliter non abstinerent. Dan. 1.

Vtrum intemperantia sit puerile peccatum. ART. 2.
℞. *Affirmativè*, non quidem puerile, quasi conveniat pueris; sed secundùm quandam cum puero assimilationem. *Primum est*, quia cùm sit intemperantia peccatum concupiscentiæ, non quidem naturalis, sive secundùm genus, sive secundùm speciem, cùm

natura solùm requirat, quo subvenitur necessitati, & ita non multùm contingat peccare circa naturales concupiscentias; sed concupiscentiæ superfluæ: ideò cùm hæc in tribus assimiletur puero, 1. quia sicut appetit puer aliquid turpe, non attendendo ordinem rationis, sic etiam concupiscentia, quæ nec rationem audit: 2. ut puer si suæ voluntati dimittatur, crescit in propria voluntate; ita concupiscentia, si ei satisfiat, majus accipit robur: 3. sicut per hoc quod coërcetur puer, emendatur, quo fit ut sit quidem in eo fovendum, & augmentandum, quod ad naturam pertinet, non tamen quod pertinet ad rationis defectum, sed magis emendandum; similiter dum concupiscentiæ resistitur, ad debitum reducitur honestatis modum: ideò fit, quod sit intemperantia ob similitudinem quandam peccatum puerile. *Secundum est*, quia cùm dicat Hieron. super illud: Nisi efficiamini sicut parvuli, &c. quod parvulus non perseverat in iracundia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, quod quidem intemperantiæ contrariatur; nec etiam puerilis dicitur intemperantia, quasi pueris conveniat.

ART. 3. *Vtrum intemperantia sit magis vitium, quàm timiditas.* ℞. *Affirmativè*, & quidem sive comparetur timiditati ex parte materiæ, vel objecti; sive etiam ex parte ipsius hominis peccantis. *Primum est*, quia cùm timiditas ex parte materiæ refugiat pericula mortis, ad quæ quidem vitanda inducit maxima necessitas conservandæ vitæ; intemperantia verò sit circa delectationes, quarum scilicet appetitus non est ita ne-

cessarius ad vitæ conservationem; ideo cùm tanto peccatum levius sit, quanto illud quod ad peccandum commovet, est magis necessarium, debet timiditas ex parte materiæ levius esse peccatum, sive etiam ex parte difficultatis, quandoquidem minoris vitii est à fortiori vinci, majoris verò à debiliori superari, esto quod ex parte finis, & consequenter secundùm quid, excedat aliqualiter timiditas intemperantiam, in quantum scilicet per timiditatem desistunt aliqui ad defensione boni communis. *Secundum est*, quia cùm ex parte peccantis eo graviùs peccetur, quo is qui peccat, est magis compos mentis; & timores graves maximè in periculis mortis stupefaciant mentem, quod non faciunt delectationes, quæ movent ad intemperantiam; ideò & ex parte peccantis gravior est intemperantia; sed insuper quia plus habet intemperantia de voluntario, adeò ut in timiditate sit quidem magis voluntarium secundùm quid, scilicet in universali, sed in particulari, & consequenter simpliciter, minùs; cùm ea quæ per timorem fiunt, ad differentiam intemperantiæ, principium habeant ab exteriore impellente. Tum denique, quia intemperantiæ potest faciliùs remedium adhiberi, quàm timiditati; quandoquidem circa delectationes, quæ per totam vitam occurrunt, potest homo sine periculo exercitari; non autem circa mortis pericula, quæ quidem raró occurrunt.

Vtrum peccatum intemperantiæ sit maximè exprobrabile. ℟. *Affirmativè*, non quòd non dentur vitia magis exprobrabilia, sed ita quod inter ea quæ dicuntur humana, sit ART. 4.

magis exprobrabilis intemperantia. *Primum est*, quia cùm exprobratio opponatur honori, qui quidem excellentiæ debetur, necnon & gloriæ, quæ claritatem importat; ideò cùm maximè repugnet intemperantia tum excellentiæ hominis, quia est circa delectationes communes nobis, & brutis; tum etiam claritati, prout in delectationibus, circa quas est intemperantia, minùs apparet de lumine rationis, in qua est tota claritas & pulchritudo virtutis, est consequenter inter humana vitia, sive quæ attenduntur secundùm passiones humanæ naturæ aliqualiter conformes maximè exprobrabilis; & quidem quanvis aliqua sint graviora peccata peccatis carnalibus intemperantiæ, ut blasphemia; imò & quanvis sit magis in consuetudine: vitia namque carnalia, etsi sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ, quæ quidem respicit turpitudinem, quæ attenditur secundùm indecentiam peccati: nec nisi secundùm opinionem hominum minuit consuetudo peccandi turpitudinem & infamiam peccati, non autem secundùm ipsorum vitiorum naturam. *Secundum est*, quia vitia illa, quæ modum excedunt humanæ naturæ, ut quæ perficiuntur in delectationibus bestialibus, magis adhuc sunt exprobrabilia, quanvis & hæc reduci possint ad genus intemperantiæ per excessum.

IN QUÆSTIONEM CXLIII.

De partibus temperantiæ in generali.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Tullius convenienter assignet partes temperantiæ, Continentiam, Clementiam, & Modestiam. ℞. *Affirmativè*, non quòd nō plures sint assignabiles partes,

ſed ita quod quantum ad partes potentiales rectè & ſufficienter tres præfatæ aſſignentur. *Primum eſt*, quia cùm partes potentiales ſint virtutes principali adjunctæ, modum ſervantes principalis virtutis in quibuſdam aliis materiis, in quibus non eſt ita difficile; & temperantia verſetur circa delectationes tactus, quas difficile eſt frenare; ideò & ei adjungi debent veluti partes potentiales virtutes illæ, quæ appetitum in aliquid tendentem frenant: unde cùm id contingat tripliciter, vel in motibus animi, qui ſunt tres, ſcilicet motus voluntatis ex impetu paſſionis, quem frenat continentia; motus in aliquid tendens, ut motus ſpei, & audaciæ, quem moderatur humilitas; & motus iræ tendentis in vindictam, quem moderatur clementia, ſeu manſuetudo: vel in motibus exterioribus corporis, & hos moderatur modeſtia: vel tertiò in rebus exterioribus, in quibus eſt duplex modus; alter ne ſuperflua quærantur, & quantum ad hoc ponit Macrobius parcitatem, & Andronicus ſufficientiam; alter ne nimis exquiſita requirantur, & quantum ad hoc ille moderationem, hic ſimplicitatem ponit: ita tamen, quod ſub modeſtia, quam ponit Tullius, omnia illa comprehendi poſſint, quæ pertinent ad moderationem corporalium motuum & exteriorum rerum; necnon & moderatio ſpei, quam diximus ad humilitatem pertinere: conſequenter fit, quod quoad partes potentiales rectè & ſufficienter aſſignentur à Tullio continentia, quæ quidem differt à virtute ut imperfectum à perfecto; ſed tamen convenit cum temperantia & in ma-

teria, quia est circa delectationes tactus, necnon in modo, quatenus in refrenatione consistit; tum clementia, seu mansuetudo, quæ tamen non ponitur pars temperantiæ, propter convenientiam materiæ, sed modi; tum etiam modestia, quæ quidem cùm non attendat circa exteriores actus quod est alteri debitum, sed moderationem quandam; ideò est pars temperantiæ, non justitiæ. *Secundum est*, quia præter partes potentiales habet temperantia & quasdam partes integrales, quæ sunt verecundia, per quam homo refugit turpitudinem, & honestas, per quam amat temperantiæ pulchritudinem, utpote quæ sunt conditiones ad actum ipsius necessariæ: tum etiã partes subjectivas, quæ scilicet sunt species ipsius, quæ quidem cùm diversificentur secundùm materiam, id est secundùm delectationem tactus, quarum aliæ ad nutrimentum, aliæ ad generationem, & ad actus eam circumstantes ordinantur; ideò & distinguuntur quatuor, quæ sunt abstinentia quantum ad cibum, sobrietas quantum ad potum, castitas quantum ad delectationem in actu concubitus, & pudicitia quantum ad delectationes circumstantes, in osculis, tactibus, & amplexibus.

IN QVÆSTIONEM CXLIV.

De partibus temperantiæ in speciali.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum verecundia sit virtus. ℞. *Negativè*, non quòd non possit dici virtus prout hæc sumitur communiter; sed ita quod non pertingat ad propriam, & perfectam rationem virtutis. *Primum est*, quia cùm virtus sit perfectio quædam, ac proinde quidquid repugnat perfectioni, etiam-

si sit bonum, deficiat à ratione virtutis; ideò cùm verecundia sit hujusmodo, utpote quæ ex Damasc. est timor de turpi actu; Lib. 2. cùm tamen perfectus secundùm habitum cap. 15. virtutis non faciat aliquid unde opprobrium timeat, propterea fit, quod non pertingat ad perfectam rationem virtutis, & quidem quanvis foveat honestatem, vel etiam medium teneat, ut ait Philos. utpote cùm non foveat honestatem, quasi sit pars honesti, sed removendo honestati contraria; nec sufficiat esse in medio ad rationem virtutis, sed requiratur ut sit habitus electivus, cujusmodi non est verecundia, cujus scilicet motus ex quodam provenit passionis impetu: imò & quanvis verecundiæ opponantur vitia inverecundiæ, & stuporis; non enim est necesse, ut id cui directè opponitur vitium, sit virtus, cùm quilibet defectus vitium causet, non autem bonum quodlibet faciat virtutem. Vnde ex multis quidem actibus verecundiæ, utpote laudabilibus, causatur habitus virtutis acquisitæ, sed quo quis turpia illa vitet, de quibus verecundatur, non autem quo ulteriùs verecundetur. *Secundum est*, quia dicitur communiter virtus omne quod est bonum, & laudabile in humanis actibus, qualis quidem est verecundia, quæ est laudabilis quædam passio; ita tamen, quod potiùs pertineat ad temperantiam, quàm ad aliam virtutem, non quidem secundùm speciem passionis, quæ est timor, sed ratione motivi, quod est turpe.

Vtrum verecundia sit de turpi actu. ℞. *Affirmativè*; ita tamen, quod primò & principaliter respiciat turpitudinem pœnalem, ART. 2.

seu vituperium, & opprobrium; vitiosam autem turpitudinem, non nisi ex consequēti. *Primum est*, quia cùm quod in moralibus timorem nominat turpitudinis, id principaliter respiciat vituperium tanquam pœnam, utpote cùm sit timor propriè de malo arduo, quod est difficile vitare; & vituperium sit turpitudo quædam pœnalis ab alio illata, habeatque rationem mali, sicut honor rationem boni; ideò cùm verecundia timorem nominet turpitudinis, habet etiam primò respicere pœnalem vituperii turpitudinem;& quia vituperium propriè debetur vitio, ideò etiam ex consequenti respiciat turpitudinem vitiosam:ita tamen quod quanvis vituperium propriè debeatur soli culpæ, quam etiam, sicut & ingloriationem,in quantum culpæ, quæ est defectus voluntarius, debitam respicit verecundia; nihilominus quia ex opinione humana quemcunque respicit defectum, ideò etiam de servitute, ignobilitate, &c. verecundatur homo; imò & per accidens potest aliquis de operibus virtuosis verecundari, prout scilicet habentur ut vitiosa ex opinione hominum, vel ut in illis quis refugit præsumptionis,aut simulationis notam; non tamen de opprobriis illatis propter virtutem, quæ quidem virtuosus debet contemnere,cùm ex imperfectione virtutis sit, quod aliquis verecundetur de opprobriis illatis propter virtutem; imò nec magis semper de gravioribus peccatis verecundari debet, cùm quandoque minùs habeant turpitudinis, ut peccata spiritualia respectu carnalium; vel in quodam excessu temporalis boni se habeant, sicut

magis verecundatur de timiditate, quàm de audacia.

Vtrum homo magis verecundetur à personis magis cōjunctis. ℞. *Affirmativè*, non quòd nō pari modo verecundemur à melioribus, vel etiam ob nocumentum sequens, ab his inter quos nihil mali fecimus, vel quorum volumus fieri amici; sed ita quod quantum ad aliquid magis à conjunctis verecundemur, quàm à peregrinis, & transeuntibus. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ab iis homines magis verecundentur, quorum testimonium reputant majus, utpote quia opprobrium, cujus timor est verecundia, importat testimonium de defectu alicujus, & præcipuè secundùm aliquam culpam; ideò cùm virtuosorum & sapientum testimonium reputetur majus, propter judicii certitudinem (in qua quidem assimilantur meliores cum magis conjunctis,) unde à pueris nemo verecundatur; illorum etiam, qui obesse, vel prodesse possunt, propter effectum utilitatis, vel nocumenti; magis autem conjunctorum, non quidem in similitudine peccati, utpote quos non formidamus, propterea quod non existimamus, eos defectum nostrum apprehensuros ut aliquid turpe; sed conjunctorum ex convictu, & conversatione, quippe qui facta nostra magis considerant, & quia cum eis semper versamur, quasi nobis ex hoc perpetuum proveniat detrimentum, ad differentiam peregrinorum, ex quibus quasi citò pertransit omne quod provenit. Cum quo tamen stat, quod etiam magis à propalantibus verecundemur propter nocumentum inde proveniens, quod est infamia, necnon ART. 3.

& apud quos bonam habemus opinionem, vel à quibus aliquid petimus, vel quorum amicitiam desideramus, timore scilicet amittendi famam, implendæ petitionis, & amicitiæ finiendæ.

ART. 4. *Vtrum etiam in virtuosis hominibus possit esse verecundia.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non apprehendant ut turpia ea, quæ sunt erubescibilia, sed quia non apprehendunt turpitudinem ut possibilem sibi, vel quasi facilè vitabilem. *Ratio utriusque partis est*, quia quod malum aliquod non timeatur, cùm possit hoc contingere, vel quia non æstimatur ut malum, & hoc modo carent verecundiâ qui in peccatis sunt profundati, qui potiùs in malitia gloriantur; vel quia non æstimatur ut possibile sibi, vel ut difficile vitari; quo modo se habent senes, & virtuosi, ad quos quidem ex Paulo, & Arist. pertinet etiam quæ habent vitii speciem vitare; ideò ex hoc, non ex priori capite, quod magis pessimis convenit hominibus, habent virtuosi carere verecundia. Virtuosus namque diffamationes contemnit, proindeque de illis non verecundatur, nisi secundùm aliquem verecundiæ motum, qui rationem prævenit; & quidem quanvis sit temperantiæ, utpote cùm nec sit verecundia pars essentialis temperantiæ, sed tantummodò ad eam disponat.

1. Ad Thessal. 4. Ethic. cap. ult.

IN QVÆSTIONEM CXLV.

De honestate.

ARTICVLVS PRIMVS. *VTrum honestum sit idem virtuti.* ℞. *Affirmativè*, ita quod in idem propriè loquendo referatur honestum cum virtute, non quidem prout est virtus appetibilis propter aliud, sed in quantum est appeti-

bilis propter se. *Ratio utriusque partis est,* quia cùm honestas ex Isid. ita dicatur quasi honoris status, quatenus scilicet ex hoc videtur aliquid dici honestum, quia honore dignum; ideò cùm honor debeatur excellẽtiæ, & excellentia hominis maximè consideretur secundùm virtutem, quæ est ex Arist. dispositio perfecti ad optimũ, in idem propterea refertur honestum cum virtute; non tamẽ ut est appetibilis propter aliud, quod quidem habet in quantum nos perducit in aliquod bonum perfectius, ut est Deus, & beatitudo, sic enim ei debetur laus; sed prout est propter seipsam appetibilis, sive ut habet in seipsa rationem aliquam bonitatis, etiamsi nihil aliud boni per eam nobis accideret, quod quidem ad rationem honesti sufficit. Vnde nec honorantur quæ sunt infra virtutem, nisi prout coadjuvant ad opera virtutis, sicut nobilitas, divitiæ, &c. esto quod nomen honestatis ad exteriorem prosperitatem transferatur, prout scilicet ex vulgari opinione facit excellentia divitiarum hominem honore dignum; nec nisi significativè consistit honestas in exteriori conversatione, in quantum scilicet est hæc demonstrativa interioris rectitudinis; sed radicaliter consistit in interiori electione, sicut & principale virtutis.

In 8. Etymol. c. 13.

In 7. Physic. text. 15.

Vtrum honestum sit idem, quod decorum. ℞. *Affirmativè,* si tamen subintelligatur de decoro spirituali, non de corporali. *Ratio utriusque partis est,* quia cùm ex Dion. ad rationem pulchri & decori concurrant claritas, & debita proportio, quo fit ut Deus dicatur pulcher, sicut universorum consonantiæ, & claritatis causa; & homo quoad

Art. 2.

corpus, quando habet membra proportionata, cum quadam corporis claritate; sicque in hoc consistat spiritualis decor, ut conversatio hominis, sive ejus actio sit secundùm rationis claritatem benè proportionata; ideò cùm hoc pertineat ad rationem honesti, utpote quod diximus idem esse virtuti, quæ quidem secundùm rationem moderatur omnes res humanas, propterea fit, quod honestum idem sit quod decorum; sicut & quia gloria est effectus honoris, idem etiam est honorificum, & gloriosum. Vnde ipsum etiam decorum habet esse appetibile, utpote cùm objectum movens appetitum sit bonum apprehensum, & quod in ipsa apprehensione apparet decorum, accipiatur ut conveniens, & bonum: si tamen intelligatur de decoro spirituali, non corporali, quod quidem in aliquibus contrariatur virtuti, juxta illud: habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo. Ezech. 16.

ART. 3. *Vtrum honestum differat ab utili, & delectabili.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non concurrant hæc tria in idem subjectum, sed ita quod sint ratione aliud, & aliud. *Primum est*, quia cùm honestum dicatur, prout aliquid habet excellentiam quandam honore dignam ob spiritualem pulchritudinem, unde & per se appetitur appetitu rationis, ad differentiam delectabilis, quod non nisi appetitu sensitivo habet appeti propter se; ideò est ratione aliud à delectabili, quod tale dicitur ut quietat intellectum; & aliud ratione ab utili, utpote quod refertur ad aliud, juxta illud Augustini dictum: Honestum propter se, utile propter aliud. Lib. 83. q.

cèt enim nihil possit esse verè & simpliciter utile, quod repugnet honestati, ut dicunt Ambr. & Tullius; nihil tamen prohibet quantũ ad utile secundùm quid. *Secundum est*, quia cùm virtus, quæ ex se est honesta, & quidem taliter, quod etiam divitiæ, prout ordinantur organicè ad actus virtutum, vocentur nomine honestatis; cùm, inquam, referatur ad felicitatem, unde erit etiam utilis, & delectabilis: ideò & concurrit honestum in idem subjecto cum utili & delectabili; non tamen convertibiliter cum delectabili, adeò ut omne quidem honestum sit delectabile, cùm quodlibet naturaliter delectetur in suo convenienti; & honestum sit ita homini conveniens, utpote quia dicit decorem quendam ex ordinatione rationis, quæ ordinatio est naturaliter homini conveniens, ut de operatione virtutis probat Arist. non tamen omne delectabile sit honestum, cùm possit esse aliquid conveniens secundùm sensum, & non secundùm rationem, quâ tamen perficitur natura hominis. In 1. Ethic.

ART. 4. *Vtrum honestas debeat poni pars temperantia.* ℟. *Affirmativè*, non quidem subjectiva, aut potentialis, ad modum virtutis adjunctæ; sed integralis pars, tanquam scilicet conditio quædam ipsius. *Primum est*, quia cùm honestas sit quædam spiritualis pulchritudo, quæ opponitur temperantiæ, & opposita se maximè invicem manifestent; ideò ad temperantiam specialiter pertinet honestas, quæ quidem quod est homini turpissimum, & indecentissimum, repellit, brutales scilicet voluptates: unde & in ipso nomine bonum quoddam rationis intelligitur, scilicet concupiscentias temperare.

Et quidem licèt justitiæ, & fortitudini debeatur major honor, quàm temperantiæ, propter majoris boni excellentiam; vel etiam quanvis dicatur vinum (Esdræ 13.) facere in ebriis præcordia honesta; utpote cùm adhuc temperantiæ debeatur major honor propter cohibitionem vitiorum magis exprobrabilium: nec intelligatur dictum illud Esdræ secundùm rei veritatem, sed secundùm eorum existimationem. *Primum est*, quia est potiùs temperantia pars subjectiva honesti, ut dicit Tullius, prout scilicet sumitur in sua communitate.

IN QVÆSTIONEM CXLVI.

De abstinentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *abstinentia sit virtus*. ℟. *Affirmativè*; si tamen accipiatur, non quidem secundùm quod designat absolutè ciborum subtractionem, sed secundùm quod est ratione regulata. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm abstinentia, ut absolutè ciborum subtractionem designat, sit quoddam indifferens, unde nec pertinent ad regnum Dei usus ciborum, & eorum abstinentia, ut
1. Cor. 1. dicit Scriptura, secundùm se cõsiderata, sed tantùm prout quis rationabiliter ex fide & dilectione Dei abstinet; ideò nec est hoc modo abstinentia virtus, aut actus virtutis: quia verò in quantum est ratione regulata, habet consistere in medio, quanvis denominetur ab effectu, sive à subtractione; propterea significat hoc modo vel habitum virtutis, vel actum, & meritò numeratur in
2. Pet 1. Scriptura inter alias virtutes, adeò ut quanvis ciborum moderatio secundùm quãtitatem & qualitaté pertineat ad artem medicinæ; secundùm tamen interiores affectio-

nes in comparatione ad bonum rationis pertineat ad virtutem abſtinentiæ. Vnde nec excludit interdum abſtinentia patientiam & humilitatem, niſi quatenus non eſt quandoque ſecundùm rationem rectam, quæ quidem facit abſtinere ſicut oportet, id eſt cum hilaritate; & propter quod oportet, ſcilicet propter gloriam Dei.

Vtrum abſtinentia ſit ſpecialis virtus. ART. 2. ℞. *Affirmativè*, non quòd ex aliis virtutibus non commendetur, vel etiam ad alias juvet; ſed ita quod ſpecialis ſit ratio, unde conſervet rationis bonum contra impetus paſſionum. *Primum eſt*, quia cùm ubi invenitur ſpecialis ratio, quâ paſſio abſtrahit à bono rationis, ſit ibi ſpecialis ratio admittendi virtutem moralem, quæ quidem habet hoc conſervare bonum contra impetus paſſionum; & delectationes ciborum natæ ſint à bono rationis abſtrahere propter ipſarum magnitudinem, & ciborum neceſſitatem; ideo & eſt ſpecialis ratio unde admittatur virtus pro uſu ciborum moderando, & quidem magis quàm circa moderationem veſtium, utpote qui eſt introductus à natura, cùm è contra ab arte ſit veſtimentorum uſus. *Secundum eſt*, quia cùm virtutes ſint inter ſe connexæ, ideò & poteſt abſtinentia ab aliis commendari virtutibus, quanvis ſpecialis virtus, & ad alias juvare, ſicut juvat ad caſtitatem; à qua tamen in hoc etiam diſtinguitur, quod corpus caſtiget non ſolùm contra illecebras luxuriæ, ſed etiam gulæ.

IN QVÆSTIONEM CXLVII.

De jejunio.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum jejunium ſit actus virtutis. R. *Affirmativè*, ſi tamen ſit ſermo de jejunio

non naturæ, ſive jejuni,ſed de jejunio jejunantis,quo ſcilicet quis ex rationabili propoſito à cibis aliqualiter abſtinet. *Primum eſt*, quia ex hoc actus eſt virtuoſus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honeſtum; quod quidem jejunio convenit jejunantis,utpote qui propter tria jejunium aſſumit principaliter: tum ad concupiſcentias carnis reprimendas: tum ad hoc ut mens liberiùs elevetur ad ſublimia contemplanda, propter quod Daniel poſt jejunium accepit revelationes: tum etiam ad ſatisfaciendum pro peccatis, juxta illud Aug. Iejunium animam purgat, mentem ſublevat, propriam carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum & humiliatum. Vnde nec recedit jejunium à medio virtutis, eſto quod aliquid naturæ neceſſitati ſubtrahat; quandoquidem & ipſa recta ratio indicat, ut aliquis ad ſpiritualia mala vitanda, & bona proſequenda minus cibi ſumat,quàm ſibi competeret ſecundùm ſtatum communem; quanvis non ita ſubtrahi debeat,ut natura conſervari nequeat, aut homo ad debita opera reddatur impotens.Cum quo tamen ſtat,quod quia actus ex ſuo genere virtuoſus poteſt propter aliquas circumſtantias vitioſus reddi, ideò nec laudatur jejunium in Scriptura,cui ſunt circumſtantiæ tales annexæ. *Secundum eſt*, quia jejunium naturæ,quo ſcilicet quis dicitur jejunus antequam comedat,cùm conſiſtat in pura negatione, ideò nec eſt actus virtutis.

Daniel. 10.

Serm. 130.

ART. 2. *Vtrum jejunium ſit actus abſtinentiæ.* ℞. *Affirmativè*,non quòd non poſſit ex parte finis ad religionem, vel aliam virtutem

pertinere ; sed ita quod ex parte materiæ, circa quam elicitur, sit actus abstinentiæ. *Primum est*, quia cùm omnis actus virtuosus, qui est circa aliquam materiam, pertineat elicitivè ad illam virtutem, quæ medium in illa materia constituit, utpote cùm eadem sit materia actus & habitus ; & jejunium attendatur in cibis, in quibus medium adinvenit abstinentia, ita quod non nisi metaphoricè dicatur jejunium, quod consistit in abstinendo, non à cibis, sed à quibuscumque nocivis; ideò & est jejunium actus ab abstinentia elicitus. Vnde & sufferre molestias, quæ sunt ex defectu delectabilium tactus, quales quidem sunt molestiæ jejunii, non ad fortitudinem, sed ad temperantiam pertinet, & ejus partes. *Secundum est*, quia cùm actus unius virtutis possit ad aliam virtutem pertinere, ut ordinatur ad ejus finem ; ideò nec prohibet, pertinere jejunium ex parte finis ad religionem, vel castitatem.

Vtrum jejunium sit in præcepto. ℞. *Affirmativè*, ita quod & cadat jejunium in communi sub præcepto legis naturæ, & cadat sub præcepto juris positivi quantum ad determinationem modi jejunandi, & temporis. *Primum est*, quia cùm quisque teneatur ex naturali ratione tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad prædictas jejunii necessitates ; ideò licèt jejunium secundùm se consideratum non sit de lege naturæ, sive de necessitate præcepti, utpote quod secundùm se non nominat aliquod eligibile, sed quid pœnale ; benè tamen unicuique tali remedio indigenti : & quia homines plurimùm indigent tali remedio, ART. 3.

ideò etiam conveniens fuit ſtatuere jejunia ab omnibus communiter obſervanda. *Secundum eſt*, quia ſicut ad Principes ſeculares pertinet præcepta juris naturalis determinativa tradere de his, quæ pertinent ad utilitatem communem in corporalibus rebus: ita & ad Eccleſiæ Prælatos pertinet ea ſtatutis præcipere, & determinare circa jejunium, quæ ad utilitatem communem fidelium ſpectant in ſpiritualibus bonis; & quidem quanvis à Dei Sapientia, ut ait Aug. homine aſſumpto, in libertatem vocati ſimus; nec enim ſunt talia ſtatuta contra fidelium libertatem, cùm ſint potiùs utilia ad impediendam ſervitutem peccati, ut notat Apoſtolus. Cum quo tamen ſtat, quod præcepta quæ per modum communis ſtatuti proponuntur, non eodem modo obligent omnes, ſed ſecundùm quod ad finem requiritur, quem ſcilicet intendit legiſlator; cujus quidem authoritatem, ſi quis tranſgrediendo contemnat, ita ut finis intentus impediatur, tranſgreſſor peccet mortaliter; non tamen ſi in eo caſu non ſervet, in quo ſi adeſſet legiſlator, non decerneret eſſe ſervandum: unde nec omnes qui jejunium non ſervant, peccant propterea mortaliter.

Ad Gal. 5.

ART. 4. *Vtrum omnes ad jejunia Eccleſiæ teneantur.* ℞. *Negativè*, non quòd non obligentur omnes communiter, ſed ita quod ex ſpeciali cauſa poſſint plures à jejunio excuſari. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſtatuta communia proponantur ſecundùm quod multitudini conveniunt, proinde que & in eis ſtatuendis attendat quidem legiſlator quod communiter habetur, & in plu-

ribus accidit; non autem obligare intendat, si quid ex speciali causa in aliquo inveniatur, quod observantiæ statuti repugnet: ideo ad jejunia ab Ecclesia statuta omnes quidem communiter obligantur; non tamen sicut ad præcepta quæ sunt juris naturalis, utpote quæ sunt secundùm se de necessitate salutis; sed taliter quod excusentur illi, in quibus fuerit aliquod speciale impedimentum, ut est in pueris, qui quidem indigent frequenti, ac multo cibo ob debilitatem naturæ, & necessitatem augmenti, quod est usque ad finem tertii septennii, esto quod magna tribulatione imminente etiam in pueris jejunia indicantur: tum etiam in peregrinis & operariis, quando scilicet imminet necessitas peregrinandi, vel multùm laborandi, propter conservationem corporis, vel spiritualis vitæ; vel etiam in pauperibus, non quidem qui habere possunt, quod eis sufficiat ad unam comestionem, sed qui frustatim eleemosynas mendicant. Ita tamen quod quando specialis illa causa est evidens, possit quidem homo per se licitè observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, aut si non possit de facili recursus haberi ad superiorem; sed si causa sit dubia, debeat quisque ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi.

Vtrum convenienter determinentur tempora jejunii Ecclesiæ. ℞. *Affirmativè*, ita quod & rationabiliter instituerit jejunium immediatè ante solennitatem paschæ, tum in vigiliis præcipuarum festivitatum, tum singulis quartis anni; & etiam rationabiliter quantum ad numerum dierum. *Primum est*, ART. 5.

quia cùm jejunium Ecclesiasticum ordinetur ad peccati deletionem , & ad elevationem mentis in Deum , illis propterea temporibus erant præsertim indicenda, quibus potissimùm actibus pœnitentiæ , & devotionis nos occupari oportet : quod quidem est , non pro paschali tempore , & diebus Dominicis, ad differentiam jejunii exultationis, quod cùm procedat ex instinctu Spiritus sancti, fieri potest omni tempore, non tamen cadens sub præcepto ; sed ante solennitatem paschalem, in qua scilicet Christus resurgēdo æternitatis gloriam inchoavit ; esto quod Christus ante Baptismum suum non jejunaverit, utpote qui Baptismo non indiguit propter seipsum, sed ut nobis Baptismum cōmendaret: tum in vigiliis festivitatum, in quibus præparari oportet ad easdem devotè celebrandas; necnon & quatuor Temporibus , utpote in quibus conferri solent Ordines sacri; quæ tamen quatuor Tempora non observat Ecclesia eisdem omninò temporibus, quibus Iudæi, sicut ne ob easdem causas. *Secundum est*, quia quantum ad jejunia quatuor Temporum, quæ quidem tribus diebus continentur, desumitur ratio numeri, vel ex numero mensium, vel propter tres Ordines sacros, qui his temporibus conferuntur : quantum autem ad quadragesimale jejunium , ratio est secundùm Greg. quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, per cujus voluptates præceptis Dominicis detrahimus , quæ per Decalogum sunt accepta : unde dignum est , quod eandem carnem quater decies affligamus. Sed etiam dici potest, quod per hoc contendimus Deo

offerre

offerre decimas dierum, quatenus dum per trecentos & sexaginta dies annus dividitur, nos per trigintasex dies jejunabiles affligimur in Quadragesima, qui jejunabiles sunt in sex Quadragesimæ septimanis, quasi anni nostri decimas Deo dantes.

Vtrum requiratur ad jejunium, quod homo tantùm semel comedat. ℟. *Affirmativè*, non quidem taliter, quod nec etiam liceat pluries jejunantibus bibere; sed ita quod rationabiliter statutum sit, ut semel in die à jejunantibus comedatur. *Primum est*, quia cùm jejunium sit institutum ad concupiscentiam frenandam, ita tamen ut natura conservetur; & ad hoc sufficere videatur unica comestio, quâ scilicet homo & naturæ satisfacit, & concupiscentiis aliquid detrahit; ideo licèt taxari non debuerit quantitas cibi propter diversas corporum complexiones, benè tamen comestionum numerus. Cum quo tamen stat, quod quia electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen assumuntur principaliter, nisi ad digestionem ciborum, ideò nec soluunt jejunium; sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè quis in fraudem electuaria in magna quantitate sumeret per modum cibi. *Secundum est*, quia jejunium quod per quemlibet potum solvitur, est jejunium naturæ, quod ad Communionem requiritur; non autem jejunium jejunantis, qui quidem potum magis sumit ad alterationem corporis, & digestionem ciborum, quàm ad nutritionem, licèt aliquo modo nutriat; & ideo licet jejunantibus pluries bibere, ita tamen quod si quis immoderatè ART. 6.

biberet, posset peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si in una comestione cibum immoderatè sumat.

ART.7. *Vtrum hora nona convenienter taxetur ad comedendum his, qui jejunant.* ℟. *Affirmativè*, ita quod ut jejunans aliquã sentiat afflictionem pro culpæ satisfactione, rationabiliter ei taxetur hora nona, sed secundùm grossam æstimationem, non secundùm subtilem examinationem. *Primum est*, quia cùm hora sexta sit naturæ conveniens ad refectionem, quia tunc est completa digestio, & natura iterum indiget per potum juvari contra exteriorem aëris tempèriem, seu calorem, ne humores adurantur; ideò ut ad deletionem, & cohibitionem culpæ, ad quam ordinatur jejunium, fiat subtractio aliqua, & quidem moderata, ut scilicet aliquid addat supra communem consuetudinem, sed ita ut non multùm natura gravetur, rationabiliter deputata fuit hora nona, utpote cujus taxatio non potest multùm cuipiam nocere, cujuscumque conditionis sit, nisi fortasse aliquibus ob infirmitatem, vel ætatem, cum quibus esset dispensandum, ut horam aliquantulum prævenirent; & quidem quanvis in veteri Testamento jejunaretur usque ad noctem, utpote cujus status comparabatur nocti, cùm tamen in novo compararetur diei. *Secundum est*, quia cùm secundùm subtilem examinationem non possint omnes jejunantes horam nonam cognoscere; ideò nec sic taxari debet, sed sufficit, quod sit circa horam nonam: quod omnes facilè cognoscunt.

ART.8. *Vtrum convenienter jejunantibus interdicatur abstinentia à carnibus, ovis, & lactici-*

niis. ℟. *Affirmativè*, ita quod habeant hæc tria, unde maximè prohiberi debeant ad finem intentum jejunii; sed carnes principaliùs, quàm ova & lacticinia. *Primum est*, quia cùm jejunium sit institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ sunt delectabilium secundùm tactum, quæ consistunt in cibis & venereis; ideò & illos cibos debuit Ecclesia interdicere, quæ maximè delectationem habent, & ad venerea provocant: cujusmodi sunt animalium carnes in terra nascentium, & respirantium, necnon & ova, & lacticinia, utpote ex eis provenientia, & ideo ad actum generationis humorem maximè subministrantia; & quidem magis quàm usum vini, quanvis calorem subministrantis, cujus scilicet alteratio citò transit: vel etiam magis quàm usum piscium, esto quod in aliquibus sit magis delectabilis; Ecclesia siquidem jejunium instituens respicere debuit ad id quod communiùs accidit, non autem solùm in aliquibus. *Secundum est*, quia cùm ova & lacticinia interdicantur, in quantum sunt ex animalibus carnes habentibus; ideò interdicuntur quidem & ova, & lacticinia in quadragesimali jejunio, quia est aliis solennius; principaliùs tamen carnes, quàm ova est lacticinia.

IN QVÆSTIONEM CXLVIII.

De gula.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum gula sit peccatum. ℟. *Affirmativè*, non quòd peccatum gulæ sit quando exceditur in quantitate cibi, & æstimatur necessarium esse; sed quia hoc solùm ad gulam pertinet, quod quis propter concupiscentiam delectabilis cibi scienter

excedat mensuram in edendo. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm gula nominet appetitum edendi, & bibendi inordinatum, qui quidem dicitur inordinatus ex eo, quod recedit ab ordine rationis, in quo consistit bonum virtutis moralis; ideò cùm ex hoc aliquid peccatum sit, quia virtuti contrariatur, est consequenter gula peccatum, non quidem in excedendo in quantitate cibi, dum æstimatur id necessarium, cùm id potiùs pertineat ad imperitiam quandam; sed quia solùm ad gulam pertinet, quod quis ob cibi concupiscentiam scienter excedat in edendo. Vnde nec primus motus gulæ, ut importat inordinationem in appetitu sensitivo, est sine peccato, esto quod prout est in appetitu naturali, qui pertinet ad vires animæ vegetativæ, qui quidem rationi non subjicitur, non sit peccatum. Neque illud Scripturæ, Non quod intrat in os habet coinquinare hominem, aliter dicitur, quàm contra Iudæos existimantes aliquos cibos suâ naturâ immundos facere; proindeque nec inde colligitur, quin inordinata ciborũ concupiscentia sit peccatum.

ART. 2. *Vtrum gula sit peccatum mortale*. ℞. *Affirmativè*, non quidem in quantum importat inordinationem concupiscentiæ circa ea solùm, quæ sunt ad finem; sed quia talem potest importare inordinationem, quæ avertat à fine debito. *Primum est*, quia cùm sic tollatur ordo rationis quantum ad finem debitum, cùm homo inhæret delectationi ut fini, adeò ut paratus sit contra Dei præcepta agere, ut hujusmodi delectationes assequatur; ideò cùm accipiatur tunc inordinatio gulæ secundùm aversionem à

fine ultimo, eſt etiam tunc peccatum mortale, & quidem oppoſitum reductivè præcepto de ſanctificatione Sabbathi, in quo præcipitur quies in fine ultimo. Vnde & cõtrariatur etiam dilectioni Dei, utpote qui eſt ſuper omnia ut finis ultimus diligendus. *Secundum eſt*, quia tunc intelligitur inordinatio in vitio gulæ ſecundùm ea tantùm, quæ ſunt ad finem, quando ſcilicet homo nimis delectationes ciborum concupiſcit; non ita tamen ut aliquid faceret contra legem Dei, ideò nec eſt tunc niſi veniale: in quo quidem ſenſu intelligitur Aug. dum gulam inter peccata minuta reponit. Serm. 4. in die Animarum.

Vtrum gula ſit maximum peccatorum. ART. 3.
℞. *Negativè*, non quòd non habeat gula ex parte effectus conſequentis magnitudinem quandam; ſed ita quod & ex parte materiæ, in qua peccatur; & ex parte peccantis magis allevietur, quàm aggravetur. *Primum eſt*, quia cùm ex parte materiæ ſit in minimis, utpote pertinentibus ad ſuſtentationem corporis, non autem circa maxima, ut ſunt divina; nec intendat guloſus corpori ſuo nocere, quaſi ex hoc ſumenda ſit gravitas gulæ, ſed ſolùm in cibo delectari; ideò nec eſt ex materia peccatum maximum, ſed minùs grave; ſed nec ex parte peccantis, cùm ſic potiùs allevietur peccatum gulæ, quàm aggravetur, tum ob neceſſitatem ſumendi cibos, tum ob difficultatem diſcernendi & moderandi id quod in talibus convenit. Vnde & graviſſimæ pœnæ, quæ videntur inflictæ ob vitium gulæ, magis ad ea referuntur vitia, quæ ſunt conſequuta ex gula, & ad gulæ radicem, quàm ad ipſam gulam; adeò ut ejectus ſit

Adam à paradiso ob superbiam, ex qua processit ad peccatum gulæ; & diluvium, ac pœna Sodomorum inducta sint propter luxuriam ex gula occasionatam. *Secundum est*, quia cùm ex vitio gulæ diversa occasionentur peccata, ideò & habet ex parte effectus magnitudinem quandam; ita tamen, quod non propterea sit aliis peccatis potior, utpote cùm sit causa solùm per accidens, & occasio.

ART. 4. *Vtrum convenienter distinguantur species gulæ secundùm has quinque circumstantias, Præpoperè, Lautè, Nimis, Ardenter, Studiosè.*

℞. *Affirmativè*, non quidem ex eo præcisè quod circumstantiæ sunt, sed quia tales sunt circumstantiæ, quæ ex diversis motivis procedant. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm possit inordinatio concupiscentiæ attendi in edendo, vel quantum ad cibum, vel quãtum ad cibi sumptionem; & circa primũ vel fit in substantia cibi, quærendo scilicet cibos lautos, seu pretiosos; vel in qualitate, quærendo studiosè præparatos; vel in quãtitate, nimis edendo: circa autem sumptionẽ cibi, vel præveniendo tempus comedendi, quod est præpoperè; vel non servando modũ debitum in edendo, quod est ardenter; ideò & his quinque circumstantiis distinguuntur sufficienter species gulæ, non quidem præcisè ut circumstantiæ sunt, utpote accidentia actuum, aliàs etiam secundùm circumstantiam loci alia distingueretur species; sed propter diversa motiva, ex quibus procedunt, quatenus in eo qui quærit lautos cibos, excitatur concupiscentia ex ipsa specie cibi; in eo verò qui tempus prævenit, deordinatur ex impatientia moræ.

Vtrum gula sit vitium capitale. ℞. *Affirmativè*, non ex eo quidem, quod principalitatem habeat in ratione gravitatis, sed quia ex eo alia oriuntur vitia in ratione causæ finalis. *Primum est*, quia cùm ex eo ita finaliter oriantur vitia, quod habet finem multùm appetibilem, ex quo quidem homines multipliciter provocantur ad peccandum; & gula, cùm sit circa delectationes tactus, quæ præcipuæ sunt inter alias, sit hujusmodi, utpote cùm ex eo finis aliquis sit appetibilis, quod habet aliquas ex conditionibus felicitatis, qualis quidem est delectatio; ideò fit quod ex gula alia oriantur vitia secundùm rationem causæ finalis; & quidem quanvis ordinetur cibus ad conservationem vitæ, velut ad finem, quandoquidem & hic finis est maximè appetibilis, nec tamen sine cibo haberi potest, ac proinde est adhuc cibus maximè appetibilis. Cum quo tamen stat, quod quanvis in delectabilibus duo sic ponantur capitalia vitia, scilicet gula & luxuria; in utilibus tamen non nisi unum ponatur capitale vitium, scilicet avaritia, utpote cùm in eis non videatur esse, nisi una ratio appetibilis. Art. 5.

Vtrum convenienter assignentur gulæ quinque filia, scilicet inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis. ℞. *Affirmativè*, ita quod quæ consequuntur vitia ex immoderata delectatione cibi, & potus, nec plura sint, nec pauciora quàm quinque præfata; si tamen sumatur ibi lætitia, non prout est de actu peccati, sed pro vaga & incomposita, & hebetudo sensus circa speculabilia, non circa eligibilia. *Primum est*, quia quæ ex ista Art. 6.

delectatione consequuntur vitia, vel accipiuntur ex parte animæ, & hæc quatuor modis, 1. quantum ad rationem, cujus acies hebetatur ex multo cibo & potu, & sic ponitur hebetudo sensus circa intelligentiam, quæ quidem oritur ex ciborum fumositatibus perturbantibus caput; 2. quantum ad appetitum, qui per hanc immoderantiam deordinatur, & sic inepta lætitia; 3. quantum ad inordinatum verbum, & sic multiloquium; 4. quantum ad inordinatum actum, & sic scurrilitas; quæ tamen quia nedum ex actu gulæ oritur, sed etiam ex voluntate luxuriæ, potest etiam ad luxuriam pertinere, ut ponit Isidorus: vel accipiuntur ex parte corporis, & sic ponitur immunditia, quæ quidem attenditur secundùm inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum, & maximè seminis; vomitus namque licèt utilis sit post superfluam comestionem; vitiosum tamen est, quod aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam cibi, vel potus. *Secundum est*, quia lætitia, non vaga & incomposita, sed quæ est de actu vel fine peccati, consequitur omne peccatum. Sicut & in omni invenitur peccato hebetudo sensus, quæ est non circa speculabilia, sed circa eligibilia.

IN QVÆSTIONEM CXLIX.

De sobrietate.

ARTICVLVS PRIMVS. Vtrũ materia sobrietatis sit potus. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit in quacumque materia dici sobrietas, si nomen sumatur communiter; sed ita quod specialiter sit circa potum, qui scilicet sua fumositate natus est caput conturbare. *Primum est*, quia cùm virtutes, quæ ab aliqua gene-

rali conditione virtutis nominantur, illam sibi specialiter materiam vindicent, in qua difficillimum & optimum est conditionem ejus servare; & sobrietas, cujus quidem nomen à mensura sumitur, sit hujusmodi: ideo & hanc materiam sibi specialiter adscribit, in qua maximè laudabile est medium & mensuram servare, cujusmodi est potus inebriare valens, utpote cujus usus immoderatus usum impedit rationis. Vnde non nisi metaphoricè dicitur in Scriptura ebrietas circa contemplationem sapientiæ. *Secundum est*, quia cùm in omnibus requiratur mensura, quæ explicatur nomine sobrietatis, eoque communiter sumpto significetur temperantia, prout in omnibus necessarium est adhibere mensuram; ideò & potest sumpta communiter dici in quacumque materia, quanvis quia excessus modicus in potu plus nocet, quàm in aliis, ideò sobrietas specialiter sit circa potum.

Vtrum sobrietas sit specialis virtus. Rt. *Affirmativè*, non quòd non possit esse una communis virtus circa cibum, & potum; sed ita quod circa potum, prout inebriare valentem, specialis requiratur virtus. *Primum est*, quia cùm ubi invenitur speciale impedimentum rationis, specialis tunc requiratur virtus ad illud removendum; & potus inebrians specialem habeat rationem impediendi rationis usum, prout conturbat cerebrum sua fumositate: ideò & ad hoc removendum requiritur specialis virtus, quæ est sobrietas. Ita tamen quod hæc non attendatur secundùm rationem nutritionis, cùm non sit abstinentia circa cibos & potus, prout sunt nutritiva, sed ut impe- ART. 2.

diunt rationem; sed nec propter potuum diversitatem diversificetur specialis hæc virtus, utpote cùm una sit ratio in omnibus impediendi rationis usum. *Secundum est*, quia cùm cibus, & potus communiter impedire possint rationis bonum, absorbendo eam per immoderantiam delectationis; ideò & potest sub hac communi ratione esse circa illos communis virtus, scilicet abstinentia.

ART. 3. *Vtrum usus vini totaliter sit illicitus.* ℞. *Negativè*, non quòd non possit reddi per accidens illicitus, sed ita quod talis non sit, per se loquendo. *Primum est*, quia cùm nullus cibus, vel potus ex se sit illicitus, di-
Matt. 15. cente Domino, Non quod intrat in os, hoc conquinat, &c. ideò nec est secundùm se illicitus usus vini. Vnde nec ad sapientiam acquirendam secundùm modum communem requiritur, ut quis à vino omninò abstineat, sed quod moderatè utatur; nec dixit simpliciter Apostolus, bonum esse abstinere à vino, sed cùm frater scandalizatur; sed neque Christus à vino aliquos retrahit, nisi propter perfectionis studium, sicut à divitiis; non autem quòd usus vini sit ex se illicitus. *Secundum est*, quia potest fieri usus vini illicitus, vel ex conditione bibentis, qui à vino facilè læditur; vel ex voto, quo quis obligatur ad non bibendum vinum; vel ex parte modi, quia mensura exceditur; vel quia ex hoc aliqui scandalizantur.

ART. 4. *Vtrum sobrietas magis requiratur in maioribus personis.* ℞. *Affirmativè*, non quidem secundùm habitudinem ad vitia, quæ excludit, aut concupiscentias quas refrenat; sed

ſecundùm habitudinem ad propriam perſonarum operationem. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm in juvenibus ſit major concupiſcentia propter fervorem ætatis, & in mulieribus minùs de mentis robore ad cõcupiſcentiis reſiſtendum; ideò comparata ſobrietas & ad vitia contraria, & ad concupiſcentias, quas refrenat, magis eſt neceſſaria juvenibus, necnon mulieribus, quæ propterea antiquitus non bibebant vinum apud Romanos: ſed quia comparativè ad finem, ſeu propriam operationem, ad quam perducit, vigorem ſcilicet rationis, debet ratio vigere ſpecialiter in ſenibus, ad aliorum inſtructionem; & in Epiſcopis, & omnibus Eccleſiæ Miniſtris, qui quidem mente devota debent ſpiritualibus inſiſtere; & Regibus ob gubernationem ſubditorum: ideò ſecundùm hanc habitudinem magis in majoribus perſonis requiritur. Val. Maxim. lib. 2. cap. 1.

IN QVÆSTIONEM CL.

De ebrietate.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum ebrietas ſit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ut ſignificat defectum illum, qui ex multo vino potato accidit homini; ſed prout actum nominat, quo quis ex inordinata concupiſcentia in hunc defectum incidit. *Primum eſt*, quia quanvis actus ille qui ebrietatem cauſat ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis, non ſit peccatum, præſertim ſi non ex negligentia contingat, quo modo creditur fuiſſe Noë inebriatum, unde & excuſatur à peccato qui aliquem invitat ad bibendum, ſi ignoret fore, ut ex hoc potu inebrietur; quia tamen ubi ebrietatem cauſat ex inordinata concupiſcentia continetur

sub gula, tanquam sub genere; ideò & tunc
Rom. 13. peccatum est, & hanc prohibet Apost. nec est prætermittenda correctio ebrietatis, ex Gregor. nisi cùm timetur, ne peccator deterior fiat, non autem ex eo, quod non sit peccatum. Cùm quo tamen stat, quod quia insensibilitas, & ejus species, quæ temperantiæ & ejus speciebus opponuntur, innominatæ sunt, utpote quæ rarò contingunt, ita & sit innominatum vitium, quod ebrietati opponitur, quanvis de facto admittendum sit, in eo scilicet, qui scienter à vino in tantum abstineret, ut naturam multùm gravaret. *Secundum est*, quia prout significat ebrietas defectum illum, ex quo scilicet fit, ut non sit homo rationis compos, tam culpam, quàm defectum pœnalem ex culpa pendentem nominat.

ART. 2. *Utrum ebrietas sit peccatum mortale.* ℟. *Affirmativè*, non quòd omnis inebrians potus mortalis sit, sed ita quod sumptus in quantum propriè ebrium nominat, sive secundùm id quod per se competit ebrietati, sit peccatum mortale. *Primum est*, quia cùm propriè solùm dicatur ebrius, qui quanvis advertat potum inebriare valentem, vult tamen magis ebrietatem incurrere, utpote quia moralia speciem recipiunt, non ab eis quæ per accidens eveniunt præter intentionem, sed ab eo quod est per se intentum; ideò cùm hoc mortale sit, quandoquidem tunc homo volens & sciens privat se usu rationis, quo secundùm virtutem operatur, & peccata declinat, propterea fit quod sit ebrietas propriè & per se loquendo peccatum mortale, utpote quâ nos voluntariè committimus periculo peccandi, juxta illud

Ambr. Vitandam dicimus ebrietatem, per quam vitia cavere non possumus. Vnde non ideo assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, ut ait Aug. propter solam iterationem actus; sed quia non potest esse, si homo assiduè inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat: neque ideo mortalis, quia solùm plus potus sumitur, quàm sit necesse, quod ad gulam pertinet, quæ non semper est mortalis; sed quia scienter plus potus usque ad ebrietatem sumitur: quod quidem excusari non potest, etiam quanvis de consilio medici ad vomitum provocandum id fieret, utpote quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat. *Secundum est*, quia potest potus esse inebrians, nesciente aliquo esse immoderatum, quod esse potest sine peccato; vel non æstimante illum inebriare potentem, quod potest esse cum peccato veniali. Lib. 1. de Abrahã, cap. 6.

Vtrum ebrietas sit gravissimum peccatorum. ℞. *Negativè*, ita quod peccata, quæ sunt directè contra Deum, sint graviora ebrietate, esto quod habeat ebrietas unde maximè dicatur diabolo amica. *Primum est*, quia cùm dicatur aliquid esse malum, quia privat bono, adeò ut quanto majus est bonum quod tollitur, tanto gravius sit malum; ideò cùm bonum divinum sit majus, quàm bonum humanum, sunt etiam peccata quæ sunt directè contra Deum graviora ebrietate, quæ solùm directè opponitur bono rationis; & hoc maximè, quia bonum rationis non impedit, nisi quia impedit usum rationis; cùm tamen alia illud impediant per id quod est contrarium rationi, quod gravius est. Vnde nec servitus, quæ ART. 3.

est pœna maxima, fuit directè pœna ebrietatis, sed inde solùm occasionaliter consequuta, in quantum Cham maledictionem servitutis accepit, quòd irrisit patrem inebriatum. *Secundum est*; quia cùm ad peccata intemperantiæ habeat homo maximè pronitatem, ideò & secundùm hoc dici potest ebrietas, sicut & lascivia, ut dicit Chrysost. maximè amica diabolo, non quia gravior, sed quia aliis frequentior.

Hom. 71. ad pop. Antioc.

ART. 4. *Vtrum ebrietas excuset à peccato*. ℞. *Affirmativè*, non quòd semper excuset, saltem totaliter, ex parte actus præcedentis; sed ita quod excuset ex parte defectus consequentis, & minuat ex parte præcedentis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ex parte defectus consequentis (ex quo quidem ligat totaliter ebrietas rationis usum, ad differentiam concupiscentiæ) habeat causare involuntarium per ignorantiam, ideò & habet excusare: unde non dixit Arist. mereri ebrium duplices maledictiones, nisi ex sententia Pittaci, qui ut dicitur in 2. Polit. statuit propter utilitatem, quod ebrii, si percuterent, plus punirentur quàm sobrii, quia plures injuriantur: quia verò ex parte actus præcedentis, sicut potest ebrietas fuisse subsequuta sine peccato, sicut fortè accidit in Loth, in quo casu totaliter excusat, sic & potuit culpaliter sequi; ideo nec tunc totaliter excusat à peccato sequenti, utpote quod voluntarium est ex voluntate præcedentis actus; sed habet solùm minuere, sicut & minuitur ratio voluntarii.

IN QVÆSTIONEM CLI.

De castitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum castitas sit virtus*. ℞. *Affirmativè*, non quòd non habeat etiam unde

connumeretur inter fructus; sed ita quod rationem habeat virtutis, in quantum est secundùm rationem operans. *Primum est*, quia ex hoc sumitur castitatis nomen, quod per rationem concupiscentia castigatur, in quo quidem consistit ratio virtutis humanæ, ut scilicet sit aliquid secundùm rationem modificatum. Vnde & est castitas subjectivè in anima, esto quod materiam habeat in corpore, in quantum ad eam pertinet, ut pro judicio rationis moderatè quisque utatur corporis membris; & est habitus voluntarius, sicut aliæ virtutes, adeò ut nec per violentiam auferatur, utpote cùm proposito animi sanctificetur corpus, cujus quidem sanctitatem perseverantia continentiæ conservat. Cum quo tamen stat, quod in infidelibus nec castitas, nec alia vera virtus sit, utpote in quibus ad debitum finem non referuntur; cùm tamen finibus, non actibus discernantur virtutes à vitiis, ut dicit Aug. *Secundū est*, quia & habet castitas delectationem in suo actu, ex qua quidē habet connumerari inter fructus. Lib. 4. contra Iul. c. 3.

Vtrum castitas sit virtus generalis. ℞. *Negativè*, non quòd non possit dici generalis virtus, si metaphoricè sumatur; sed ita quod propriè sumpta sit virtus specialis. *Primum est*, quia habet castitas propriè dicta specialem materiam, scilicet concupiscentiam delectabilium, quæ sunt in venereis, cui opponitur luxuria; esto quod castigatio cujuslibet motus appetitivæ partis antonomasticè dicatur castitas. *Secundum est*, quia castitas metaphoricè accepta, cùm sic dicatur quando mens hominis delectatur in spirituali conjunctione cum Deo, & ART. 2.

abstinet se, ne delectabiliter aliis conjungatur contra debitum divini ordinis, juxta illud, Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo; ideò cùm hoc pertineat ad quamlibet virtutem, est etiam castitas sic accepta, seu spiritualiter dicta, virtus generalis; sicut & ad quodvis peccati genus reducitur fornicatio spiritualis, quâ scilicet mens delectabiliter conjungitur quibuscumque aliis rebus contra divinum ordinem.

ART. 3. *Vtrum castitas sit virtus distincta ab abstinentia.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non sint unius, atque ejusdem sensus; sed quia est cum hoc diversa ratio utendi cibis, & venereis; unde oportet diversas esse virtutes. *Primum est*, quia cùm temperantia sit propriè circa concupiscentias delectationum tactus, ac proinde oporteat, ut ubi sunt diversæ rationes delectationis, ibi sint diversæ virtutes sub temperantia comprehensæ; ideò cùm alia sit ratio delectationis, alia in castitate, utpote cùm delectationes proportionentur operationibus, quarum sunt perfectiones; & alterius generis sint operationes pertinentes ad usum ciborum, quibus individuum conservatur, & operationes venereorum, quibus conservatur species; nec nisi aliqualiter ordinentur delectationes ciborum ad delectationes venereorum, sed per se ordinentur ad vitam conservandam; propterea fit, quod ex diversa illa ratione delectationis, operationis, & usus in cibis & venereis, diversæ etiam sint virtutes. Et hoc maximè, quia delectationes venereæ, utpote vehementiores, & magis rationem opprimentes, quàm delecta-

tiones ciborum, magis etiam indigent castigatione, quod quidem ad castitatem pertinet. *Secundum est*, quia licèt quantum ad usum tangibilium alia sit ratio utendi cibis, & venereis; nihilominus quantum ad ipsum judicium sensus de tangibilibus, illud est ejusdem rationis in omnibus.

Vtrum pudicitia pertineat specialiter ad castitatem. ℞. *Affirmativè*, non quidem quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam. **ART. 4.** *Ratio utriusque partis est*, quia cùm nomen pudicitiæ à pudore sumatur, in quo verecundia significatur, proindeque & oporteat, ut pudicia sit propriè circa ea de quibus homines maximè verecundantur, scilicet de actibus venereis, de quibus in tantum homo verecundatur propter absorptam rationem, & defectum imperii super genitalia membra, ut nec concubitus conjugalis verecundiâ careat; ideò & specialiter pertinet pudicia ad castitatem. Quanvis enim omnia vitia habeant turpitudinem, de qua est verecundia; magis tamen vitia intemperantiæ, inter quæ maximè sunt exprobrabilia peccata venerea, quòd ratio ab his maximè absorbeatur, sicque ad castitatem potiùs pertinet pudicitia; non tamen sicut distincta virtus, etsi virtutem nominet Aug. eam scilicet accipiens pro castitate; sed sicut castitatis circumstantia quædam, quatenus scilicet est circa signa exteriora, quæ magis deprehenduntur in venereis, ut circa oscula, tactus, aspectus; cùm tamen castitas sit magis circa ipsam corporum commistionem.

IN QVÆSTIONEM CLII.

De virginitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *virginitas consistat in integritate carnis.* ℟. *Negativè*, ita quod ipsa integritas corporalis mẽbri per accidens solùm se habeat ad virginitatem, nec nisi in ipso mentis proposito perpetuò abstinendi à delectatione venerea consistat formaliter, & completivè virginitas. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm virginitas videatur dicta à virore, adeò ut sicut id dicitur virens, quod est à caloris adustione immune; sic & importet virginitas, ut persona cui inest, sit immunis à concupiscentiæ adustione, seu à delectatione venereorum; ideò sicut in delectatione venereorum possunt hæc tria considerari, tum ex parte corporis violatio signaculi virginalis; tum ex parte corporis & animæ resolutio seminis, quæ delectationem sensibilem causat; tum etiam ex parte solius animæ propositum ad hanc delectationem perveniendi: sic & in virginitate considerari possunt & integritas carnis, & immunitas à delectatione ex effusione seminis, & propositum abstinendi à delectatione venereorum; ita tamen, quod quia non per se spectatur actus moralis, nisi secundùm ea, quæ sunt animæ; ideo nec nisi per accidens se habeat carnis integritas ad virginitatem, adeò ut si contingat, ut membri integritas corrumpatur, salvo voluntatis proposito, non magis præjudicet virginitati, quàm si corrumperetur pes, vel manus. Quia verò sensibiles passiones sunt materia moralium actuum, ideò & materialiter se habeat ad virginitatem immunitas à præfata delectatione: sicut & pudicitia, quæ

essentialiter est in anima, est materialiter in corpore. Sed quia ratio formalis moralium in eo quod est rationis completur, ideò & formaliter, & completivè consistit virginitas in ipso rationis proposito perpetuò abstinendi à delectatione venereorum, adeò ut si præter mentis propositum adsit ex seminis resolutione delectatio, ut in dormientibus, vel per violentiam, minimè amittatur virginitas. Vnde cùm ait Aug. quod est virginitas in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, tangit in recto quod est formale, intelligendo scilicet per meditationem propositum, quam dicit perpetuam, quia in proposito perseverare debet: materiale verò in obliquo significat, cum dicit, incorruptionis, &c. Lib. de virg. c. 13.

Vtrum virginitas sit illicita. ℟. *Negativè*, non quòd licitum sit delectationes secundùm se abhorrere; sed ita quod vitiosum non sit, sed laudabile à venerea delectatione abstinere, sicut ab ea abstinet virginitas. *Primum est*, quia cùm laudabile sit quiquid pertinet ad rectitudinem rationis; & postulet recta ratio, ut homò utatur mediis secundùm rationem finis, proindeque & bonis exterioribus & bona corporis, ad quæ referuntur; ad istis ad bona animæ, inter quæ potior est vita contemplativa; ideo ut est laudabile ab externis abstinere bonis ob contemplationem, ita & ob eandem causam laudabile erit à delectationibus corporis abstinere, quod præcipuè præstat virginitas, quæ ab omni abstinet delectatione venerea, ut divinæ vacet contemplationi, juxta illud Apost. Mulier innupta, & virgo cogitat quæ domini sunt, &c. Vnde nec pu- ART. 2.

niebātur apud antiquos qui cœlibem vitam ducebant, ut refert Valer. Maximus, nisi quia apud eos rari erant, qui amore veritatis contemplandæ ab omni delectatione venerea abstinerent. Sed nec præceptum
Genef. illud de generatione, *Crescite, &c.* transgrediuntur, utpote quod respicit multitudinem, seu non nisi à multitudine implendum est: ad quod quidem non tenetur quivis de multitudine, utpote in qua necesse est, quod dum unus unum, alius aliud faciat, sive ut multiplicetur non solùm corporaliter, sed etiam ut proficiat spiritualiter. *Secundum est*, quia qui ab omnibus delectationibus abstinet; quasi delectationes secundùm se abhorrens, est ut inquit Arist. insensibilis sicut agrestis. Vnde nec ab omni abstinet virgo delectatione, sed à venerea, & hoc secundùm rectam rationem, quo fit ut non excedat medium virtutis.

ART. 3. *Vtrum virginitas sit virtus.* ℞. *Affirmativè*, ita quod specialiter se habeat ad castitatem, sicut magnificentia ad liberalitatem; quanvis nec conjugalis castitas, imò neque viduitas, sit specialis virtus. *Primum est*, quia cùm ibi inveniatur specialis virtus, ubi est specialis materia boni specialem habens excellentiam, ut patet in magnificentia, quæ est circa magnos sumptus; & habere propositum se conservandi immunem ab omni experimento venereæ delectationis, quod pertinet ad virginitatem, quandam habeat excellentiam laudis supra hoc quod est se conservare immunem ab inordinatione venereæ voluptatis; ideò & est virginitas specialis virtus, prout tamen importat propositum voto firmatum inte-

gritatis perperuò servandæ, ut ait Aug. quo fit ut non nisi per peccatum amittatur, nec habeant homines à nativitate virginitatem, esto quod habeant materiale, quandoquidem nondum habent formale, id est propositum servandi propter Deum virginitatem. Vnde & potest virginitas recuperari, recuperando scilicet propositum; cùm virtus recuperetur per pœnitentiam quantum ad formale, non quantum ad materiale; & potest conjugatus, cui deest materia virginitatis, adhuc eam habere in præparatione & proposito animi, & quidem etiam ex connexione cum aliis virtutibus, cùm connexio virtutum accipiatur non secundùm materiale, utpote cùm alicui virtuoso possit suppetere materia unius virtutis, & non alterius; sed secundùm formale. *Secundum est*, quia nec conjugalis castitas, cùm solùm abstineat ab illicitis, aliquam habet excellentiam supra communem castitatem; nec pervenit viduitas ad id quod est perfectum in materia ista, scilicet ad omnimodam immunitatem venereæ voluptatis; sed sola virginitas. Lib. de virg. cap. 10.

Vtrum virginitas sit excellentior matrimonio. ℟. *Affirmativè*, non quòd non possit conjugatus melior esse quàm virgo; sed ita quod ex genere actus præferenda sit virginitas continentiæ conjugali. *Primum est*, quia cùm bonum divinum sit potius humano, & bonum animæ præferatur bono corporis, & bonum contemplativæ vitæ bono activæ; & ordinetur virginitas ad bonum animæ secundùm vitam contemplativam, cujus scilicet est cogitare quæ sunt Dei; cùm tamen conjugium ordinetur ad bonum ART. 4.

corporis, seu ad humani generis multiplicationem, pertineatque ad vitam activam; ideò & est virginitas ex suo genere melior, sicut & potest privatum bonum esse ex suo genere melius communi, esto quod commune sit potius bono privato, si sint ejusdem generis. Vnde & eam docuit Christus exemplo, dum matrem elegit virginem, & ipse virginitatem servavit, eamque consu-
1. Cor. 7. luit Apost. tanquam majus bonum. *Secundum est*, quia fieri potest, ut habeat conjugatus magis paratum animum ad virginitatem servandam, si oporteret, quàm qui actu est virgo, in quo casu majus habet & meritum, quod non tam pensatur ex actu, quàm ex animo. Vnde & meritum continentiæ conjugalis in Abraham æquatur ex Aug. merito continentiæ virginalis in Ioanne, quantum scilicet ad præmium, non accidentale, sed substantiale, propterea quod habebat Abraham animum sic dispositum, ut esset paratus virginitatem servare, si tempori congruum fuisset.

ART. 5. *Vtrum virginitas sit maxima virtutum.*

℟. *Negativè*, non quòd non sit in genere castitatis excellentissima, sed ita quod non sit simpliciter, sive in omni genere omnium maxima. *Primum est*, quia cùm finis excellat id quod est ad finem, sitque aliquid tanto melius, quanto efficaciùs ordinatur ad finem: finis autem, ex quo laudatur virginitas, sit vacare rebus divinis; ideò & ipsæ virtutes theologicæ, & religionis virtus, quarum quidem actus sunt circa divina, præferri debent virginitati; sed insuper & martyrium, & vita monastica, utpote cùm vehementiùs ad hoc operentur Mar-

tyres, ut inhæreant Deo, quatenus ad hoc postponunt propriam vitam: tum etiam viventes in monasterio, qui quidem postponunt propriam voluntatem, & omnia bona; cùm tamen virgines postponant tantùm veneream voluptatem. Vnde sequuntur quidem virgines agnum, quia imitantur Christum, non solùm in integritate mentis, sed etiam carnis; non tamen magis in propinquo, cùm faciant aliæ virtutes propinquiùs inhærere Deo. *Secundum est*, quia in genere castitatis transcendit virginitas castitatem & conjugalem, & vidualem, ut dictum fuit, & ut docet Ambr. in quo quidem sensu attribuitur fructus centesimus virginitati propter excellentiam, quam habet ad viduitatem, cui sexagesimus, & ad matrimonium, cui trigesimus tribuitur; & in hoc eodem sensu intelligendus est Cypr. dum ait, virgines esse illustriorem portionem gregis Christi, & earum sublimiorem esse gloriam, comparativè scilicet ad viduas, & conjugatas.

Lib. de virg.

IN QVÆSTIONEM CLIII.

De vitio luxuriæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum materia luxuriæ sint solùm concupiscentiæ, & delectationes venereæ. ℞. *Affirmativè*, non quòd non dicatur luxuria secundariò in quibuscumque aliis ad excessum pertinentibus, sed ita quod sit principaliter in voluptatibus venereis. *Ratio utriusque partis est*, quia luxuriosus dicitur ex Isid. quasi solutus in voluptates; quæ solutio aliis quidem secundariò competit ad excessum pertinentibus, sicut & temperantia ad alias etiam delectationes, quàm tactus, se extendit secũdariò; sed ma-

Lib. 10. Etym. cap. 11.

ximè, & principaliter venereis voluptatibus, quæ maximè animum resolvunt, sicut & libidinosa voluptas, quæ etsi in aliis materiis dicatur, propriè tamen sic nominat delectationes venereas, ut dicit Aug. unde dicitur vinum luxuriosum, prout scilicet ejus usus incentivum voluptati venereæ præbet.

Art. 2. *Vtrum aliquis actus venereus possit esse sine peccato.* ℞. *Affirmativè*, non quòd sit semper in eo pœnale quid à peccato derivatum, sed ita quod si fiat debito modo & ordine, non sit semper peccatum. *Primum est*, quia cùm non sit peccatum, si quis per rationem utatur rebus aliquibus ad finem ad quem sunt, modo & ordine convenienti; modò finis sit aliquid verè bonum, utpote cùm peccatum sit contra rationem; sitque quoddam excellens bonum, quod conservetur natura speciei, sicut est verè bonum, quod conservetur natura unius individui: ideò sicut usus ciborum ad conservandum individuum potest esse absque peccato, si adsit modus, & ordo; sic & usus venereorum, quæ quidem ordinantur ad conservationem speciei, ut notat Aug. & quidem quanvis usus fœminæ dejiciat animum, ut idem docet Aug. à virtutis perfectione, utpote cùm virtus, licèt quantum ad communem virtutis statum non impediatur nisi per peccatum, possit tamen quantum ad perfectum etiam per id impediri, quod non est peccatum. Vnde nec contrariatur medio virtutis abundantia actus venerei secundùm rationem ordinati, cùm id non attendatur secundùm quantitatem, sed secundùm quod convenit rationi rectæ; nec ad

Lib. de bon. cōjug. c. 16. Lib. 1. soliloq. cap. 10.

virtutem pertineat quantum ſenſus exterior delectetur, ſed potiùs quantum interior ſenſus afficiatur. *Secundum eſt*, quia cùm ex concupiſcentia carnis, tanquam ex filia peccati naſcatur proles originali obligata peccato, ideò & eſt ſemper in actu venereo concupiſcentiæ pœnale quid à peccato primo derivatum.

Vtrum luxuria, quæ eſt circa actus venereos ſit peccatum. ℞. *Affirmativè*, & quidem tum comparativè ad rationem, cujus ordinem prætermittit; tum comparativè ad Deum, cui injuriam facit. *Primum eſt*, quia cùm uſus venereorum, ſive ſeminis, quanvis ſit ſuperfluum alimenti, ſive reſiduum virtutis nutrivæ, ſit valde neceſſarius ad bonum commune, ſeu conſervationem humani generis, ad differentiam aliarum ſuperfluitatum; proindeque magis attendi debeat circa hoc rationis ordo, contra quē ſi quid fiat, magis vitioſum erit; ideò cùm ad rationem luxuriæ pertineat ut ordinem & modum excedat circa venerea, eſt etiam luxuria vitioſum quid ex comparatione ad rationem; cujus quidem oppoſitum vitium, quod ſcilicet in eo eſt, qui ita deteſtatur mulierum uſum, quod etiam uxori debitum non reddit, continetur ſub inſenſibilitate. *Secundum eſt*, quia cùm dicat Apoſtolus contra luxuriam loquens, Empti eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro; ideò & ex eo quod aliquis inordinatè ſuo corpore utitur per luxuriam, injuriam facit Deo, qui eſt principalis dominus corporis noſtri. ART. 3. 1. Cor. cap. 6.

Vtrum luxuria ſit vitium capitale. ℞. *Affirmativè*, non quòd non poſſit materialiter ART. 4.

causari ex gula, vel etiam ortum habere ex superbia; sed ita quod secundùm rationem causæ finalis sit aliorum vitiorum origo. *Primum est*, quia capitale vitium dicitur, quod habet finem maximè appetibilem, ita quod ejus appetitu procedat homo ad multa alia peccata: quod quidem luxuriæ convenit, cujus scilicet finis est delectatio venereorum, quæ est maxima, & maximè appetibilis, tum propter vehementiam delectationis, tum propter connaturalitatem concupiscentiæ. Vnde causat quidem luxuriam desperatio, ut dicit Apost. sed per accidens solùm, seu tanquam removens prohibens, spem scilicet æterni præmii, quâ quis abstinet à luxuria. *Secundum est*, quia cùm sit superbia omnium vitiorum communis mater, nec etiam inconvenit oriri vitium capitale luxuriæ ex superbia, ut docet Isid. sed neque materialiter ex gula, quatenus gula materiam immunditiæ ministrat, utpote cùm secundùm rationem finalis causæ, non materialis, attendatur origo vitiorum ex capitalibus.

Ephes.4.

Lib.2. cap 39.

ART.5. *Vtrum convenienter dicantur esse filia luxuria cacitas mentis, inconsideratio, pracipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus prasentis saculi, & horror futuri.*

℞. *Affirmativè*, non quòd nō alia sint quantum ad exteriores actus ortum habentia ex luxuria, sed ita quod quantum ad interiora vitia congruè & sufficienter annumerentur octo præfata. *Primum est*, quia cùm appetitus inferior concupiscibilis, sicut maximè afficitur per luxuriam ad suum objectum, propter scilicet vehementiam passionis, & delectationis; sic & maximè im-

pediat & deordinet superiores potentias, rationem & voluntatem in suis actibus; ideò cùm sint in agendis quatuor actus rationis: primus, simplex intelligentia, quâ aliquid apprehenditur ut finis & bonum, quem impedit cæcitas mentis: secundus, consilium, quem actum impedit præcipitatio: tertius, actus judicii, quem impedit inconsideratio: quartus, rationis præceptum in agendis, quod impedit inconstantia, non quidem ut opponitur constantiæ in arduis, quæ est pars fortitudinis, sed ut opponitur constantiæ habitæ in abstinendo, quæ quidem pertinet ad continentiam, seu partem temperantiæ; ideò, inquam, fit quod poni debeant ista quatuor filiæ luxuriæ ex parte rationis, & quidem quanvis maximè opponantur prudentiæ, utpote cùm sit luxuria præcipua pars intemperantiæ, quæ maximè corrumpit prudentiam: sed insuper ponenda sunt & alia quatuor ex parte voluntatis, cùm ex parte voluntatis duplex consurgat inordinatio ex luxuria: prima ratione appetitus finis, ob amorem sui ex delectatione quam inordinatè appetit, quo modo ponitur luxuriæ filia amor ille sui, & per oppositum odium Dei, ut delectationem prohibet; non quidem amor sui, quantum ad quæcumque bona, utpote qui commune est principium peccatorum; sed quantum ad hoc, quod quis delectabilia carnis appetit: tum inordinatio ratione appetitus eorum quæ sunt ad finem, ad quod quidem ponitur luxuriæ filia affectus præsentis sæculi, & per oppositum horror futuri. *Secundum est*, quia ex parte exteriorum actuum, præcipuè ad loquutionem

pertinentium, poteſt etiam eſſe aliquid ex luxuria inordinatum: tum propter materiam, quatenus cor turpibus concupiſcentiis plenum de facili ad turpia verba prorumpit, & ſic turpiloquia: tum ex cauſa, & ſic ſcurrilia, utpote inconſideratè dicta, quod etiam provenit ex luxuria, quæ inconſiderationem cauſat, ut dictum eſt: tum ex fine, & ſic ludicra, prout etiam verba ad delectationem ordinat luxurioſus: tum quantum ad ſententiam verborum, quam pervertit luxuria ob cæcitatem mentis, quam cauſat, & ſic ſtultiloquia.

IN QVÆSTIONEM CLIV.

De luxuriæ partibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *convenienter aſſignentur ſex luxuriæ ſpecies, fornicatio ſimplex, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & vitium contra naturam.* ℞. *Affirmativè*, non quòd ita ſpecie diverſa ſint, præcisè ex diverſitate materiæ; ſed quia diverſitas illa materiæ circa quam ſunt, habet diverſitatem formalem objecti. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſpecies peccati mortalis non ſumatur ex circumſtantia, ut hujuſmodi, ſed ex objecto, quod eſt materia; & hæc poſſit non convenire rationi, unde peccatum conſtituitur, vel quia habet repugnantiam ad finem venerei actus, quo impeditur generatio, & ſic vitium contra naturam, quod eſt in omni actu venereo, ex quo ſequi non poteſt generatio; vel quia impeditur debita prolis educatio, & ſic fornicatio ſimplex, ſive ſoluti cum ſoluta; vel per comparationem ad alios homines, & hoc vel ex parte fœminæ, cui commiſcetur, quia ei debitus honor non ſervatur, & ſic inceſtus,

qui consistit in abusu mulierum consanguinitate, vel affinitate conjunctarum; vel ex parte ejus, in cujus potestate est fœmina, & sic adulterium, si est in potestate viri, ad quod reducitur sacrilegium violationis mulieris, quæ Deo vovit continentiam, utpote quod est quoddam spirituale adulterium, sicut & ad alias luxuriæ species reducuntur alii sacrilegii modi, quodque sic continetur sub luxuria & injustitia, quia nihil prohibet in eodem actu diversorum vitiorum difformitates concurrere; stuprum autem, si est fœmina in potestate patris; & raptus, si violentia inferatur: ideò fit, convenienter has assignari & distingui luxuriæ species ex materia, non quidem ex eo præcisè, quia diversa, cùm materiæ diversitas ex se non diversificet species; sed ut habet annexam diversitatem formalem objecti, quæ quidem ibi sumitur secundùm diversos modos repugnantiæ ad rationem. Vnde & sub his comprehenditur immunditia, quâ scilicet intelligit Apost. luxuriam contra naturam; necnon impudicitia, quæ quidem pertinet ad quosdam actus venereorum, ut oscula, tactus, &c. imò & peccatum conjugati cum sua uxore, utpote cùm non sit secundùm indebitam materiam, sed secundùm alias circumstantias, quæ ex se non constituunt speciem moralis actus. 1. Cor. 12.

Vtrum fornicatio simplex sit peccatum mortale. ℞. *Affirmativè*, non quòd peccatum fuerit, vel esset iis, quibus præcepit, aut præciperet Deus fornicari; sed ita quod ex se, & absolutè vergat mortaliter in nocumentum ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus. *Primum est*, quia cùm ad educatio- ART. 2.

nem, & consequenter vitam hominis requiratur non solùm cura matris, sed multò magis patris, à quo est instruendus, defendendus, & in bonis promovendus; ideò fit, contra naturam hominis esse, quod utatur vago concubitu: quod etiam patet in aliis animalibus, inter quæ solùm est concubitus vagus, idest non ad certam fœminam, in quibus sola sufficit fœmina ad educationem fœtus, ut in canibus. Et quidem contra hominis naturam id est, quia in nocumentum vergit vitæ illius, qui est ex eo nasciturus, quod quidem est ex se mortale contrarians dilectioni proximi. Vnde cùm fornicatio simplex soluti cum soluta sit concubitus ita vagus præter rationem matrimonii, quod ita dicitur ex determinatione ad certam fœminam, consequenter fit, quod sit ex se, & absolutè peccatum mortale, contra jus naturale, & legem, quâ debuit determinari conjunctio maris & fœminæ, utpote ordinata ad bonum cõmune. Et quidem quanvis aliquis aliquam cognoscens fornicando, sufficienter provideat proli de educatione; quandoquidem quod sub legis determinatione cadit, judicatur secundùm id quod communiter accidit, non secundùm id quod in aliquo casu potest accidere. Vnde non ideò connumerat Paulus fornicationem aliis, quæ non sunt ex se mortalia, quasi non sit gravis culpa; sed quia erat de numero eorum, ex quibus poterat nasci dissidium inter Iudæos & gentiles, qui quidem putabant non esse peccatum, ut Iudæi: sed neque sequitur, quod si aliquis inordinatus cibus non est peccatum mortale, neque concubitus; utpote

Actor 15.

cùm ex uno concubitu possit homo generari,& ita sit ex se peccatum mortale,quia potest prolis bonum impedire; cùm è contra ex una inordinata comestione non impediatur bonum totius vitæ hominis. *Secundum est*, quia cùm fornicatio dicatur peccatum in quantum est contra rationem hominis rectam; ratio autem hominis recta sit secundùm quod regulatur voluntate divina, quæ est prima & summa regula: ideò quod homo facit ex Dei voluntate, etiam fornicando, ut fecit Osée, non est contra rationem rectam, quanvis videatur esse contra communem ordinem rationis. Vnde non peccavit Osée,sed nec Abraham, & Iacob dum ad ancillas accesserunt, utpote quorum non fuit fornicarius concubitus, ut dicetur: esto quod peccaverit Iudas accedendo ad Thamar; nec enim opus est eum excusare, qui etiam author fuit venditionis Ioseph.

Vtrum fornicatio sit gravissimum peccatum. ℟. *Negativè*, non quòd non gravius sit secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra exteriora hominis bona; sed ita quod minùs sit & homicidio,& peccatis quæ sunt directè contra Deum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm gravitas peccati penderetur ratione suæ speciei, quæ quidem consideratur secundùm bonum cui peccatum opponitur; ideò cùm sit fornicatio contra bonum hominis nascituri, est quidem gravior his, quæ sunt contra exteriora hominis bona,ut est furtum; sed quia vita hominis jam nati est majus quid,quàm bonum hominis nascituri, & bonum divinum quid majus bono speciei humanæ;ideo ART. 3.

& homicidium,& ea quæ sunt directè contra Deum, ut blasphemia, sunt secundùm se graviora fornicatione,quæ solùm impedit generationem singularem unius hominis nasciturI: nec est directè in Deum, seu contra membra Christi, quasi fornicator Dei offensam intendat;sed ex consequenti, sicut & omnia peccata mortalia. Vnde est quidem in fornicatione libido maxima,sed ea quæ consistit non in inclinatione voluntatis, sed in appetitu sensitivo, quæ cùm potiùs peccatum minuat quatenus tanto leuius est peccatum,quanto ex majori passione impulsus peccat; ideò & ex hoc levior est fornicatio, & quidem quanvis dicatur fornicator peccare in corpus suum, illud scilicet indebitè resolvendo & inquinando, utpote cùm ratio in homine prævaleat corpori,sicque sit aliud peccatum gravius, si magis repugnet rationi.

Art.4. *Vtrum in tactibus & osculis consistat peccatum mortale.* ℞. *Affirmativè*, non quòd mortalia sint secundùm speciem suam, sed ita quod ex sua causa, sive secundùm quod libidinosa, sint mortalia. *Primum est*, quia cùm consensus in delectatione peccati mortalis sit peccatum mortale, ut aliàs dictum est; sitque fornicatio, & multò magis aliæ species mortale peccatum: ideò fit quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, proindeque & oscula, & tactus, quæ propter hujusmodi delectationem fiunt; & quidem quanvis secundùm se non impediant bonum prolis educandæ,utpote quæ ex tali tunc libidine procedunt, quæ radix est hujusmodi impedimenti. *Secundum est*, quia possunt hæc

absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam; sicque cùm possint benè fieri, non sunt peccata ex sua specie: unde nec numerantur à Paulo inter peccata. Ad Eph. 5.

Vtrum pollutio nocturna sit peccatum. Art. 5.
℞. *Negativè*, ita scilicet quod ex se nunquam sit peccatum; sit tamen quandoque peccatum in sua causa, sive sequela peccati præcedentis. *Primum est*, quia cùm somnus, qui quidem impedit interiores vires propter vaporis turbulentiam magis vel minùs, ita impediat rationis usum, ut non possit esse liberum judicium, esto quod non ita impediat apprehensionem rationis, adeò ut possit homo aliquid dormiendo de novo apprehendere, vel revelatione divina, &c. ideò cùm omne peccatum, sicut & meritum dependeat ex judicio rationis, non potest nocturna pollutio esse ex se peccaminosa, sicut nec aliquid in somno eveniens esse in quantum tale meritorium, adeò ut nec Salomon dormiens meruerit sapientiam impetrare à Deo; sed solùm signum fuit præcedentis desiderii, propter quod dicitur, talem petitionem Deo placuisse. *Secundum est*, quia cùm causa pollutionis possit esse vel corporalis consistens in superfluitate humorum, ex qua causantur in dormiente phantasmata ad talium humorum expulsionem spectantia; vel animalis interior, ut cùm ex cogitatione præcedenti contingit aliquem pollui; vel sit causa spiritualis extrinseca, scilicet dæmonis operatio: ideò cùm hujusmodi causæ, sicut possunt esse quandoque absque culpa,

ſint etiam interdum ex vitio præcedenti, ut ſi corporalis cauſa ſit ex intemperantia, ſeu immoderantia cibi; ſi cogitatio præcedens non ſit purè ſpeculativa, ut accidit cùm quis de carnalibus actibus cogitat diſputationis gratiâ, ſed etiam cum affectione quadam concupiſcentiæ, vel etiam quando non ſe quis præparavit vigilans contra diaboli illuſiones: ideò fit, quod comparata nocturna pollutio ad ſuam cauſam, cujus ſequitur qualitatem, ſit quandoque culpabilis, ſive ſequela præcedentis peccati.

ART. 6. *Vtrum ſtuprum debeat poni una ſpecies luxuriæ.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & ex parte virginis quam deflorat, ſpecialem dicat deformitatem, ſive injuriam; & inſuper ex parte ipſius puellæ patris. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſtuprum, quod quidem importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, ex parte quidem puellæ, quæ violatur ſine pactione conjugali præcedente, ponat impedimentum ad legitimum matrimonium, necnon & eam ponat in via meretricandi, & inſuper injuriam faciat patri, utpote qui de ejus cuſtodia ſolicitudinem gerit, cùm virgo, etſi ſoluta ſit à matrimonii vinculo, non tamen ſit ſoluta à patris poteſtate; ideò non eſt ſtuprum ſimplex fornicatio, ſed ſpecialem dicit deformitatem, ſicut quævis determinata ſpecies vitii, & ex parte puellæ, & ex parte ipſius patris, eſto quod omne ſtuprum nominet Ambroſius adulterium, accipiens ſcilicet ſtuprum communiter pro omni concubitu viri cum alia quacumque muliere præter uxorem. Vnde nec prohibet, fieri unum peccatum ex ad-

Lib. 1. de Abrahã, cap. 4.

junctione alterius deformius, ut accidit in ſtupro, propter ſcilicet duplicem injuriam, unam ex parte virginis, quam quia ſeducit, licèt non vi corrumpat, tenetur ei ſatisfacere; & alteram ex parte patris, cui etiam tenetur ſatisfacere.

Vtrum raptus ſit ſpecies luxuriæ diſtincta à ſtupro. ℞. *Affirmativè*, non quòd plerumque non concurrat in idem cum ſtupro, ſed ita quod quandoque inveniatur raptus ſine ſtupro, ſicut & ſtuprum ſine raptu. *Primum eſt*, quia licèt per accidens ſe habeat violentia ad luxuriam, quia tamen illatio violentiæ præfati raptus videtur procedere ex magnitudine concupiſcentiæ; ideò & pertinet raptus ad determinatam ſpeciem luxuriæ, & quidem taliter diſtinctam à ſtupro, ut quandoque inveniatur raptus ſine ſtupro, putà ſi rapiat aliquis viduam, vel puellam corruptam, juxta illud Symmachi Papæ: Raptores viduarum, vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur. Tum etiam & ſtuprum quandoque ſine raptu, dum ſcilicet quis ſine violentiæ illatione virginem illicitè deflorat. Cum quo tamen ſtat, quod quia habet ſponſus ex deſponſatione jus aliquod in ſponſam, peccet quidem violentiam inferendo, violenter auferens è domo patris ſponſam, non tamen crimine raptus, ſed nec dirimat raptus matrimonium contractum, ita quod abrogatum ſit quod habetur in Concilio Meldenſi; impediat tamen contrahendum, adeò ut raptæ puellæ, ſi deſponſatæ, ſint priùs reſtituendæ ſponſis; ſi non, ſuis patribus, ex quorum voluntate poſſunt in matrimonium accipi; aliàs illicitum eſſet

ART. 7.

Epiſt. ad Cæſarium.

matrimonium, utpote cùm rapta sint priùs restituendæ. *Secundum est*, quia cùm quis violentiam infert ad deflorandam virginem, quæ quidem violentia interdum infertur virgini, & patri; & interdum patri tantùm, putà cùm virgo consentit, ut per vim abducatur, aut certè cùm violenter abducta consentit ut corrumpatur, tunc in idem concurrit raptus cum stupro, juxta
Lib. 5. Etym. c 26. illud Isidori: Qui raptu potitur, stupro fruitur.

ART. 8. *Vtrum adulterium sit determinata species luxuriæ ab aliis distincta.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit peccatum adulterantis rationem habere stupri, aut alterius speciei; sed ita quod secundùm quod sonat accessum ad alienum torum, specialem habeat deformitatem. *Primum est*, quia in hujusmoni adulterio præter peccatũ, quod incurritur per accessum ad mulierem non sibi matrimonio copulatam, quod quidem ad bonum requiritur propriæ prolis educandæ, est etiam deformitas in hoc, quod accedens ad mulierem alteri matrimonio copulatam, bonum impedit prolis alienæ; necnon & in hoc, quod matrimonio contrariatur violando ad quam tenentur conjuges matrimonii fidem. Quod quidem nedum de viro intelligendum venit, sed etiam de muliere conjugata, juxta illud Eccl. 23. Omnis mulier relinquens virum suum peccabit. Vnde & speciem constituit, & quidem etiam à stupro distinctam, utpote quod puellam respicit sub potestate patris, sed sicut per eum matrimonio copulandam, non autem sicut jam copulatam. *Se-*
Artic. 1. hujus q. *cundum est*, quia cùm species luxuriæ ac-

cipiantur secundùm diversas mulierũ conditiones, ut dictum est; ideò & potest peccatum adulterantis rationem habere stupri, vel aterius speciei, secundùm diversas conditiones mulierum, ad quas accedit, esto quod si denominetur ex parte viri, quia semper contra fidem matrimonii agit, semper etiam sit adulterium.

Vtrum incestus sit determinata species luxuriæ. ℞. *Affirmativè*, ita quod aliquid sit in commixtione personarum conjunctarum secundùm se indecens, & incongruum; quanvis non ita, quin secundùm legem & consuetudinem variari possit circa hoc indecentia. *Primum est*, tum quia naturaliter debet homo honorificentiam quandam parentibus, & consequenter consanguineis; cùm tamen in actibus venereis inveniatur maximè turpitudo quædam honorificentiæ contraria: tum quia personas consanguineas oportet simul conversari, sicque nimia daretur opportunitas venereæ commixtioni, & consequenter mollitiei, si non arcerentur hujusmodi à commixtione: tum etiam, quia impediretur per hoc multiplicatio amicorum, quæ quidem fit, dum homo uxorem accipiens extraneam jungit sibi uxoris consanguineos, ac si essent sui: tum denique, quia ut dicit Arist. cùm naturaliter homo consanguineum diligat, si adderetur amor ex venerea commixtione, fieret nimius ardor amoris, & maximum incentivum libidinis, quod repugnaret castitati. Vnde quia hinc maximè induceretur corruptela castitatis, tum propter nimium ardorem amoris, tum etiam propter opportunitatem, ut dictum est; ideò & dici- ART. 9. In 2. Polit.

tur abusus talium personarum antonomasticè incestus. *Secundum est*, quia licèt nedum inter personas per seipsas conjunctas, ut inter filios & parentes, sit præfata indecentia, sed etiam inter conjunctas solùm propter parentes, vel etiam inter affines, quatenus affinis dicitur qui conjungitur alicui propter personam consanguinitatè conjunctam, & sic inconvenientiam faciat affinitas, sicut & consanguinitas, cùm sit unum propter alterum ejusdem rationis, quia tamen venereorum usus, utpote ordinatus ad bonum commune, subjacet legi, ideò fit quod varietur circa hoc indecentia secundùm consuetudinem atque legem, sive humanam, sive divinam.

ART. 10. *Vtrum sacrilegium possit esse species luxuriæ.* ℞. *Negativè*, non quòd sit species aliqua luxuriæ secundùm seipsam sacrilega, sed ita quod ex ordine ad finem, sive in quantum violat aliquid ad divinum cultum pertinens, ad speciem pertineat sacrilegii. *Primum est*, quia cùm actus unius virtutis vel vitii ordinatus ad finem alterius, assumat speciem illius, sicut furtum quod propter adulterium committitur, transit in speciem adulterii; idem consequenter dicendum de luxuria prout aliquid violat pertinens ad religionem, imò & de ira, si quis ex ira injuriam inferat personæ sacræ, vel etiam de gula, si gulosè assumat cibum sacrum. Et quidem taliter, quod possit hoc modo sacrilegium concurrere cum diversis luxuriæ speciebus; adeò ut si quis abutatur personâ conjunctâ sibi secundùm spiritualem cognationem, committat sacrilegium ad modum incestus: si autem vir-

gine Deo ſacrata, in quantum ſponſa Christi, ſit ſacrilegium per modum adulterii: in quantum verò eſt ſub ſpiritualis patris cura conſtituta, ſit quoddam ſpirituale ſtuprum. *Secundum eſt*, quia non poteſt eadem ſpecies eſſe ſecundùm ſe ſub diverſis generibus non ſubalternatim poſitis, ut ſunt luxuria, & irreligioſitas. Vnde nec in Decreto enumeratur ſacrilegium inter luxuriæ ſpecies, eo quòd ibi enumerentur quæ ſunt ſecundùm ſe luxuriæ ſpecies.

Vtrum vitium contra naturam ſit ſpecies luxuriæ. ℞. *Negativè*, non quòd omni ex parte, ex qua dicitur indecens, ſpeciem conſtituat; ſed ita quod ſit ſpecialis ratio indecentiæ, unde conſtituat. *Primum eſt*, quia cùm id quod quæritur in vitio contra naturam, ſit experientia delectationis venereæ, quam poteſt aliquis experiri ſine actibus, ex quibus ſequitur humana generatio, quamque delectationem ut talem intendit etiam luxurioſus: ideò cùm hoc ſpecialiter repugnet ipſi ordini naturali venerei actus, qui convenit humanæ ſpeciei; idò ſit, quod quanvis non enumeretur tale vitium inter ſpecies luxuriæ, eo quòd ibi enumerentur quæ non repugnant humanæ naturæ; habeat tamen ſpecialem deformitatem, unde ſpeciem conſtituat; & quidem ſive fiat ſodomiticè, ſive per pollutionem, ſive ex non ſervato naturali concumbendi modo, ſive beſtialiter, quæ quidem beſtialitas ad genus malitiæ reducitur, ſicut & luxuria, cùm ab ea ſolùm differat per quendam exceſſum circa eandem materiam. *Secundum eſt*, quia ex hac etiam parte, quâ repugnat hujuſmodi vitium rationi ART. II.

rectæ, indecentiã dicit & deformitatẽ; quòd tamen est commune in omni vitio luxuriæ.

Art. 12. *Vtrum vitium contra naturam sit maximum peccatum inter species luxuriæ.* ℞. *Affirmativè*, ita quod hic sit ordo inter species luxuriæ, quod quia transgreditur vitium contra naturam, id quod secundùm naturam determinatum est, & incestus naturalem reverentiam; ideò sit illud inter omnia pessimum, & posteà incestus: quia verò in aliis id solùm præteritur, quod secundùm rationem determinatum est, sint etiam minùs gravia, sed omnium minimum fornicatio, suprà quod stuprum, supra stuprum adulterium, tum raptus seu violentia, & supremum sacrilegium. *Primum est*, quia cùm in quolibet genere pessima sit principii corruptio, ex quo alia pendent; & in vitiis contra naturam, quia illud transgrediuntur quod est secundùm naturam determinatum circa usum venereum, idipsum accidat, utpote cùm principia rationis sint ea, quæ sunt secundùm naturam; ideò fit, quod omnium pessimum sit vitium contra naturam, & posteà incestus, qui est quidem contra naturalem propinquorum reverentiam, ut dictum est: sed quia unicuique individuo magis est conjuncta natura speciei, quàm quodcunque aliud individuum; ideo & pejora sunt vitia contra naturam speciei, in quibus etiam, cùm ipse violetur ordo naturæ, fit injuria ipsi Deo ordinatori naturæ; suntque hujusmodi peccata tanto graviora, quàm sacrilegium, quanto ordo naturæ humanæ inditus est prior, & stabilior, quàm quivis alius ordo additus. Ita tamen, quod in talibus vitiis

infimum locum teneat peccatum immunditiæ, quod consistit in sola omissione concubitus; & crimen pessimum sit peccatum bestialitatis, ut dicit Scriptura, quia non servatur debita species; deinde sodomiticum, postea peccatum cùm non servatur debitus concumbendi modus; magis autem si non sit debitum vas, quàm si sit inordinatio, utpote cùm magis attendatur gravitas ex abusu rei, quàm ex omissione debiti usus. *Secundum est*, quia cùm major sit injuria si quis abutatur muliere alterius potestati subjecta ad usum generationis, quàm ad solam custodiam, & utrumque aggravetur per violentiam, ideò & gravior est raptus; quàm stuprum, vel adulterium, & adulterium magis, quàm stuprum, & gravius adhuc sacrilegium, ut dictum est; sed omnium minimum fornicatio, utpote quæ committitur sine injuria alterius, nec repugnat rationi, nisi quantum ad id quod proli convenit generandæ. Gen. 37. Art. 10.

IN QVÆSTIONEM CLV.

De partibus potentialibus temperantiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum cõtinentia sit virtus. ℞. Affirmativè*, & quidem nedu accipiendo continentiam, quâ scilicet quis abstinet ab omni delectatione venerea, sed etiã prout per eã resistit aliquis concupiscentiis pravis, quæ in eo vehementius existunt. *Ratio utriusque partis est*, quia priori modo sũpta, cùm tunc perfecta & principalis continentia sit ipsa virginitas, & viduitas, secundaria; ideò & in hoc sensu pari modo est cõtinentia virtus ac virginitas; sumpta verò posteriori modo, licèt tunc non attingat perfectam rationem virtutis moralis, secundùm quod

ſubditur appetitus ſenſitivus rationi, utpote quia in hujuſmodi continente inſurgunt adhuc vehementes paſſiones, propter quod etiam dicit Ariſt. habere aliquid de virtute, & in aliquo deficere; quia tamen per eam firmata eſt ratio contra paſſiones, ſitque propriè & verè continens, qui perſiſtit in ratione recta, abſtinens à concupiſcentiis pravis; non autem qui perſiſtit in ratione perverſa, abſtinens à concupiſcentiis bonis: ideò fit, quod ſi largiùs ſumatur virtus pro quolibet principio laudabilium operum, continentia ſic ſumpta poteſt dici virtus, adeò ut dum ait Gloſſa, aliquem per continentiam abſtinere etiam à licitis, non niſi de licitis minùs bonis intelligatur, ut ſcilicet totaliter intendatur perfectioribus bonis.

4. Ethic. cap. ult.

ART. 2. *Vtrum materia continentiæ ſint concupiſcentiæ delectationum tactus.* ℞. *Affirmativè*, non quòd communiter loquendo, & ſecundùm quid non poſſit dici in quacumque alia materia, ſed ita quod propriè dicatur in concupiſcentiis delectationum tactus. *Primum eſt*, quia cùm nomen continentiæ refrenationem quandam importet, in quantum tenet ſe aliquis ne paſſionem ſequatur; ideò & propriè dicitur circa eas paſſiones, quæ ad aliquid impellunt proſequendum, in quibus laudabile eſt, ut ratio hominem retrahat à proſequendo; quæ quidem maximè ſunt paſſiones delectabilium tactus, utpote cùm tanto vehementiùs impellant paſſiones ad aliquid proſequendum, quanto magis ſequuntur inclinationem naturæ, quæ quidem præcipuè inclinat ad ea quæ neceſſaria ſunt, vel ad

conſervationem individui, ut eſt cibus & potus; vel ſpeciei, ut ſunt actus venerei, quorum quidem ſingulorum delectationes ad tactum pertinent. Ita tamen, quod quanvis dicatur etiam propriè circa cibos, magis tamen circa delectationes venereas, utpote vehementiores; non tamen circa eſus humanarum carnium, abuſus puerorum, &c. eo quòd ſit continentia bonum rationis humanæ, quæ conſequenter ſolùm attenditur circa paſſiones, quæ poſſunt homini eſſe connaturales. *Secundum eſt*, quia ſicut temperantia, etſi propriè dicatur in illa materia, in qua eſt optimum refrenari; communiter tamen, & ſecundùm quid accipitur in omni materia: ita ſimiliter dicendum de continentia, ut etiam dicit Ambroſ. adeo ut & in ira, & circa exteriora bona, ut honores, lucrum, &c. dicatur quis continens, ſed ſecundùm quid, cùm iræ impetus magis ſequatur apprehenſionem animalem, quàm inclinationem naturalem; nec ſint præfata bona ſecundùm ſe eligibilia ſimpliciter, quaſi ad conſervationem naturæ neceſſaria.

Vtrum ſubjectum continentiæ ſit vis concupiſcibilis. ℞. *Negativè*, ita quod & continentia, & incontinentia ad voluntatem potiùs pertineant, ut ad proprium ſubjectum, eſto quod poſſit incontinentia ſpecialiter attribui concupiſcibili. *Primum eſt*, quia cùm virtus quæ eſt in aliquo ſubjecto, faciat illud differre à diſpoſitione, quam habet ſub oppoſito vitio; & concupiſcibilis eodem potiùs modo ſe habeat in eo, qui eſt continens, & in eo, qui non eſt continens, utpote qui in utroque prorum- ART. 3.

pit in concupiſcentias pravas,& vehementes; ideo non in concupiſcibili eſt continentia,ut in ſubjecto, ſed in illa potiùs vi animæ, ſicut & incontinentia, cujus actus eſt electio, id eſt in voluntate, utpote cùm nedum habeant continens & incontinens concupiſcibilem eodem modo ſe habentem, ſed & rationem rectam, proponente utroque extra paſſiones non ſequi illicitas concupiſcentias, & differre ſolùm incipiant in electione, quatenus continens quanvis vehementes patiatur concupiſcentias,tamen eligit non ſequi; cùm è contra incontinens eas ſequi eligat, non obſtante repugnantia rationis. Vnde habet quidem continentia pro materia concupiſcentias delectationum tactus, non ita tamen quod eas moderetur, ut temperantia, quæ eſt in concupiſcibili; ſed ſolùm quaſi eis reſiſtens per voluntatem, in cujus quidem poteſtate eſt paſſionibus reſiſtere, quanvis in eà non ſubjectentur. *Secundum eſt*, quia cùm voluntas, utpote media inter rationem & concupiſcibilem, ſicut movetur in continente à ratione, ſic & in incontinente à concupiſcibili; ideò & poteſt incontinentia ſpecialiter attribui concupiſcibili, non quidem ut ſubjecto, ſed tanquam primo moventi.

ART. 4. *Vtrum continentia ſit melior, quàm temperantia.* ℞. *Negativè*, non quòd non melior ſit continentia, prout importat ceſſationem ab omni delectatione venerea; ſed ita quod prout importat reſiſtentiam rationis ad concupiſcentias pravas, ſit temperantia multò potior. *Primum eſt*, quia cùm laudabile ſit bonum virtutis ex eo

quod est secundùm rationem; & plus vigeat hoc bonum in eo qui est temperatus, in quo etiam ipse appetitus sensitivus est subjectus rationi, quàm in eo qui est continens, in quo quidem idem appetitus vehementer resistit rationi; ideò si sic accipiatur continentia, est temperantia multò melior, & quidem quanvis continentia sit in voluntate, & temperantia in concupiscibili, utpote cùm bonum rationis contingat etiam usque ad concupiscibilem. Vnde esto quod quando magnitudo, vel debilitas concupiscentiæ oriuntur ex causa corporali, vel ob naturalem complexionem, vel ob opportunitates delectationum augeant, vel minuant meritum; ubi tamen ex causa spirituali oriuntur, ut in præsenti, scilicet ex fortitudine rationis, aut vehementia charitatis, tunc auget debilitas meritum ratione suæ causæ, & magnitudo minuit. ***Secundum est***, quia continentia ut importat abstinentiam ab omni delectatione venerea, cùm tunc se habeat sicut virginitas ad castitatem simpliciter dictam, ideò & est præstantior temperantiâ, juxta illud, Omnis ponderatio non est digna continentis animæ: quod quidem intelligi potest in genere castitatis, prout scilicet abstinet continentia ab omnibus venereis. **Eccl. 26.**

IN QVÆSTIONEM CLVI.

De incontinentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum incontinentia pertineat ad animam. ℞. *Affirmativè*, non quòd non præstet corpus occasionem incontinentiæ, sed ita quod causa per se incontinentiæ tenet se ex parte animæ. ***Ratio utriusque partis est***, quia cùm unumquodque magis at-

tribuatur ei, quod est causa per se, quàm ei, quod solam præstat occasionem; ideò cùm anima sit ita per se causa incontinentiæ, corpus autem solùm occasio, quatenus scilicet ex dispositione quidem corporis oriuntur passiones in appetitu sensitivo; non tamen est sufficiens causa, nisi anima vel passionibus cedat antequam ratio consilietur, vel non permaneat in his quæ ex ratione consiliata sunt, quomodo dicit
Lib. 7. Ethic. cap. 7. Arist. mulieres non continentes, quia utplurimùm non habent judicium fixum, & solidam rationem, sed facilè passiones sequuntur; ideò, inquam fit, præstare quidem corpus occasionē incontinentiæ, quod patet in cholericis, qui ex complexione corporis statim sequuntur passionem ante consilium ex velocitate, sicut & melancholici ex vehementia passionis: se tamen tenere ex parte animæ, veluti ex parte causæ per se, adeò ut concupiscentia carnis in eo qui est incontinens, superet quidem spiritum, sed ex negligentia spiritus non resistentis fortiter, non autem necessariò. Ita tamen, quod si passiones adeò insurgant, ut totaliter auferant rationis usum, tunc non remaneat ratio continentiæ, vel incontinentiæ; quandoquidem non salvatur judicium rationis, quod continens servat, & incontinens deserit.

Art. 2. *Vtrum incontinentia sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem secundùm quod dicitur quis solùm secundùm similitudinem incontinens, sed prout attenditur incontinentia vel circa concupiscentias pravas, vel ex non servato rationis modo circa alia quæ videntur bona. *Primum est*, quia prio-

ri modo sumpta incontinentia, & non tantùm similitudinariè, & immergit se quibusdam turpibus delectationibus, necnon & recedit ab eo quod est secundùm rationem, vel simpliciter, si sit circa concupiscentias pravas; vel secundùm quid, si non servet rationis modum in appetitu rerum per se expetendarum. Vnde vincitur quidem in incontinente judicium rationis: sed quia hoc est ex negligentia, non ex necessitate, ideò adhuc peccat incontinens, sicut & quanvis esse non possit continens, nisi det Deus, ut dicit Scriptura, utpote cùm ea quæ per amicos possumus, per nos ipsos posse censeamur, ut ait Arist. *Secundum est*, quia cùm dicatur incontinentia secundùm similitudinem, quæ versatur circa concupiscentias eorum, quibus non potest aliquis malè uti, putà virtutum, quatenus scilicet totaliter ducitur per concupiscentiam bonam, sicut & alius per malam; ideò nec tunc peccatum est, sed magis pertinet ad perfectionem virtutis. Sap. 8. In 3. Eth. cap. 3.

Vtrum incontinens plus peccet, quàm intemperatus. ℞. *Negativè*, ita quod & ex parte voluntatis, quâ peccatur, major sit in intemperato inclinatio ad peccandum, & ex parte intellectus periculosior ignorantia, sed insuper & difficilior sanatio ex parte resipiscentiæ. *Primum est*, quia cùm in intemperato voluntas inclinetur ad peccandum ex habitu, qui quidem permanet; & in incontinente ex passione, quæ transit: ideo & major est in intemperato inclinatio voluntatis ad peccandum, adeò ut quanvis libido concupiscentiæ appetitus sensitivi quandoque major sit in incontinente; li- ART. 3.

bido tamen voluntatis, quæ ea est, quæ peccatum auget, sit major in intemperato; sed est præterea peccatum gravius in intemperato ex parte ignorantiæ intellectus, quæ quidem peccatum aggravat, quando (ut in præsenti) inclinationem sequitur, sicut & minuit quando præcedit. Hæc namque ignorantia, quæ ibi provenit ex eo quod appetitus est ad aliquid inclinatus, & minùs durat in incontinente, in quo solùm manet durante passione; & attenditur solùm quantum ad aliquod particulare eligibile, prout scilicet æstimat hoc nunc esse eligendum: cùm è contra intemperatus habeat etiam ignorantiam circa ipsum finem, in quantum scilicet judicat hoc esse bonum, scilicet quod irrefrenatè concupiscentias sequatur. *Secundum est*, quia etsi iisdem mediis uterque sanari possit, scilicet per interius auxilium gratiæ concupiscentias mitigantis, & remedium exterius correctionis; quia tamen habet intemperatus rationem corruptam circa æstimationem finis, ex quo reducimur in moralibus, sicut & in demonstrativis ex principio, estque magis inclinatus propter habitum, ideò & difficilior est ejus sanatio.

ART. 4. *Vtrum incontinens iræ sit pejor, quàm incontinens concupiscentiæ.* ℞. *Negativè,* non quòd non gravior sit incontinentia iræ quantum ad mala, in quæ incontinens deducitur, & incidit; sed ita quod ex parte passionis, ex qua ratio superatur, turpior sit in concupiscentia. *Primum est,* tum quia motus iræ magis sequitur complexionem corporis ob velocitatem motus choleræ, & ideò est magis veniâ dignus: tum quia operatur

ratur concupiſcens delectabiliter., iratus autem quadam coactus præcedente triſtitia: tum denique, quia motus iræ participat aliquo modo de ratione,ut ſcilicet tendit in vindictam injuriæ, licèt non debito modo, & quærit operari occultè,cùm tamen quærat concupiſcentia operari occultè,ſitque in incontinente ſine ratione, non quòd eam omninò auferat,ſed quia in nullo procedit ſecundùm rationem. Vnde ad horam quidem difficilius eſt reſiſtere iræ propter ipſius impetum, ſed difficilius eſt aſſiduè pugnare contra concupiſcentiam, utpote quæ eſt magis continua.*Secundum eſt*,quia cùm durat incontinentia iræ in ea quæ pertinent ad proximi nocumentum, ideò & quantum ad malum ad quod quis incidit à ratione diſcedens, eſt utplurimùm gravior, ſicut & periculoſior.

IN QVÆSTIONEM CLVII.

De clementia, & manſuetudine.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum clementia & manſuetudo ſint penitus idem.* ℞.*Negativè*,non quòd non concurrant in eundem effectum, ſed quia reſpicit propriè manſuetudo vindictæ appetitum ad moderandum, & clementia ipſas exteriores pœnas.*Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſit manſuetudo directè circa iras, unde & ei propriè opponitur vitium iracundiæ, quod importat exceſſum iræ; clementia verò moderativa ſit exterioris punitionis, & oppoſita crudelitati, quæ importat exceſſum in puniendo,juxta quod dicit Seneca in 2. de clementia, quod crudeles vocantur, qui puniendi cauſam habent, modum tamen non habent; ideò & ex parte ejus,quod directè reſpiciunt,man-

ſuetudo & clementia habent quod differant, & quidem quanvis ex Tullio dicatur animus in odium concitatus, quod ad iram ſequitur, retineri per clementiam, cùm hoc dicatur eo ſcilicet fine, ne acriorem pœnam inferat, non quòd ſit odii directè moderativa, ſed quia virtus moralis eſt circa paſſiones & actiones, & paſſiones ſunt exteriorum actionum principia; ideò virtutes paſſionum moderativæ, ut manſuetudo, in eundem effectum quodammodo concurrunt cum virtutibus, quæ moderantur actiones, ut eſt clementia, licèt ſpecie differant.

ART. 2. *Vtrum tam clementia, quàm manſuetudo ſit virtus*. ℞. *Affirmativè*, non quòd non poſſit manſuetudo etiam reponi inter beatitudines, & fructus; ſed ita quod cum hoc ſervetur in una & altera, in quo conſiſtit moralis virtus. *Primum eſt*, quia cùm ratio virtutis moralis ſita ſit in hoc, ut appetitus rationi ſubdatur; & hoc in utraque ſervetur, cùm clementia in diminuendo pœnas reſpiciat ad rationem, nec ſit pœnarum diminutiva reſpectu rectæ rationis, ſed communis legis: manſuetudo autem iras ſimiliter moderetur ſecundùm rationem, unde & neutra opponitur virtuti ſeveritatis, quæ eſt circa pœnarum inflictionem, quia ambæ ſunt, ut recta ratio requirit: & utràque conſiſtit in medio, eſto quod denominetur à diminutione, eo quòd habitus, qui medium tenet in ira eſt innominatus, & eſt propinquior diminutioni, quàm ſuperabundantiæ, propterea fit, ſervari in utraque, in quo conſiſtit moralis virtus. *Secundum eſt*, quia cùm beatitudines ſint actus virtutum,

fructus autem sint delectationes de actibus virtutum; ideò nihil prohibet, mansuetudinem poni & virtutem, & beatitudinem, & fructum.

Vtrum prædictæ virtutes sint partes temperantiæ. ℞. *Affirmativè*, ita quod ad modum partium potentialium illi adjungantur sicut secundariæ virtutes virtuti principali, adjunctione tamen secundùm virtutis formam, magis quàm secundùm materiam. *Primum est*, quia cùm partes assignentur virtutibus principalibus, prout scilicet ipsas imitantur in aliquibus materiis secundariis quantum ad modum ex quo primò dependet virtutis laus, & istæ virtutes, quæ quidem in quadam refrenatione & mitigatione consistunt, sic imitentur temperantiam, quæ habet refrenare vehementissimas concupiscentias tactus; ideò, fit quod temperantiæ adjungantur ut partes potentiales. Licèt enim pœnarum diminutio secundùm intentionem legislatoris pertineat ad epiikiam, quæ est quædam justitia; non tamen prout est moderatio quædam affectus in pœnis, ut scilicet homo non sua utatur potestate in pœnarum inflictione, quo modo pertinet ad clementiam, cui etiam dicitur opponi insania, quâ quis delectatur in pœnis, non quatenus excludit rationis usum, & opponitur prudentiæ; sed quatenus homo videtur affectu privatus humano, quem sequitur clementia. *Secundum est*, quia cùm temperantia sit circa concupiscentias, mansuetudo autem & clementia magis respiciant iram & vindictam; ideò & magis attenditur earum adjunctio ad temperantiam secundùm modum virtu- ART. 3.

tis, qui est quasi quædam forma ejus, quàm secundùm materiam.

Art. 4. *Vtrum clementia & mansuetudo sint potissimæ virtutes.* ℞. *Negativè*, non quòd non habeant excellentiam & principalitatem quandam in aliquo genere, puta inter virtutes resistentes affectionibus pravis; sed ita quod non sint potissimæ simpliciter, & quoad omnia. *Primum est*, quia cùm laus clementiæ, & mansuetudinis in hoc consistat, quod à malo retrahunt, ut diminuunt iram, vel pœnam; & perfectius sit bonum consequi, quàm cessare à malo: ideò & simpliciter majores sunt quæ simpliciter ordinantur ad bonum, ut fides, prudentia, &c. & quidem quanvis mansuetudo hominem præparet ad Dei cognitionem, ex Scri- (Iacobi 1.) ptura, utpote cùm id præstet removendo (Eccles. 5.) prohibens, & quia facit hominem compotem sui, & ne ex commotione iræ contradicat veritati; imò & quanvis ex eadem (Eccles. 1.) Scriptura reddant hæ virtutes hominem Deo, & hominibus acceptum, utpote quod id faciunt, quatenus in eundem concurrunt effectum cum charitate virtutum maxima, scilicet in subtrahendo proximorum mala. Vnde conveniunt quidem cum pietate & misericordia prout concurrunt in eundem effectum, qui est prohibere proximorum mala; non tamen in motivo, quod est in pietate multò nobilius, cùm sit ex reverentia ad Deum, vel parentes. *Secundum est*, quia cùm mansuetudo mitigando iram, quæ hominem impedit, ne videat veritatem, faciat hominem maximè sui compotem; & clementia minuendo pœnas videatur accedere ad charitatem, quæ est virtutum ma-

xima; ideo secundùm quid nihil prohibet, quandam habere excellentiam inter virtutes, quæ resistunt affectionibus pravis.

IN QVÆSTIONEM CLVIII.

De ira.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *irasci sit licitum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod malum non sit in ira ex ipsa specie passionis, esto quod possit in ea malum inveniri secundùm quantitatem ipsius. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm possit vindicta & benè appeti, si propter vitiorum correctionem, & ad bonum justitiæ conservandum; tum etiam malè, si propter malum ejus, qui puniendus est, sive quando quis irascitur plus aut minus, quàm requirit recta ratio; ideò ira, quæ est appetitus vindictæ, potest quidem secundùm excessum & defectum passionis esse mala, juxta quod dicit Chrysost. (Hom. 11. in Matt.) quod qui sine causa irascitur, reus erit; qui verò cùm causa, non erit reus: non tamen ex ipsa specie passionis, quæ attenditur ex parte objecti; & quidem quanvis non irascatur Deus, utpote cui solùm possumus & debemus assimilari in appetitu boni, non autem in modo, quandoquidem non est in eo appetitus sensitivus, ut est in nobis. Vnde si ira rationem antecedat, & eam à rectitudine retrahat, habet quidem rationem mali: sed si consequatur, ita ut moveatur contra vitia ex ordine rationis, tunc bona est, licèt aliquo modo in exequutione actus judicium rationis impediat. Neque dixit Hieron. iram penitus prohibitam esse, nisi vel secundùm Stoïcorum opinionem, qui omnes passiones nominabant affectus quosdam præter rationis ordinem existentes,

vel loquendo de ira, quâ quis malum intendit proximo.

ART. 2. *Vtrum ira sit peccatum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod & quantum ad appetibile in quod tendit, & quantum ad modum irascendi possit ira excludi rationis ordò, ut sit culpabilis; sed sic etiam servari possit, ut sit laudabilis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm passio appetitus sensitivi in tantum bona sit, prout ratione regulatur; & mala, si ordinem rationis excludat: & hic ordo in ira attendi possit, & quantum ad vindictam, in quam tendit, & quantum ad modum irascendi, ne immoderatè interiùs, vel exteriùs fervescat; ideò si vindicta appetatur ut cum ratione fiat, laudabilis est, & dicitur ira per zelum; sed pariter si contra rationis ordinem appetatur, vel si appetatur justa vindicta, sed immoderatè fervescendo, tunc erit ira culpabilis, & vocabitur ira per vitium; non quòd importet ira ut passio absolutè considerata rationem meriti, vel demeriti; sed ut est, vel non est ratione regulata. Vnde motus quidem prævenientes rationis judicium, non habent in generali esse in potestate hominis, sed quia potest quemlibet singulariter impedire, cùm per rationem sit dominus suorum actuum; ideò cùm aliquo modo in ejus sint potestate, possunt rationẽ habere peccati, & quidem tũ peccati per conversionem, cùm iratus malũ alterius appetens propter vindictã, in illud feratur ut in commutabile bonum: tum etiam quanvis naturalis sit actus irascibilis, cùm in tantum sit naturalis, in quantum est secundùm rationem, cujus proinde ordinem si prætermittat, erit contra

naturam, cùm irascibilis in homine naturaliter rationi subsit.

Vtrum ira sit peccatum mortale. ℞. *Negativè*, non quòd non possit esse mortalis, & ex parte appetibilis, & ex parte modi appetendi, sed ita quod possit etiam ex parte utriusque esse venialis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm posset ira ita esse inordinata ex parte appetibilis, ut appetatur injusta vindicta, & sic contraria sit charitati, & justitiæ; ideò & potest esse mortalis ex illa parte, necnon ex modo irascendi, si nimirum ita ardenter irascatur interiùs, vel exteriùs talia manifestet signa iræ, ut excidat à dilectione Dei & proximi: in quo quidem sensu dicitur reus judicio qui irascitur fratri, cùm scilicet appetit proximi occisionem, vel gravem læsionem; vel etiam quod ira interficit stultum, quando scilicet stultus eam non refrenando, in peccatum mortale labitur: sed quia non semper accidit, quod ita contrarietur charitati, ideò & potest esse venialis ob imperfectionem actus; & hoc sive ex parte appetentis, ut cùm ira prævenit rationem; vel ex parte appetibilis, ut cùm quis appetit in modico se vindicare. ART. 3. Iob 5.

Vtrum ira sit gravissimum peccatum. ℞. *Negativè*, non quòd non habeat excellentiam quandam quoad inordinationem, quæ est secundùm modum irascendi; sed ita quod quantum ad appetibile, quod appetit iratus, videatur potiùs minimum peccatorum. *Primum est*, quia cùm pejus sit appetere malum ut malum, quàm ut bonum; & pejus appetere sub ratione boni exterioris, ut est honor & gloria, quàm sub ART. 4.

ratione justitiæ; ideò quia odium appetit absolutè malum alterius in quãtum hujusmodi; & invidus propter propriam gloriam, iratus autem sub ratione boni, scilicet justæ vindictæ, est etiam ira ex parte appetibilis, in quo cum odio, & invidia convenit, minùs gravis; sicut & minùs quàm concupiscentia ex parte boni, sub cujus ratione appetit, & tanto minùs, quanto melius est bonum justitiæ quod appetit iratus, quàm bonum delectabile, vel utile, quod appetit concupiscens, juxta quod dicit Arist. quod incontinens concupiscentiæ est turpior, quàm incontinens iræ. Vnde nihil quidem deformius visu furentis, ut ait Chrysost. sed quantum ad gestus exteriores, qui proveniunt ex iræ impetu, non ex ipsius gravitate, quæ potiùs levior est ratione jam dicta, etiam quanvis ab ea sequatur homicidium, utpote quod non minùs ex odio provenit, & ex invidia. *Secundum est*, propter vehementiam motus iræ, propter quam dicit Scriptura, quod non habet ira misericordiam, & Gregor. quod ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquitur ignorat..

In 7. Ethic. c. 6.

Homil. 29. ad popul. Ant.

ART. 5. *Vtrum Philosophus convenienter determinet species iracundiæ, dicens quod iracundorum quidam sunt acuti, quidam amari, quidam difficiles.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ex qua parte ira peccatum est, & tres illæ distingui debeant species, & tres illæ sufficiant, etiam ad gradus iræ, quos Christus ponit. *Primum est*, quia cùm inordinatio iræ attendi possit, tum ex ipsa iræ origine, quod ad acutos pertinet, qui citò irascuntur ex qualibet levi causa: tum ex duratione iræ, & hoc vel quia causa iræ, id est

injuria illata, diu memoriæ hæret, unde homo diuturnam tristitiam concipit, estque sibi ipsi amarus & gravis; vel ex parte ipsius vindictæ, quam obstinato appetitu quærit, quod pertinet ad difficiles: consequenter fit quod in ira, ut est peccatum, tres illæ debeant distingui species, quas etiam distinguit Greg. Nyss. qui ponit iram felleam, quæ ad acutos pertinet; insaniam, quæ amaris; & furorem qui difficilibus attribuitur. Ita tamen, quod in his speciebus non attendatur principaliter circumstantia temporis, alioquin & aliæ sumerentur species secundùm alias circumstantias; sed facilitas hominis ad iram, & firmitas in ea: nec amari, & difficiles similem habeant diuturnitatem iræ, sed amari ob permanentiam tristitiæ, difficiles verò ob vehemens desiderium vindictæ: quo fit ut illi per tempus quiescant, isti verò per solam punitionem. *Secundum est*, quia cùm gradus iræ, quos Christus ponit, accipiantur secundùm processum humani actus, in quibus primò aliquid concipitur, juxta quod dicit, Qui irascitur fratri suo; deinde per signa manifestatur, juxta quod dicit, Qui dixerit fratri suo, Racha, quod est interjectio irascentis; tum posteà ad effectum perducitur per nocumentum sub ratione vindictæ, juxta quod addit, Qui dixerit fratri suo, Fatue; ideò etiam ad gradus iræ, quos Christus ponit, sufficiunt præfatæ species iræ, cùm non pertineant ad diversas.

Lib. 4. de viribus animæ, cap. 13.

Vtrum ira debeat poni inter vitia capitalia. ℞. *Affirmativè*, non quòd non sit per accidens etiam janua omnium vitiorum, sed ita quod directè, & per se, seu ratione ART. 6.

finis, sit etiam causa aliquorum specialium peccatorum. *Primum est*, quia cùm habeat ira objectum summè appetibile, vindictam scilicet sub ratione justi vel honesti; tum etiam talis sit impetus, quo mentem præcipitet ad illicita quæcumque agenda: ideò etiam tale est vitium, ex quo per se & directè multa oriantur vitia, tanquam ex capite, & quidem magis quàm odium, non quòd gravius sit peccatum, sed quia habet objectum, seu finem magis appetibilem. Vnde ex tristitia quidem oritur ira, non ea tamen, quæ est acediæ vitium, sed ea quæ dicitur passio, quæ scilicet consequitur ex injuria illata. *Secundum est*, quia cùm impediat ira judicium rationis, per quod homo à malis retrahitur; ideò & est, & dici potest janua omnium vitiorum, ut dicit quædam Glossa; non tamen per se, sed per accidens, removendo prohibens.

ART. 7. *Vtrum convenienter assignentur sex iræ filiæ, scilicet rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia.* ℞. *Affirmativè*, ita quod secundùm modum triplicem, quo potest ira considerari, sex illa ab ea oriantur vitia; si tamen accipiatur blasphemia, non qualiscumque, sed pro ea in quam prorumpimus ex commotione animi; & tumor mentis pro conatu, seu audacia hominis vindictam intentantis. *Primum est*, quia cùm ira ita tripliciter consideretur, primò scilicet ut est in corde, quo modo ponitur ex parte ejus in quem irascitur indignatio, eum reputans indignum, ut sibi tale quid fecerit; & tumor mentis ex parte irascentis, prout apud se excogitat diversas vias vindictæ; secundò verò ut

eſt in ore, quo modo ponitur clamor, ſi nimirum ſit inordinatio in modo loquendi, quo ſcilicet clamore intelligitur inordinata, vel confuſa loquutio; vel blaſphemia, ſi contingat prorumpere in injurioſa contra Deum; aut contumelia, ſi contra proximum: tertiò denique conſiderari poteſt ut procedit uſque ad factum; & ſic oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ proximo inferuntur facto. *Secundum eſt*, quia tumor mentis, niſi accipiatur pro conatu hominis intentantis vindictam, idem ſignificat quod ſuperbia; quæ quidem non eſt filia, ſed potiùs mater omnium vitiorum; & eſt blaſphemia quædam, in quam prorumpitur ex deliberata mente, quæ etiam ex ſuperbia procedit, non autem ex ira, à qua nec etiam oritur odium, ſed magis ex acedia, utpote cùm cauſa ex qua directiùs oritur, ſcilicet triſtitia, pertineat ad acediam.

Vtrum ſit aliquod vitium oppoſitum iracundiæ proveniens ex defectu iræ. ℞. *Affirmativè*, & quidem ſive accipiatur ira pro motu ſimplici voluntatis, quo quis ex rationis judicio pœnam infligit; ſive pro motu appetitus ſenſitivi, qui eſt cum paſſione & tranſmutatione corporali. *Primum eſt*, quia iracundia, ait Chryſoſt. quæ cum cauſa eſt, non eſt iracundia, ſed judicium; cùm iracundia propriè ſit commotio paſſionis, ſicque qui ex cauſa iraſcitur, & non ex paſſione, non tam iraſci dicatur, quàm judicare; ac proinde qui ita cum cauſa non iraſcitur, peccat, nec Deum imitatur quantum ad hoc, quod Deus ex judicio punit, eſto quod imitetur quantum ad carentiam paſſ- ART. 8.

ſionis. *Secundum eſt*, quia ſi accipiatur ira pro motu appetitus ſenſitivi cum paſſione, cùm iſte motus conſequatur ad motum ſimplicem voluntatis, propterea quod naturaliter ſequitur appetitus inferior motum appetitus ſuperioris; ideò non poteſt iſte motus totaliter deficere, niſi per ſubtractionem, aut debilitatem voluntarii motus, & quin remotio totalis hujuſmodi iræ ſit ſignum etiam remotionis judicii rationis, à quo moderata eſt ira, ac proinde poteſt defectus iſtiuſmodi iræ vitioſus eſſe; paſſio namque, ſicut & alii motus appetitus ſenſitivi, utilis eſt ut homo promptiùs exequatur quod ratio dictat, aliàs fruſtrà fuiſſet factus cum appetitu ſenſitivo.

IN QVÆSTIONEM CLIX.

De crudelitate.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum crudelitas opponatur clementiæ. ℞. *Affirmativè*, & quidem directè, imò & directiùs, quàm miſericordiæ. *Primum eſt*, quia cùm nomen crudelitatis videatur ſumptum à cruditate, quatenus ſicut quæ cocta & digeſta ſunt, ſuavem habent ſaporem, ita & aſperum quæ ſunt cruda; ideò cùm clementia importet animi levitatem, ſive dulcedinem, quâ quis eſt diminutivus pœnarum, ei propterea directè opponitur crudelitas, & quidem quanvis ſuperexceſſus pœnarum in actu exteriore pertineat ad injuſtitiam, quandoquidem quantum ad animi auſteritatem, per quam fit aliquis promptus ad pœnas augendas, adhuc pertinet ad crudelitatem. Cum quo tamen ſtat, adhuc crudelem dici, qui propinquos abjicit, accipiendo ſcilicet crudelitatem pro immiſericordia, quæ non eſt benefica; vel

Prov. 11.

etiam dicendo, ipsam beneficii subtractionem pœnam quandam esse. *Secundum est*, quia cùm elementia, & misericordia conveniant in hoc, quod utraque refugit miseriam alienam, sed misericordia subveniat per beneficii collationem, & clementia per pœnarum subtractionem: ideò & directiùs opponitur crudelitas clementiæ, quàm misericordiæ.

Vtrum crudelitas à sævitia, sive à feritate differat. ℟. *Affirmativè*, & quidem sive considerentur crudelitas, & feritas ex parte causæ ad quam attendunt, sive ex parte virtutis, cui opponuntur. *Primum est*, quia cùm propriè loquendo feritas, seu sævitia dicatur, secundùm quam in pœnis inferendis non considerat aliquis culpam illius, qui punitur, sed solam delectationem, quæ quidem non est humana, sed bestialis, ex more scilicet ferarum, quæ hominibus nocent, ut eorum vescantur corporibus; ideò cùm è contra crudelitas culpam attendat in eo, qui punitur, sed modum excedendo, propterea & ab invicem differunt ex parte causæ ad quam attendunt. Vnde nec se[illegible]rus dicitur simpliciter sævus, quia hoc sonat in vitium, sed sævus solùm circa veritatem. *Secundum est*, quia cùm clementia sit virtus humana, & sævitia contineatur sub bestialitate, ut dictum est; ideò non clementiæ directè opponitur, sicut crudelitas, quæ est malitia humana, sed magis excellentiori virtuti, scilicet heroïcæ, vel divinæ, seu dono Spiritus sancti, quod pietas dicitur: sicut nec ei directè opponitur remissio in puniendo, utpote quæ vitium non est, nisi prout prætermittitur ordo justitiæ, quem sævitia non attendit. ART. 2.

IN QVÆSTIONEM CLX.

De modestia.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum modestia sit pars temperantiæ. ℞. *Affirmativè*, ita quod adjungatur virtuti temperantiæ, sicut secundaria principali, esto quod nominetur ab eo, quod generaliter competit omni virtuti. *Primum est*, quia cùm temperantia moderationem adhibeat in his, in quibus difficillimum est moderari, scilicet in concupiscentiis delectationum tactus; & ubi est virtus aliqua specialiter circa aliquod maximum, oporteat esse aliam virtutem circa ea quæ mediocriter se habent, ut in omnibus vita hominis sit secundùm virtutem regulata; ideò & temperantiæ necesse est adjungi aliam virtutem moderativam in aliis mediocribus, quæ quidem est, & dicitur modestia, habens cum temperantia eandem materiam; sed hæc circa passiones vehementes, & modestia circa mediocres. Vnde (2. Tim. 2.) cùm dicit Scriptura, debere servum Dei esse mansuetum ad omnes, cum modestia corripientem, non nisi latè accipitur ibi modestia, prout requiritur in omnibus virtutibus. *Secũdum est*, quia cùm nihil prohibeat, nomen commune quandoque appropriari his, quæ sunt intima, sicut nomen commune Angelorum appropriatur intimo ordini; ideò & potest modus, qui communiter observatur in qualibet virtute, appropriari specialiter huic, quæ in minimis modum ponit.

ART. 2. *Vtrum modestia sit nedum circa exteriores actiones, sed & interiores motus.* ℞. *Affirmativè*, ita quod modestiæ relinquantur moderanda & quæ pertinent ad corporales

motus, & exteriorem apparatum; & insuper animi motus ad aliquam excellentiam, & desiderium eorum quæ pertinent ad cognitionem; sed per diversas virtutes, quæ sub modestia comprehenduntur. *Primum est*, quia cùm non solùm circa exteriores actiones, sed etiam circa interiores oporteat observare modum, à quo modestia dicitur, ideò & est modestia non solùm circa ea quæ pertinent ad corporales motus & actiones, ut scilicet decenter, & honestè fiant, sive seriò, sive joco agantur; & quæ pertinent ad apparatum exteriorem, ut in vestibus, &c. sed & circa animi motus ad excellentiam, & circa desiderium eorum quæ spectant ad cognitionem. Vnde quod ait Paulus, modestiam debere notam esse omnibus, non tollit, quin etiam sit circa interiora, præsertim cùm etiam interiorum moderatio possit per signa exteriora manifestari. *Secundum est*, quia motum ad excellentiam moderatur humilitas, desiderium autem cognoscendi moderatur studiositas: circa ludum autem ponit Arist. eutrapeliam, & ad alia ponit Andronicus mansuetudinem, simplicitatem, &c. Quæ tamen omnia comprehenduntur sub nomine modestiæ, ut à Tullio sumitur. Vnde nihil prohibet, modestiam esse circa ea, quæ requirunt diversas virtutes, quandoquidem sub modestia diversæ continentur virtutes.

Ad Philipp. 4.

IN QVÆSTIONEM CLXI.

De speciebus modestiæ: & primò de humilitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum humilitas sit virtus. ℞. Affirmativè, non quòd omnis humilitas, sive

quæ provenit à principio extrinseco, sive etiam ab intrinseco, virtus sit; sed ita quod ea sit virtus, quæ ab interiori motu refrenat animum, ne tendat immoderatè in excelsa. *Primum est*, quia cùm circa motus
1.2.q.60. art.4. appetitivos, qui se habent per modum impulsionis, oporteat, ut dictum est, esse virtutem, quæ eos moderetur, sicut & circa illos qui se habent per modum retractionis, oportet ex parte appetitus esse virtutem & firmantem, & impellentem; ideò & debet circa appetitum boni ardui, quod quidem ut bonum attrahit, & ut arduum retrahit, hanc duplicem poni virtutem, magnanimitatis quidē ut animum firmet contra desperationem, & impellat ad prosequutionem magnorum secundùm rationem rectam; sed etiam virtutem humilitatis, refrenantem scilicet, ne immoderatè tendamus in excelsa, & quidem secundùm interiorem animæ motum, cùm humilitas secundùm signa tantùm exteriora sit falsa. Vnde nec opponitur humilitas magnanimitati, cùm reprimat humilitas appetitum, ne tendat in magna præter rationem, impellat autem magnanimitas ad magna secundùm rationem: nec quanvis Deo non competat, nisi secundùm naturam assumptam, cessat propterea esse dispositio perfecti, seu perfectorum; cùm perfecto secundùm quid, ut est homo virtuosus, utpote cujus perfectio comparativè ad Deum est diminuta, adhuc convenire possit humilitas, quæ tamen non connumeratur à Philos. inter virtutes morales, eo quòd ibi enumeret virtutes ut ordinantur ad vitam civilem, cùm tamen humilitas, ut est spe-

cialis virtus, respiciat subjectioné hominis ad Deum. *Secundum est*, quia humilitas, si fit ex principio extrinseco, ut cùm quis ab alio dejicitur, est potiùs pœna, juxta illud, Humiliaverunt in compedibus pedes ejus : si autem à principio intrinseco, sicut potest benè fieri, ut accidit cùm quis considerans suum defectum tenet se in infimis secundùm suum modum ; sic & potest fieri malè, ut cùm homo honorem suum non intelligens, comparat se jumentis, &c. unde non est hoc modo virtus. Psal. 104.

Vtrum humilitas consistat circa appetitum. Art. 2.
℞. *Affirmativè*, non quòd non pertineat ad humilitatem cognitio proprii defectus, sed ita quod circa appetitum consistat humilitas essentialiter. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ad humilitatem propriè pertineat, ut quis suum reprimat appetitũ, ne in ea feratur, quæ sunt supra se ; ideò pertinet quidem ad humilitatem cognitio proprii defectus, sicut regula quædam directiva appetitus, utpote cùm ad hoc debeat cognoscere, in quo scilicet deficit à proportione ejus, quod suam excedit virtutem ; sed tamen circa ipsum appetitum consistit essentialiter, adeò ut propriè sit directiva & moderativa motus appetitus, esto quod secundariò consistat in exterioribus, prout scilicet reprimit, ut ait Andronicus, superabundantiam in exterioribus sumptibus, quæ ad quandam jactantiam spectat. Vnde extollentia oculorum est quidem quoddam signum superbiæ, sed ut excludit reverentiam, & timorem ; sicque non inde sequitur, ut humilitas ei contraria, in cognitione, cui inserviunt oculi, essentialiter

consistat; sicut nec quod eadem sit cum magnanimitate, quæ firmat animum contra difficultates, quæ accidunt in prosequutione magnorum, quanvis eadem sit virtus, quæ refrenat superfluum motum appetitus, & firmat animum contra superfluam retractionem, utpote cùm alia adhuc sit utriusque ratio, quatenus scilicet ratio firmandi animum contra desperationem per magnanimitatem est adeptio proprii boni; cùm tamen in reprimendo præsumptionem spei per humilitatem, sumatur præcipuè ratio ex reverentia ad Deum, respectu cujus importat præcipuè humilitas subjectionem. Cum quo tamen stat, quod qui non ex confidentia suarum virium, sed divini auxilii in majora tendit, non propterea faciat contra humilitatem; aliud enim est, ait
Lib. de poen. c. 1. Aug. se ad Deum levare, aliud se elevare contra Deum.

ART. 3. *Vtrum homo debeat se omnibus per humilitatem subjicere.* ℞. *Affirmativè*, in hoc scilicet sensu, quod id quod suum est, debeat cuilibet subjicere quantum ad id quod est Dei in illo, non autem quod vel id quod est Dei in ipso, subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero; vel etiam ut id quod suum est, subjiciat ei quod est hominis in proximo. *Primum est*, quia cùm humilitas propriè respiciat reverentiam, quâ homo Deo subjicitur, & hominis sit quidquid pertinet ad defectum in homine, Dei verò quidquid pertinet ad salutem & perfectionem, juxta illud, Perditio tua ex te, &c.
Oseæ 13. ideo & quilibet homo secundùm id quod suum est, debet se cuilibet subjicere, quantum ad id quod est Dei in ipso, in quo qui-

dem semper collocatur humilitas in parte veritatis, præferendo scilicet id quod est Dei in proximo, ei quod est proprium in nobis. Cum quo tamen stat, quod homo per humilitatem se homini subjiciendo, non propterea exhibeat homini quod debetur Deo; quandoquidem alia est reverentia quâ Deum veneramur, alia quâ homini nos subjicimus propter Deum, venerantes Deu in homine: tum etiam, quia humilitas, ut cæteræ virtutes, præcipuè interiùs in anima consistit, possit etiam secundùm interiorem actum animæ se alteri subjicere, absque eo quod occasionem habeat alicujus, quod sit in detrimentum suæ salutis; & quidem quanvis ex eo occasionem sumat peccandi, utpote cùm non sit tunc scandalum datum, cùm faciat quod debet; sed sumptum. *Secundum est*, quia licèt possit humilis reputare aliquid boni esse in proximo, quod in se non habet, & aliquid mali esse in se, quod non sit in proximo; non tamen requirit humilitas, ut quis quod est suum in seipso, subjiciat ei, quod est hominis in proximo; quia oporteret tunc, ut quilibet se existimaret magis peccatorem quolibet alio; cùm tamen dicat Paul. Nos naturâ Iudæi, & non ex gentibus peccatores: sed nec requirit, ut aliquis id quod est Dei in ipso, subjiciat ei, quod apparet esse Dei in altero; cùm Dei dona participantes, ea cognoscant se habere, juxta illud, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis; & sic possint absque præjudicio humilitatis dona quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei, quæ aliis apparent collata. Ad Gal. 2.

Vtrum humilitas sit pars modestiæ, vel ART. 4.

temperantia. ℞. *Affirmativè*, ita ut habeat humilitas similitudinem, quæ in assignando partes virtutibus attendi solet, esto quod à divina causetur reverentia, vel in alio sit subjecto, quàm temperantia. *Primum est*, quia cùm omnes virtutes refrenantes impetus aliquarum affectionum, vel actiones moderantes, quia in assignando partes virtutibus principalibus attenditur præcipuè similitudo quantum ad modum virtutis, ut dictum est, qui quidem modus in temperantia est moderatio impetus alicujus passionis; ideo cùm humilitas moderetur & reprimat motum spei in magna tendentis, sicut & mansuetudo motum iræ, habet propterea similitudinem, sicut & mansuetudo, unde dicatur pars temperantiæ, & quidem contenta sub modestia, in quantum scilicet nihil est aliud, quàm quædam moderatio spiritus. *Secundum est*, quia cùm virtutes theologicæ sint causæ omnium aliarum virtutum, ideò quod causetur humilitas ex Dei reverentia, non propterea tollit, quin pars sit temperantiæ, vel modestiæ; sed neque illud tollitur, eo quòd in alio sit subjecto, putà in irascibili, utpote cùm non ponatur pars propter materiam, sed propter modum: unde etiam fit, quod non sint magnanimitas, & humilitas, quæ in materia conveniunt, ejusdem virtutis partes, eo quòd in modo differant.

ART. 5. *Vtrum humilitas sit potissima virtutum.* ℞. *Negativè*, non quòd non potior sit omnibus ferè moralibus, sed ita quod postponi debeat virtutibus theologicis, tum etiam intellectualibus, quæ rationem respiciunt, & legali justitiæ. *Ratio utriusque partis est*,

quia cùm bonum humanæ virtutis in ordine rationis consistat, qui quidem principaliter attenditur respectu finis, tum secundariò prout secundùm rationem finis ordinantur ea quæ sunt ad finem; ita tamen quod hæc ordinatio sit essentialiter in ipsa ratione ordinante, participativè autem in appetitu per rationem ordinato, sed taliter quod hanc ordinationem facit justitia, præsertim legalis; ideò est quidem humilitas potior cæteris virtutibus, quatenus scilicet facit hæc hominem huic ordinationi esse subjectum quantum ad omnia, aliæ autem solùm quoad materiam specialem; est tamen postponenda & theologicis, necnon & aliis virtutibus intellectualibus, atque justitiæ, quanvis dicat Chrysost. de Pharisæo & publicano, Si mista delictis humilitas tam facilè currit, ut justitiam superbiæ conjunctam transeat, &c. utpote cùm justitia superbiæ conjuncta desinat esse virtus. Vnde humilitati quidem promittitur spiritualis exaltatio, non quòd sola eam mereatur, in quo casu esset potissima; sed quia ejus est proprium contemnere sublimitatem terrenam: sicut nec ideò Christus eam præcipuè commendavit, quasi potissimam, cùm potiores sint virtutes, quibus homo directè movetur in Deum; sed quia per eam maximè removetur impedimentum humanæ salutis, quæ sita est in hoc, quod homo ad cœlestia, & spiritualia tendat, à quo quidem impeditur, dum in terrenis magnificari studet. Cum quo tamen stat, quod si primum in acquisitione virtutum accipiatur per modum removentis prohibens, sic teneat humilitas primum

Luc. 14. Matt. 11.

locum, & ita vocetur fundamentum spiritualis ædificii, quatenus expellit superbiam, cui Deus resistit; non tamen si dicatur primum id per quod directè ad Deum acceditur; sic enim fides ex Apost. habet esse prima.

ART. 6. *Vtrum convenienter distinguantur secundùm B. Benedictum duodecim gradus humilitatis.* ℟. *Affirmativè*; si tamen assignentur humilitatis gradus, non per comparationem ad gradus hominum, sive diversas hominum conditiones; sed ex parte naturæ humilitatis, sive quantum ad id in quo essentialiter consistit, sive quantum ad cognitionem, qua regulatur, sive quantum ad principium, seu radicem utriusque. Quia cùm humilitas essentialiter consistat in appetitu, ut refrenat impetum animi, ne inordinatè tendat in magna; in quo quidem à cognitione regulatur, ut scilicet non se existimet supra id quod est; & utriusque radix sit reverentia ad Deum habita: ideo enumerando gradus per respectum ad illa tria, poni debet aliquid pertinens ad humilitatis radicem, scilicet ut Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcipit, quod spectat ad gradum duodecimum; tum aliquid pertinens ad appetitum, primò, ut homo non sequatur suam voluntatem; secundò, ut eam regulet secundùm superioris arbitrium; tertiò, ne ab hoc desinat propter dura & aspera, quæ quidem tria ordinatim à duodecimo ad nonum pertinent gradum: tum etiam poni debent & aliqua pertinentia ad existimationem hominis recognoscentis suum defectum: 1. ut eum recognoscat, & confiteatur: 2. ut ex ejus

consideratione se existimet indignum ad majora : 3. ut quantum ad hoc alios sibi præferat, quæ tria à nono ad sextum ponuntur: tum denique quia ex interiori dispositione humilitatis procedunt quædam exteriora signa in verbis, factis & gestibus; ideò & ponuntur in factis, ut homo non recedat in illis à via communi, quod pertinet ad quintum gradum ; tum alia duo in verbis, ut scilicet non præripiat homo tempus loquendi, quod spectat ad quartum, nec excedat modum loquendi, quod spectat ad secundum ; tandem alia duo in exterioribus gestibus, putà in reprimendo extollentiam oculorum, quod pertinet ad primum ; & in cohibendo exteriùs risum, & alia ineptæ lætitiæ signa, quod tertium constituit gradum. Qui tamen gradus, ad quos reducuntur hi quos ponit Anselmus, scilicet contemptibilem se cognoscere, quique humilitati adscribuntur, licèt ad alias pertineant virtutes ; quia ut unum vitium ex alio oritur, sic & actus unius virtutis ex actu alterius : ita ad invicem ordinantur, non quidem secundùm quod ad humilitatem pervenitur per gratiam, quo modo interiora præcedunt exteriora ; sed secundùm quod ad hoc adhibetur humanum studium, juxta quod homo priùs exteriora cohibet, ut hîc exponitur. *Secundum est*, quia per comparationem ad gradus hominum, qui quidem sunt vel majores, vel æquales, vel minores, tres solùm distinguuntur gradus, qui sunt sufficiens, scilicet subesse majori; abundans, respectu æqualis ; & respectu minoris, gradus qui dicitur omnis justitia: imò cùm secundùm hominum conditiones

mensura magnitudinis non sit determinata, nec etiam videtur determinari posse humilitatis gradus.

IN QVÆSTIONEM CLXII.

De superbia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum superbia sit peccatum. ℞. *Affirmativè*, ita quod peccatum sit secundùm id à quo, & ad quod significandum imponitur nomen superbiæ; esto quod sumpta materialiter, vel etiam ut simpliciter nominata à superexcessu, non sit peccatum. *Primum est*, quia ut dicit Isid. superbus dictus est, quia supervult videri quàm est, tendendo scilicet per voluntatem super id quod est: quod quidem peccatum est, seu adversans rationi rectæ, cùm hoc habeat recta ratio, ut voluntas uniuscujusque feratur in id, quod est proportionatum sibi; & quidem quanvis ibi appetatur excellentia, & consequenter divina similitudo, utpote cùm eorum quæ naturaliter appetimus, ratio sit ordinatrix, & ita vitiosus adhuc sit appetitus, si quis à regula rationis recedat in plus vel minus. Vnde & habet superbia nedum virtutem, sed etiam vitium sibi oppositum, sicut & alia peccata; quod quidem in defectum vergens propinquum est vitio pusillanimitatis, quod opponitur magnanimitati secundùm defectum: ita tamen, quod quia importat superbia superioritatem quandam, directiùs opponatur humilitati, sicut pusillanimitas quæ importat parvitatem animi in magna tendentis, directiùs opponitur magnanimitati. *Secundum est*, quia superbia sumpta materialiter, potiùs nominat abundantiam rerum, de quibus pos-

Lib. 10. Etym. cap. 18.

sunt

sunt homines superbire; prout autem simpliciter nominata à superexcessu, sic potest omne superexcedens superbia nominari, & ita repromittitur à Deo superbia quasi quidam bonorum superexcessus; in quo etiam sensu dicit Glossa Hieron. quod superbia est bona, & mala.

Vtrum superbia sit speciale peccatum. ART. 2.
℟. *Affirmativè*, ita quod secundùm id quod habet ex ratione proprii objecti, speciale sit, esto quod generalitatem quandam habeat secundùm redundantiam in alia peccata. *Primum est*, quia cùm sit superbia appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ideò & habet speciale objectum, unde propriam speciem sumat; quæ tamen inveniri potest in diversis materiis, cùm sit amor propriæ excellentiæ, quæ in diversis rebus invenitur. Vnde nec nisi solam humilitatem corrumpit directè, esto quod prout abutitur virtute, corrumpat omnes, sumendo scilicet ex omnibus occasionem superbiendi. Nec quod ait Aug. sine superbiæ appellatione nullum esse peccatum, intelligendum venit quantum ad actum interiorem, qui est contemptus præcepti; sed solùm quantum ad exteriorem, qui est transgressio; quæ quidem transgressio secundùm effectum, ut ignoranter occidere patrem, est quidem superbire contra Deum secundùm effectum, non tamen secundùm affectum. *Secundum est*, quia loquendo de generalitate secundùm redundantiam, quanvis non omnia vitia semper oriantur ex superbia, cùm non semper ex contemptu præcepta transgrediamur, possunt tamen omnia oriri, & quidem tum per se, in quantum om-

nia alia ordinantur ad finem superbiæ, qui est propria excellentia; tum indirectè, & per accidens, removendo prohibens, utpote cùm superbus contemnat divinam legem, quâ prohibetur à peccando.

ART. 3. *Vtrum superbia sit in irascibili, sicut in subjecto.* ℟. *Affirmativè*, ita tamen quod ibi irascibilis non tantùm propriè sumatur prout est pars appetitus sensitivi, sed etiam communiùs, prout in appetitu invenitur intellectivo. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm subjectum virtutis, vel vitii oporteat inquirere ex proprio objecto, quandoquidem non potest esse objectũ aliquod actus vel habitus, nisi quod est objectum potentiæ, quæ utrique subjicitur; ideò cùm proprium objectum superbiæ sit arduum, debet propterea superbia ad potentiam irascibilem pertinere; sed quia arduum non solùm invenitur in sensibilibus rebus, sed etiam in spiritualibus, ideò fit quod quanvis propriè subjectetur in irascibili propriè dicto, seu sensitivo; largè tamen etiam inveniatur in irascibili intellectivo minùs propriè dicto, eo quòd sub hac ratione distinctus non sit à potentia concupiscibili. Vnde cognitionem quidem affectivam veritatis directè impedit superbia: at speculativam, quæ ad vim solùm rationalem spectat, non nisi indirectè, causam scilicet subtrahendo, quatenus superbus neque Deo intellectum subjicit, ut ab eo veritatis cognitionem percipiat, neque ab hominibus addiscere dignatur. Sed nec ex hoc, quod quis ex consideratione defectus alterius inducatur ad superbiam, sequitur esse superbiam in ratione, sed solùm quod

aliqua ejus causa sit in ratione. Cum quo tamen stat, quod quia amor ex Aug. causat omnes alias animi passiones, proindeque & potest poni pro qualibet; ideo & hoc modo superbia dicitur esse amor propriæ excellentiæ, in quantum scilicet ex amore causatur inordinata præsumptio alios superandi. Lib. 14. de Civit. cap. 7.

Vtrum convenienter assignentur à Greg. quatuor superbiæ species, scilicet existimare bonum à seipso habere, sibi datum desuper credere pro suis accepisse meritis, jactare se habere quod non habent, & despectis cæteris singulariter velle videri habere quod habent. ℞. *Affirmativè*, ita quod ex eo quod est superbia immoderatus appetitus excellentiæ, quæ consequitur bonum habitum, in præfatas convenienter, atque sufficienter distinguatur species; quanvis non ita, quin plures adhuc distingui possint superbiæ gradus. *Primum est*, quia cùm bonum illud habitum quod consequitur excellentia, possit considerari vel secundùm se, quo quidem modo quo majus est bonum habitum, eo majorem consequimur excellentiam, ac proinde & tendimus per appetitum in excellentiam propriam ultra modum nobis convenientem (quod pertinet ad tertiam speciem,) dum nobis attribuimus majus bonum quàm habeamus; vel secundò considerari possit ex parte causæ, prout excellentius est, ut bonum insit alicui à seipso quàm ab alio, juxta quem modum cùm causa sui boni possit aliquis esse vel efficienter, vel meritoriè, sumuntur duæ primæ superbiæ species, dum scilicet æstimat quis non quidem bonum aliquod esse ART. 4.

in universali, quod non sit efficienter à Deo, & gratiam pro meritis hominibus dari, id enim pertineret ad infidelitatis speciem; sed dum hoc, vel illud bonum, quod ab alio habet, sic æstimat in particulari, ac si haberet à seipso, & ex propriis meritis: vel tertiò considerari possit bonum illud habitum ex parte modi habendi, prout excellentior aliquis redditur ex hoc, quod bonum excellentius aliis possidet; unde consequenter constituitur quarta superbiæ species, quæ est cùm aliquis despectis cæteris, singulariter vult videri: consequenter fit, quod in præfatas quatuor species distinguatur superbia convenienter, necnon sufficienter, cùm ad ingratitudinem, quæ spectat ad superbiam, ex Hieron. pertineant duæ primæ species; & præsumptuosè tendere in id quod supra se est, ad quartam, secundùm quam vult aliquis aliis præferri. *Secundum est*, quia loquendo de superbia secundùm progressum peccati, potest distingui superbia, ut etiam distinguit Anselmus, alia in corde, alia in ore, alia in opere; eandem verò considerando per oppositum ad duodecim gradus humilitatis, possunt in ea distingui duodecim gradus, qui sunt ex Bern. curiositas mentis, lenitas, inepta lætitia, jactantia, non quoad exteriorem actum, sub qua ratione ponitur species mendacii, sed quantum ad interiorem: tum singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, & peccandi consuetudo.

ART. 5. *Vtrum superbia sit peccatum mortale.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non dentur aliqui superbiæ motus solùm veniales, sed

ita quod ex genere suo mortalis sit. *Primum est*, quia cùm superbia, quæ humilitati opponitur, respiciat directè defectum subiectionis ad Deum, quam propriè respicit humilitas, quatenus scilicet se extollit superbus supra id quod est sibi præfixum ex divina regula vel mensura; ideò cùm genus illud peccati mortale sit, utpote quod est averti à Deo, est etiam superbia secundùm genus suum mortale peccatum, contrarians dilectioni Dei, prout non subjicit se superbus divinæ regulæ, ut oportet; & quandoque dilectioni proximi, ut ei se inordinatè præfert. Vnde & eam vocat Greg evidentissimum reproborum signum. Lib. 34. Mor. cap. 22. Ita tamen quod cùm superbia non sit ex se universale peccatum, sed per quandam redundantiam, non propterea omnia alia peccata, etiam mortalia sint, sed solùm quando oriuntur ex superbia completa: necnon & oriri possit superbia ex virtutibus, non quidem ut est causa per se, sed per accidens, prout scilicet quis ex virtutibus occasionem sumit superbiæ. Nil enim prohibet esse unum contrarium causam alterius per accidens. *Secundum est*, quia sicut in aliis peccatis, quæ ex genere suo mortalia sunt, sunt aliqui motus, qui sunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, seu quia præveniunt judicium rationis, aut consensum, nihil etiam prohibet idem accidere in superbia.

Vtrum superbia sit gravissimum peccatorum ex genere suo. ℞. *Affirmativè*, non quidem ex parte conversionis ad bonum commutabile; sed ex parte aversionis à Deo. ART. 6. *Primum est*, quia cùm id quod est per se,

sit potius eo, quod est quasi consequenter, & per aliud; & aversio à Deo, quæ quidem est formalis & completiva ratio peccati, se habeat quasi consequenter & propter aliud in aliis peccatis, utpote in quibus homo avertitur à Dei præceptis vel ob ignorantiam, vel ob infirmitatem, vel desiderium cujuscumque boni; cùm tamen per se pertineat ad superbiam, cujus quidem actus est Dei contemptus: quo fit ut etiam Deus specialiter resistat superbis, & ut ait Boët. sola superbia se Deo opponat, alia autem vitia fugiunt à Deo; ideò fit, quod superbia sit ex suo genere gravissimum peccatorum, & quidem quanvis difficillimè caveatur, utpote quæ etiam bonis operibus insidiatur ut pereant, ut ait Aug. Cùm enim non ita difficilè vitetur propter vehementiam impugnationis, in quo casu minueretur gravitas, sed potiùs propter latentiam, quia etiam ex ipsis bonis occasionem sumit, nec etiam est propterea minùs gravis. Cum quo tamen stat, quod Deus aliquando ad convincendam hominum superbiam puniat aliquos, permittendo eos ruere in peccata carnalia, non quòd sint majora, sed quia manifestiorem continent turpitudinem, ut per ea humiliati à confusione consurgant, & à superbia sanentur; ex quo etiam patet ipsius superbiæ gravitas. *Secundum est*, quia cùm celsitudo, ad quam superbus inordinatè convertitur, non habeat ex se repugnantiam maximam ad bonum virtutis, ideò nec est superbia ex parte conversionis maximum peccatorum, sicut nec est humilitas cui opponitur, virtutum maxima; oppositio namque vitii

ad virtutem attenditur secundùm obje-ctum, quod quidem consideratur ex parte conversionis.

Vtrum superbia sit primum omnium peccatorum. ℟. *Affirmativè*, non quòd peccatũ quodlibet singulariter ex superbia oriatur, sed quia quodlibet peccati genus natum est ex superbia oriri. *Primum est*, quia cùm illud quod est per se, sit primum in quolibet genere;& aversio à Deo, quæ formaliter complet rationem peccati, pertineat ad superbiam per se, ad alia autem peccata ex consequenti; ideò & habet rationem primi, & nata est esse principium omnium peccatorum, & quidem quanvis humilitas non sit prima virtutum, utpote cùm non oporteat eundem esse ordinem vitiorum & virtutum, quandoquidem est fides prima virtus, & è contra infidelitas ultimum pecatum. Vnde nec dicitur apostatare esse superbiæ humanæ initium, quasi aliud peccatum à superbia existens; sed quia est prima superbiæ pars. Nec ponit Arist. superbiam circa fictionem fortitudinis, quæ quidem fictio posterior est ad veritatem, quasi solùm in hoc consistat; sed quia per hoc maximè reputat, se posse excellentiam consequi. *Secundum est*, quia ut ait Aug. multa perperam fiunt, quæ non fiunt superbè; & insuper ante superbiam sunt aliqua peccata leviora, quæ etiam ex ignorantia, vel ex infirmitate committuntur, adeò ut non nisi inter peccata graviora sit superbia primum, sicut causa per quam alia peccata aggravantur. ART.7.

Vtrum superbia debeat poni vitium capitale. ℟. non tam dici debere capitale vi- ART.8.

tium, quàm matrem & reginam omnium vitiorum; si tamen consideretur non secundùm se, sed secundùm quod habet quandam universalem influentiam in alia. *Ratio utriusque partis est*, quia cum capitalia vitia sint quædam specialia peccata, ex quibus multa peccatorum genera oriuntur; ideò considerata superbiâ secundùm se, & ut speciale peccatum, ut ipsam considerarunt Isidorus, & Cassianus, poni quidem potest inter capitalia vitia; sed quia potest considerari secundùm quandam universalem influentiam in omnia vitia, ut dictum est, & quidem etiam in inanem gloriam, cum qua idem non est, sed magis causa ejus, utpote cùm superbia excellentiam inordinatè appetat, & inanis gloria appetat excellentiæ manifestationem; ideò eam ita
Artic. 2. hujus q. considerans Gregor. reginam potiùs, & matrem omnium vitiorum appellavit, seu aliquid principalius & invidiâ, & aliis capitalibus vitiis.

IN QVÆSTIONEM CLXIII.

De peccato primi hominis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum primi hominis peccatum fuerit superbia. ℞. *Affirmativè*, ita quod in hoc fuerit primum peccatũ hominis, quod quoddam appetierit spirituale bonum supra suam mensuram, esto quod etiam gula in peccato parentum habuerit locum. *Primum est*, quia cùm ibi fuerit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus inordinati finis appetitus, utpote quia inter motus concurrentes ad peccatum ille habet rationem primi peccati, in quo priùs inordinatio invenitur, quæ quidem priùs est in motu interiori animæ, inter quos

motus priùs movetur appetitus in finem, quàm ad ea, quæ sunt ad finem; ideò cùm prior ille inordinatus appetitus finis non potuerit esse in statu innocentiæ, ex eo quod appetierit homo aliquod sensibile bonum, quia ibi nulla erat rebellio carnis ad spiritum; sed tantùm quia spirituale bonum, qualis est propria excellentia, inordinatè appetiit, quod non fuisset si appetiisset secundùm mensuram à divina regula præstitutam; propterea & in hoc, quod quidem pertinet ad superbiam, primò peccavit. Vnde & inobedientia in primo homine fuit causata à superbia, cùm non fuerit per se volita, nec potuerit inobedire nisi præsuppositâ inordinatione voluntatis; & appetitus scientiæ caussatus fuit in primis parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ; & ideò priùs dixit serpens, *Eritis sicut dii*; posteà, *Scientes,&c.* Sed nec verbis serpentis credidisset mulier, ut ait Aug. à bona atque utili re se fuisse prohibitos, nisi jam fuisset in mente amor propriæ potestatis, & quædam de se inordinata præsumptio; non ita quod præcesserit superbia suasionem serpentis, sed quia statim est subsequuta, ex qua propterea factum est, ut crediderit verum esse, quod dæmon dicebat. *Secundum est*, quia cùm dicat Scriptura, quod vidit mulier quod lignum esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, & tulit de fructu ejus,&c. ideò etiam gula locum habuit in peccato primorum parentum, juxta quod dicit Ambr. quod eo ordine diabolus Christum tentavit, dicendo scilicet, *Dic ut lapides isti panes fiant*, quo primum hominem devicit: ita tamen

quod non ipsa cibi pulchritudo fuerit primum motivum, sed potiùs suasio serpentis, qui dixit : ***Eritis sicut dii.*** Vnde & prior fuit superbia, quàm gula.

ART. 2. *Vtrum superbia primi hominis fuerit in hoc, quod divinam appetierit similitudinem.* ℞. *Affirmativè*, si tamen sermo sit de similitudine imitationis, non de similitudine æquiparantiæ. *Primum est*, quia cùm bonum creaturæ sit participata similitudo primi boni, proindeque ex hoc quod appetiit homo aliquod bonum spirituale supra suam mensuram, hoc ipso appetierit divinam similitudinem inordinatè participare, & imitari; ideò cùm hujusmodi fuerit superbia primi hominis appetentis bonum spirituale supra suam mensuram, ut scilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret sibi quid esset bonum, & quid malum ad agendum, vel etiam ut per seipsum præcognosceret quid esset boni, aut mali sibi futurum; in hoc propterea fuit superbia primi hominis, quod divinam appetiit similitudinem per imitationem, non tamen quoad esse naturæ, utpote quæ similitudo fuit homini, & Angelo impressa à creationis principio, sed principaliter quantum ad scientiam boni & mali: cujus quidem scientiæ appetitus licèt sit homini connaturalis, est nihilominus peccatum, si sit supra mensuram appetentis: tum secundariò quantum ad potestatem propriam operandi, quam quidem potestatem nec Angelus, nec homo actu accepit, quia utrique aliquid restabat agendum, quo ad beatitudinem perveniret. *Secundum est*, quia cùm similitudo æquiparantia ad Deum non cadat in apprehensione,

præcipuè ſapientis, juxta illud, Quis ſimilis tui in fortibus Domine? nec etiam hanc primi parentes appetierunt.

Vtrum peccatum primorum parentum fuerit cæteris gravius. ℞. *Negativè*, non quòd non fuerit graviſſimum ſecundùm quid, ſive ſecundùm circumſtantiam perſonarum peccantium; ſed ita quod ſint alia ſimpliciter, ſeu ſecundùm ſpeciem peccati graviora. *Primum eſt*, quia licèt ſuperbia ſecundùm genus ſuum quandam habeat excellentiam inter alia peccata; loquendo tamen ſecundùm ſpeciem, ex qua quidem fit denominatio ſimpliciter, major & gravior eſt ſuperbia, quâ quis Deum negat, vel blaſphemat, quàm ſuperbia, quâ quis inordinatè divinam appetit ſimilitudinem; ſicque ſunt alia ſimpliciter graviora peccata peccato primi parentis, & quidem quanvis habeat rationem primi, ſitque graviſſimè punitum, utpote cùm in his ſolùm, quæ ſunt per ſe ordinata, oporteat primum eſſe maximum; qui tamen ordo non attenditur in peccatis, in quibus unum per accidens ex alio ſequitur: nec magnitudo pœnæ, quæ conſequuta eſt primum peccatum, non correſpondeat ei ſecundùm quantitatem propriæ ſpeciei, ſed in quantum fuit primum, ex quo ſubtracta eſt innocentia, unde deordinata eſt tota natura. *Secundum eſt*, quia propter perfectionem ſtatus, unde penſatur circumſtantia ſeu conditio peccantis, maximam habuit peccatum parentum gravitatem, juxta illud Aug. Magna fuit in peccando iniquitas, ubi tanta fuit in non peccando facilitas. 14 de civit. Dei, cap. 15.

ART. 3.

Vtrum peccatum Adæ fuerit gravius, quàm ART. 4.

peccatum Evæ. ℞. *Negativè*, quin imò loquendo simpliciter, seu secundùm peccati speciem, fuit peccatum Evæ gravius, esto quod gravius fuerit peccatum Adam secundùm quid, seu ex conditione personæ. *Primum est*, quia quantum ad speciem superbiæ, & major elatio fuit in muliere, quæ quidem credidit verum esse quod serpens suasit, scilicet quod Deus prohibuerit ligni esum, ne ad ejus similitudinem pervenirent, & ita per esum ligni Dei similitudinem contra ejus voluntatem consequi voluit; cùm tamen vir non crediderit, & sic noluerit similitudinem Dei contra ejus voluntatem obtinere, sed peccaverit solùm, dum eam per seipsum consequi voluit; & peccavit mulier, necnon induxit ad peccandum, & ita offendit Deum, & proximum; & ex hoc etiam diminutum est peccatum viri, quod amicabili quadam benevolentia in peccatum consensit. Vnde & graviùs etiam mulier punita fuit; & quidem quanvis peccaverit seducta, utpote cujus seductio ex præcedenti elatione subsequuta est.: quo fit ut non excuset talis ignorantia peccatum, sed magis aggravet, prout ignorando in majorem se erexit elationem. *Secundum est*, quia etsi quantum ad genus peccati dicatur utriusque peccatum æquale, quia utrumque superbia est; quia tamen erat vir perfectior muliere, ideo & ex conditione personæ, sive secundùm quid graviùs peccavit; non tamen usque ad peccatum in Spiritum sanctum, cùm non cogitaverit de divina misericordia usque ad contemptum divinæ justitiæ, sed potiùs, ut ait Aug. inexpertus divinæ severitatis illud crediderit veniale, seu de facili remissibile.

11. super Gen. ad litt.

IN QVÆSTIONEM CLXIV.

De pœnis peccati primi hominis.

VTrum mors sit pœna peccati primorum parentum. ℟. Affirmativè, non quòd non sit mors naturalis propter conditionem materiæ, sed ita quod pœnalis sit propter amissionem divini beneficii præservantis à morte. *Primum est*, quia cùm carentia beneficii sit pœna culpæ, ubi ob culpam privatur beneficio sibi dato; & homo per peccatum primorum parentum fuerit privatus beneficio, quo interiores vires subjiciebantur rationi, & corpus animæ, ex cujus quidem privatione orta est rebellio carnalis appetitus ad rationem, & factum est ne corpus totaliter subjiciatur animæ, ex quo mors, & alii corporales defectus oriuntur; ideò sicut rebellio carnalis appetitus ad spiritum est pœna peccati primorum parentum, ita & mors, & omnes corporales defectus; & quidem taliter, quod quia primi parentes fuerunt à Deo instituti ut quædam principia humanæ naturæ ab eis ad posteros derivandæ cum dono præservationis à morte, ideò tota natura per eorum peccatum tali dono destituta mortem incurrerit. Vnde & est mors à Deo, ut est quoddam malum humanæ naturæ, non quidem ut defectus ex culpa humana, sed ut quædam justa pœna, quæ habet rationem boni, quæque talis est, quanvis pœna, quòd quia Sancti eâ bene utuntur, fiat ei meritoria, eo quòd ut mali malè utuntur bonis, ita & boni benè utantur malis. Cum quo tamen stat, quod quia defectus peccatum consequens tunc solùm debet esse æqualis in his ad quos æqualiter pertinet peccatum, ubi

ARTICVLVS PRIMVS.

consequitur per modum pœnæ taxatæ à judice; non autem ubi consequitur per accidens, ut patet dum quis suâ culpâ excæcatus cadit in via; ideò quia hujusmodi sunt mors, & aliæ corporeæ pœnalitates ex peccato primorum parentum natæ, quandoquidem pœna taxata primo peccato fuit subtractio beneficii, quo rectitudo, & integritas humanæ vitæ conservabatur, quam quidem subtractionem sequitur mors quasi per accidens, hinc etiam alii citiùs, alii graviùs moriantur. *Secundum est*, quia cùm naturale dicatur, quod ex principiis naturæ causatur; & materia hominis, quod est unum ex principiis, sit corpus tale, quod est ex contrariis compositum, ad quod sequitur ex necessitate corruptibilitas; ideò & est mors ex conditione materiæ homini naturalis, proindeque non nisi propter amissionem doni præservantis à morte pœnalis; & quidem pœnâ afflictivâ sensus, si accipiatur non pro privatione vitæ, & pro instanti, quo quis privatur vitâ, cùm sit potiùs tunc privatio sensus, & solùm pœna damni; sed cum alteratione præcedenti.

ART. 2. *Vtrum convenienter particulares pœnæ primorum parentum determinentur in Scriptura.* ℞. *Affirmativè*, ita quod convenienter puniti sint, & quantum ad hoc quod eis subtractum est, quod integritatis statui cōpetebat, locus scilicet terrestris paradisi; & quantum ad hoc, quod attributa sunt eis ea quæ naturæ conveniunt beneficio integritatis destitutæ. *Primum est*, quia cùm primi parentes propter suum peccatum privati sint beneficio, quo naturæ integritas conservabatur; ideò & meritò privati sunt

loco, qui naturæ integræ erat conveniens, & ne illuc redirent, positus est Angelus custos, & quidem Cherubim cum gladio igneo, quatenus scilicet paradisi locus videtur esse inaccessibilis propter vehementiam æstus ex propinquitate solis, quod significatur per gladium igneum, qui quidem sic dicitur propter proprietatem motus circularis hujusmodi æstum causantis; & ministerio Angelorum disponitur motus corporalis creaturæ, unde & dicitur adjungi Cherubim: ita tamen, quod adhuc convenienter servetur locus ille, quanvis non amplius serviat homini ad usum, utpote qui adhuc servit ad documentum, dum cognoscit propter peccatum talem amisisse locum. *Secundum est*, quia quantum ad ea, quæ naturæ conveniunt beneficio integritatis destitutæ, puniti sunt & quantum ad corpus, & quantum ad animam; mulier quidem quantum ad corpus, quo viro conjungitur, tum ratione prolis, in ferenda scilicet & parturienda prole cum dolore, quod quidem non habuisset in statu innocentiæ, in quo, ut ait Aug. non doloris gemitus ad parturiendum, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret; sicut ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utriusque conjungeret: ex quo etiam fit, quod multitudo conceptuum inducatur in pœnam mulieris, non propter procreationem prolis, sed propter multitudinem afflictionum, quas mulier patitur, quæque omnibus aliqualiter conveniunt, quandoquidem si quæ mulier non concipit, neque parit, patitur sterilitatis defectum, qui etiam præponderat

prædictis pœnis: tum insuper ratione conversationis, quatenus scilicet facta est mulier subjecta viro, non quidem quantum ad regimen, quod etiam fuisset ibi, sicut & ibi germinasset terra spinas & tribulos in cibos animalium, non in pœnam hominum; sed quia nunc mulier contra propriam voluntatem necessariò debet viro parêre. Similiter & viro cui competit providere necessariis, imposita fuit pœna quantum ad corpus per terræ sterilitatem, laboris anxietatem, & per impedimenta, quæ ex terra nascuntur, quæque etiam agriculturam non exercentes affligunt, utpote qui in aliis laboribus occupantur: sicut & utrique ex parte animæ confusio ob rebellionem carnis ad spiritum, tum increpatio propriæ culpæ; ita tamen quod verba illa, *Ecce Adam quasi unus ex nobis, &c.* non tam sint primis parentibus insultantis, quàm cæteros, ne ita superbiant, deterrentis: tum denique commemoratio futuræ mortis, tunicis etiam pelliceis designata: quæ quidem tunicæ, sive vestitus, cùm necessarius sit in hac vita, & propter nocumentum extrinsecè illatum, & ad tegendam turpitudinem propter rebellionem carnis ad spiritum; quæ duo non fuissent in statu innocentiæ; ideò & post peccatum convenienter factæ sunt eis tunicæ, sicut & convenienter dicitur, quod aperti sunt eorum oculi, non quòd essent clausi, sed quia intellexerunt aliquid, quod priùs non intelligebant, scilicet ad invicem concupiscendum.

IN QVÆSTIONEM CLXV.

De tentatione primorum parentum.

VTrum fuerit conveniens, ut homo tentaretur à diabolo. ℞. Affirmativè, ita quod conditioni humanæ naturæ cōgruum fuerit, ut Deus hominem in statu innocentiæ & tentari permitteret per angelos malos, & juvari eum faceret per bonos. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm dicatur divina sapientia disposuisse omnia suaviter, prout attribuit singulis quæ eis competunt secundùm suam naturam; & humanæ naturæ conveniat, ut ab aliis creaturis juuari, & impediri possit, ad differentiam angelicæ, quæ quidem non habet naturam supra se, in qua esset malum culpæ; ideò & ei congruum fuit, ut Deus hominem in statu innocentiæ tentari permitteret per malos angelos, sicut & juvari per bonos; & hoc maximè, quia homo in eo statu poterat absque omni difficultate tentationi resistere (quo fit ut quanvis Deus sciret, quod homo per tentationem in peccatum dejiceretur, adhuc tamen eum tentari permiserit,) ac proinde impugnatio tentationis ei in eo statu pœnalis non fuit, nec propterea præcessit ibi pœna culpam. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fuerit conveniens modus & ordo prima tentationis. ℞. *Affirmativè*, ita quod & conveniens fuerit incitamentū per scientiæ adeptionem, atque per esum pomi ligni vetiti; & conveniens fuerit tentatio viri per mulierem, & mulieris per serpentem. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm constet homo naturâ sensitivâ & intellectivâ, ideò & convenienter usus est diabolus hoc duplici incitamento, ex parte scilicet intelle- ART. 2.

ctus scientiæ adeptione, in qua promisit divinitatis similitudinem; & ex parte sensus proponens pomum ligni vetiti, quod quidem est de genere propinquo ad edendum; sed insuper & congruè fuit tentatus vir per mulierem, prout habentem affinitatem cum homine, nedum in genere, sed & in specie, & quidem quanvis imperfectiorem viro, utpote quæ ibi solùm habuit rationem instrumenti, quod non oportet esse potius; quin imò, quia infirmior, magis seduci poterat, & propter conjunctionem ad virum magis seducere: tum etiam congruè tentata mulier per serpentem, seu ab exteriori, propterea quod cùm haberet tunc diabolus minimum potestatis in homine ante peccatum, nec etiam potuit tunc interiori suggestione immutare, immutatione scilicet phantasiæ, sed solùm exteriori; & quidem per serpentem, non quem ad hoc elegerit: sed cùm esset in illo decipiendi cupiditas, ait Aug. per illud animal potuit, per quod posse permissus est. Ita tamen quod ibi serpens dictus sit sapiens, vel callidus, propter astutiam diaboli, qui in illo agebat; & quod de serpente dicitur, refeatur ad eum, qui per serpentem est operatus: & juxta illud, *pectore & ventre repes*, per pectus, in quo dominatur impetus animi, significetur superbia; per ventrem autem carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore, iisque rebus serpit ad eos, quos vult decipere: tum horum verborum, *terram comedes*, sensus sit, quod ii ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis: ac denique dictum sit, *inimicitias ponam inter semen tuum, & semen mulieris*;

11. super Genes. c.29.

quia ſemen diaboli eſt perverſa ſuggeſtio; ſemen verò mulieris, fructus boni operis, quod perverſæ ſuggeſtioni reſiſtit.

IN QVÆSTIONEM CLXVI.

De ſtudioſitate.

VTrum *materia ſtudioſitatis ſit propriè cognitio.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non reſpiciat quæcumque alia, ad quæ operanda directione cognitionis indigemus; ſed ita quod propriè, & per prius reſpiciat cognitionem. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm virtutes propriè illam ſibi attribuant materiam, circa quam primò & principaliter ſunt, & ſtudium priùs applicetur ad cognitionem, utpote quod importat præcipuè applicationem mentis ad aliquid, quæ non applicatur, niſi cognoſcendo illud; ideo adhibetur quidem ſtudium cuicumque materiæ, etiam his, quæ ad avaritiam ſpectant, prout in his eſt maximè neceſſaria quædam peritia terrenarum rerum; ſed quia nihil poteſt fieri rectè, niſi ſecundùm quod eſt præordinatum per rationem cognoſcentem, ideò & propriè, & per priùs ſibi attribuit cognitionem pro materia, adeò ut ipſa etiam curioſitas, quæ ſtudioſitati opponitur, non ponatur circa ea, quæ ad corpus pertinent, niſi ratione eorum quæ pertinent ad cognitionem, cùm hominis cognitio ſit etiam circa ea, quibus fovetur caro. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſtudioſitas ſit pars temperantiæ. ℞. *Affirmativè*, non quidem quantum ad id ex quo nominatur, ſed quantum ad id, quod ei eſſentialiùs competit. *Primum eſt*, quia cùm ad temperantiam pertineat moderari motus appetitus, ne ſuperfluè tendat in id ART. 2.

quod naturaliter concupiſcitur ; & ſicut homo naturaliter concupiſcit delectationes ciborum,&c. ita ſecundùm animam naturaliter deſideret ſcire & cognoſcere aliquid ; ideò cùm moderatio hujus appetitus pertineat ad virtutem ſtudioſitatis , & quidem eſſentialiùs,cùm appetitus cognoſcendi per ſe reſpiciat cognitionem , ad quam ordinatur ſtudioſitas,conſequenter ſit,quod quātum ad eſſentialius temperantiam imitetur in modum , proindeque & pars ejus ſit potentialis, ſive adjuncta virtus, & quidem moralis, quanvis bonum , quod eſt in cognitione,quantum ad actum cognoſcendi ad virtutes pertineat intellectuales , utpote cùm adhuc quantum ad appetitum rectum in applicatione virtutis cognoſcitivæ pertineat ad ſtudioſitatem. *Secundum eſt*,quia nominatur ſtudioſitas ex hoc,quod laus ipſius etiam conſiſtit in quadam vehementia intentionis ad ſcientiam rerum percipiendam , in quo quidem non habet aſſimilari temperantiæ , quæ potiùs in refrenatione conſiſtit.

IN QVÆSTIONEM CLXVII.

De curioſitate.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum circa cognitionem intellectivam poſſit eſſe curioſitas. ℞. *Affirmativè*,non quòd cognitio veritatis ſecundùm ſe bona non ſit, ſed quia poteſt quis inordinatè cognitionem veritatis appetere, vel etiam ea abuti ad malum. *Primum eſt*,quia quantum ad ipſum appetitum cognoſcendi , circa quem directè verſatur ſtudioſitas , poteſt eſſe inordinatio , & ex hoc quod per ſtudium minùs utile retrahitur quis à ſtudio, quod ei ex neceſſitate incumbit , & prout

ſtudet addiſcere ab eo, à quo non licet, ut qui futura à dæmone inquirit; & quando homo cognitionem veritatis ad debitum finem non refert, juxta quod dicit Apoſt. Videte ne quis vos ſeducat per Philoſophiam; non quòd non ſit ſtudium ejus ſecundùm ſe laudabile, ſed quia aliqui eo abutuntur vel ad fidei impugationem, vel ex ea ſuperbiendo, nec illud ordinando ad ſummum bonum hominis, quod quidem non conſiſtit in qualibet cognitione veri, ſed in cognitione perfecta ſummæ veritatis. *Secundum eſt*, quia cùm quæcumque abundantia cognitionis à Deo ſit, & in ea Deo aſſimiletur, juxta illud Eccleſ. 1. Omnis ſapientia à Domino Deo eſt; necnon & illud, Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus: ideò non poteſt cognitio veritatis non eſſe bona ſecundùm ſe. Coloſſ. 2. Ad Hebr. 4.

2. *Vtrum vitium curioſitatis ſit circa ſenſitivam cognitionem.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ſtudium circa ſenſibilia cognoſcenda poſſit eſſe vitioſum, non quidem prout ſit vel propter neceſſitatem naturæ ſuſtentandæ, vel propter ſtudium intelligendæ veritatis; ſed in quantum vel non ordinatur ad aliquid utile, vel ordinatur ad aliquod noxium. *Ratio utriuſquè partis eſt*, quia cùm cognitio ſenſitiva, tam in hominibus, quàm in aliis animalibus ordinetur ad vitæ ſuſtentationem, quatenus vitantur per ea nociva, & neceſſaria perquiruntur, & in homine ſpeciatim ordinetur ad cognitionem intellectivam; ideò cognitioni ſenſibilium ita ordinatè intendere, eſt quidem virtuoſa ſtudioſitas; ſed etiam poteſt eſſe vitioſum, prout ſcilicet vel non ordinatur ad ART. 2.

aliquid utile, sed potiùs hominem avertit ab utili consideratione; vel in quantum ordinatur ad aliquid noxium, ut aspectus mulieris ad concupiscendum, ut docent Aug.& Beda. Unde & inspectio spectaculorum redditur vitiosa, prout per hoc fit homo pronus ad vitia vel lasciviæ, vel crudelitatis, per ea quæ ibi repræsentantur; & vitiosum est facta aliena inquirere ad despiciendum, vel detrahendum, esto quod sit laudabile, ex Paulo, si fiat bono animo ad propriam utilitatem. Cum quo tamen stat, quod quanvis circa delectationem cognitionis omnium sensuum sit præfata curiositas, quæ quidem vocatur concupiscentia oculorum, quia oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principales; circa tamen delectationem tangibilium & gustabilium sit non curiositas, sed luxuria & gula, utpote quæ delectationes sunt potiùs in ipso usu rerum tangibilium.

Aug. lib. de vera Relig. cap. 38. Beda in 1. Ioan. 2. Hebr. 10.

IN QUÆSTIONEM CLXVIII.

De modestia, prout consistit in exterioribus corporis motibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum in exterioribus motibus corporis sit aliqua virtus. ℞. *Affirmativè*, ita quod habeant exteriores motus unde exerceatur moralis virtus, imò & ad duas virtutes reduci possit eorum moderatio. *Primum est*, quia cùm virtus moralis exerceatur circa ea, quæ sunt in homine ordinabilia per rationem; & hujusmodi sint exteriores motus, utpote quia ad rationis imperium exteriora moventur membra; & insuper sunt quædam signa interioris dispositionis, juxta dictum illud Ambrosij, quod mentis habitus cernitur in corporis statu:

In 1. de offic. cap. 18.

ideò & habent præfati motus unde exerceatur moralis virtus, & quidé quanvis homo ex naturali diſpoſitione habeat aptitudinem ad hanc, vel illam diſpoſitionem exteriorum motuum; quandoquidem in eo, in quo natura deficit, poteſt (ait Ambr.) induſtria ſupplere, ſcilicet per virtutem. *Secundum eſt*, quia in quantum per exteriores motus ordinamur ad alios, pertinet eorundem moderatio ad amicitiam vel affabilitatem, quæ attenditur circa delectationes & triſtitias, quæ ſcilicet ſunt in verbis, & factis in ordine ad alios, quibus convivimus: in quantum verò exteriores motus ſunt ſigna interioris diſpoſitionis, eorum pertinet moderatio ad virtutem veritatis, ſecundùm quam aliquis talem ſe exhibet in verbis & factis, qualis eſt intus, juxta quod dicit Ambroſ. circa ſtudium illud exteriorum motuum: Ars quidem deſit, ſed non deſit correctio.

Vtrum in ludis poſſit eſſe aliqua virtus. **ART. 2.**
℞. *Affirmativè*, ita quod & dictis, vel factis, in quibus non quæritur niſi animalis delectatio, neceſſe ſit interdum uti; & ut ſecundùm regulam ordinentur, neceſſarius ſit virtutis habitus. *Primum eſt*, quia cùm homo ut indiget corporali quiete ad corpus refocillandum, ita & ex parte animæ, utpote cujus virtus eſt finita, & conſequenter ad certas, & determinatas operationes proportionata: ideò cùm quies animæ ſit delectatio animalis in dictis vel factis, quæ quidem dicitur ludicra, quando nil quæritur præter delectationem, eo quòd in ea intermittitur intentio ad inſiſtendum ſtudio rationis, propterea fit, quod hujuſ-

modi ludicra delectatione interdùm uti liceat: quod etiam confirmat exemplum D.
Coll. 24. Ioannis, ut in collatione Patrum legitur.
Lib. 1. Vnde non propterea excludit Ambr. uni-
off. c. 21. versaliter jocos à conversatione humana, cùm dicit omnes jocos declinandos; sed à doctrina sacra, ut patet ex antecedentibus: nec nisi de inordinatis ludis intelligitur, quod ait Chrysost. scilicet, quod non dat Deus ludere, sed diabolus: operationes namque ludi, licèt secundùm speciem suam non ordinentur ad aliquem finem; ipsa tamen delectatio, quæ in talibus habetur actibus, ordinatur ad aliquam animæ recreationem & quietem, quod quidem sufficit ad virtutem. *Secundum est*, quia cùm tria hæc circa ludos caveri debeant; 1. ut delectatio non quæratur in operationibus & verbis turpibus, vel nocivis; 2. ut congruat personæ, tempori, & aliis circumstantiis; 3. ne totaliter resolvatur gravitas animæ: ideò & opus est, ut secundùm rationis regulam ordinentur, quod quidem ad virtutem moralem pertinet, & in præsenti ad eutrapeliam, quam ita nominat Arist. à bona conversatione, quatenus benè convertit quis aliqua dicta, vel facta in solatium.

ART. 3. *Vtrum in superfluitate ludi possit esse peccatum.* ℞. *Affirmativè*, & quidem mortale, si propter vehementiam affectus ad ludum non refugiat aliquid agere contra Dei, vel Ecclesiæ præceptum; veniale verò, si non tantum afficiatur ad ludum. *Ratio est*, quia cùm in omni eo, quod est ratione dirigibile, superfluum dicatur, quod regulam rationis excedit, in quo quidem consistit
ratio

ratio peccati; & ludicra verba, vel facta sint ratione regulabilia, & regulanda, ut dictum est: ideò & superfluum in ludis attenditur in vitioso illo excessu, quod quidem accidit vel ex ipsa specie actionum, ut cùm quis utitur verbis aut factis turpibus, vel his quæ proximo nocent, quod est mortale; vel ex defectu debitarum circumstantiarum, ut temporis, loci, personæ, quod quidem potest esse modo exposito & mortale & veniale, reducendum ad ineptam lætitiam, quam Greg. ponit filiam gulæ. Vnde quæ per solam intentionem peccata sunt, ut quæ fiunt ex intentione injuriandi, habent equidem excusari per ludum, qui intentionem ad delectationem vertit; sed non illa, quæ suâ naturâ sunt peccata, quin imò ex his redditur ludus flagitiosus. Cum quo tamen stat, quod officium histrionum, quod odinatur ad solatium hominibus exhibendum, non sit ex se illicitum, nec ipsi sint in statu peccati, esto quod in rebus humanis non alio utantur officio in comparatione ad homines; si tamen moderatè ludo utantur, adeò ut alias habeant seriosas operationes ad Deum, & ad seipsos; quandoquidem ad ea quæ sunt conversationi humanæ utilia, aliqua possunt licita officia deputari.

Vtrum in defectu ludi sit aliquod peccatum. ℟. *Affirmativè*, ita quod contra rationem sit, quod quis nihil delectabile exhibeat, nec moderatas aliorum delectationes recipiat; quanvis non ita, quin adhuc magis vitiosus sit superexcessus ludi, quàm defectus. *Primum est*, quia contra rationem est, ut aliquis se aliis onerosum exhibeat, Art. 4.

unde dicit Seneca, Sic te geras ſapienter, ut nullus te habeat tanquam aſperum, nec contemnat quaſi vilem; quales tamen ſe exhibent, agreſtes ſcilicet, duros & oneroſos, qui in ludo deficiunt, ſeu qui nec dicunt aliquod ridiculum, nec moderatos aliorum ludos recipiunt. Vnde non ideò ex Aug. interdicitur pœnitentibus ludus, quaſi ſit malus, ſed quia eis luctus indicitur pro peccatis: nec auſteritas, ut eſt virtus, omnem excludit delectationem, ſed tantùm ſuperfluam, & diminutam. Sed neque cùm dicit Ieremias, *Non ſedi in conſilio ludentium,* aliter loquitur, quàm ſecundùm congruentiam temporis, quia ſcilicet ejus ſtatus magis luctum requirebat. *Secundum eſt,* quia cùm ludus utilis ſit propter quietem & delectationem, delectatio autem & quies non propter ſe quærantur in humana vita, ſed propter operationem, ut dicit Phil. (10. Ethic.) ideò defectus ludi minùs eſt vitioſus, quàm ſuperexceſſus; cùm parum de delectatione ſufficiat ad vitam, quaſi pro ſale, & condimento.

IN QVÆSTIONEM CLXIX.

De modeſtia in exteriori apparatu.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum circa exteriorem ornatum poſſit eſſe virtus, & vitium. ℞. *Affirmativè*, ita quod ex parte hominis qui exterioribus utitur, poſſit eſſe immoderantia dupliciter, & per comparationem ad conſuetudinem hominum, & ex inordinato affectu utentis. *Primum eſt*, quia cùm turpis ſit, ut ait Aug. (Lib. 3. conf. cap. 8.) omnis pars univerſo ſuo non congruens; ideò & per comparationem ad conſuetudinem hominum cum quibus vivitur, poteſt eſſe ex parte hominis

immoderantia in rebus exterioribus, quanvis ex parte rerum vitium non sit. Licèt enim cultus exterior non sit à natura; tamen ad rationem naturalem pertinet, ut hunc cultum moderetur. Vnde & inest nobis aptitudo ad virtutem ejus moderativam, quæ quidem non est alia, quàm virtus veritatis, quam Phil. ponit circa facta & dicta, quibus aliquid de statu hominis significatur, utpote cùm exterior ille cultus indicium quoddam sit conditionis humanæ. *Secundum est*, quia ex inordinato affectu utentis potest contingere vitiosa inordinatio, vel quantum ad superabundantiam, ut cùm quis ex superfluo usu gloriam quærit, ad quod moderandum ponitur virtus humilitatis, quæ scilicet excludit intentionem gloriæ; aut prout delicias quærit, secundùm quod ordinantur vestes ad corporis fomentum, ad quod ponitur virtus per se sufficientiæ, quæ quidem intentionem excludit deliciarum; aut etiam ex nimia solicitudine, quam apponit circa talem cultum, ad quam moderandam ponitur virtus simplicitatis: vel contingere potest inordinatio ex parte defectus, & hoc aut ex negligentia hominis, qui in illis non adhibet studium, ut oportet; aut etiam ex eo, quod ipsum defectum exterioris cultus ad gloriam ordinat, quandoquidem, ut ait Aug. non in sola rerum pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse potest jactantia, & eo periculosior, quo sub nomine servitutis Dei decipit. Cum quo tamen stat, quod in dignitatibus constituti, & ministri altaris meritò pretiosissimis vestibus induantur, scilicet non pro-

Lib. 2. de sermon. Domini in monte, c. 19.

pter gloriam, sed ad significandam sui ministerii, vel cultus divini excellentiam: similiter & in his sit defectus absque peccato, nempe si fiat non propter jactantiam aut superbiam, sed vel ad macerationem carnis, vel humiliationem spiritus.

ART. 2. *Vtrum ornatus mulierum sit sine peccato.*

℞. *Affirmativè*, non quòd non sit peccatum, & quidem mortale, si ornent se ut placeant aliorum aspectibus ad concupiscendum; aut veniale, si ex quadam levitate, aut vanitate; sed ita quod possint hoc facere absque peccato, si ornent se ut viris suis placeant. *Primum est*, quia potest mulier licitè operam dare ad hoc ut viro suo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur, juxta quod dicit Paul. quod mulier nupta cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Vnde nec prohibetur per authoritates Scripturæ mulieribus moderatus ornatus; sed superfluus, inverecundus, & impudicus, esto quod ex se, & circa casum necessitatis vitiosum sit, quod utatur mulier veste virili, & contra, propter scilicet lasciviæ causam, necnon quia debet cultus competere conditioni personæ: sed nec peccant artifices ad ornandas mulieres; licèt enim peccent quando per artem ea faciunt, quibus homines uti non possunt absque peccato; artes tamen, quarum operibus possunt homines benè vel malè uti, non sunt illicitæ, ut est ars ornamentorum mulierum: esto quod propriè solùm vocentur artes, quæ sunt necessariorum, in quibus propterea si quid est, quo plurimi abutantur, debet per Principem prohiberi. Cum quo tamen stat, quod quia fucatio

Cor. 7.

mulierum est quædam species fictionis, nec etiam sit sine peccato, & quidem mortali, ut dicit Cyprianus, si nimirum fiat propter lasciviam, vel in Dei contemptum; si tamen hoc fiat ad fingendam pulchritudinem non habitam, non autem ad occultandam turpitudinem ex aliqua causa provenientem, quod quidem ex Paulo est licitum. 1. Cor. 11.
Secundum est, quia mulieres quæ non sunt in statu habendi viros, quanvis in aliquo ornamento possint omninò excusari à peccato, quando fieret solùm propter consuetudinem, etsi non laudabilem; non tamen si placere appetant aliorum aspectibus ad concupiscendum, cùm hoc sit eis dare incentivum peccandi: sicut nec possunt à veniali excusari ad minus, si hoc faciant ex levitate, aut vanitate, cùm mulier innupta cogitare potiùs debeat quomodo placeat Deo, ut ait Paulus.

IN QVÆSTIONEM CLXX.

De præceptis temperantiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum præcepta temperantiæ convenienter in lege divina tradantur. ℞. *Affirmativè*, ita quod & præcipuè prohibeatur in Decalogo adulterium, sive in opere, sive in corde, inter vitia temperantiæ opposita; & negativè solùm, non affirmativè præcipi debeat de temperantia. *Primum est*, quia cùm illa præcepta poni debeant in Decalogo, quæ directiùs ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi, quandoquidem finis præcepti est charitas, ad quam per hanc dilectionem inducimur; ideò cùm inter vitia opposita temperantiæ, vel etiam fortitudini, aut gulæ, nullum sit, quod tam directè opponatur dilectioni proximi, quàm

adulteriũ, sive in opere, sive in corde concupiscente, per quod abutitur homo uxore proximi, propterea fit, convenienter tradi in Decalogo, & præcipuè duo illa præcepta circa vitia temperantiæ opposita. *Secundum est*, quia Decalogi præcepta, utpote quædã universalia legis divinæ principia, ut dictum est, debent esse communia; cùm tamen de temperantia dari non possint præcepta affirmativa communia, utpote cùm varietur, ut ait Aug. ejus usus secundùm diversa tempora, & diversas hominum consuetudines.

Lib. de bono conjug. cap. 16.

ART. 2. *Vtrum convenienter tradantur in divina lege præcepta de virtutibus annexis temperantiæ.* ℞. *Affirmativè*; si tamen considerentur virtutes illæ, non secundùm se, sed secundùm suos effectus. *Primum est*, quia cùm partes illæ temperantiæ consideratæ quantum ad suos effectus, possint respicere dilectionem Dei & proximi; ideò convenienter ponuntur in Decalogo præcepta aliqua pertinentia ad prohibendum effectus vitiorum oppositorum temperantiæ partibus, quatenus scilicet ex ira procedit interdum aliquis in homicidium, vel ad subtrahendum parentibus honorem debitum, &c. & quidem potiùs quàm de superbia, quæ quanvis sit initium peccati, est tamen latens in corde, unde nec perpenditur communiter ab omnibus ejus inordinatio, ut prohiberi debeat in Decalogo, ubi sunt principia per se nota; necnon & potiùs quàm ea quæ per se inducunt ad legis observantiam, ut humilitas, utpote quæ in quantum talia legem supponunt; sicque poni nõ possunt inter prima legis præcepta,

inter quæ etiam prohiberi non debuit inordinatio exteriorum motuum, quæ contrariatur modestiæ, cùm talis non pertineat ex sua natura ad offensam proximi, sicut adulterium, homicidium, &c. *Secundum est*, quia virtutes illæ temperantiæ annexæ non habent secundùm se directam habitudinem ad dilectionem Dei, & proximi, sed magis quandam respiciunt moderationem eorum, quæ pertinent ad ipsum hominem.

IN QVÆSTIONEM CLXXI.

De prophetia.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum prophetia pertineat ad cognitionem. ℞. *Affirmativè*, ita scilicet quod in cognitione primò & principaliter consistat, sed secundariò in loquutione; imò & in operatione, tanquam in prophetiæ argumento. *Primum est*, quia Propheta est qui videt ea quæ sunt procul, & remota à cognitione hominum. Vnde sic dicitur à *pro*, quod est procul, & *phanos*, quod est apparitio, eo quod ei quæ sunt procul, appareant: propter quod etiam in veteri Testamento *videntes* vocabantur, & apud Gentiles *vates*, à vi mentis. Vnde non nisi falsi prophetæ sunt qui dicuntur prophetæ stulti & insani. Nec requiritur in prophetia inspiratio, nisi quantum ad mentis elevationem ad divina percipienda, ad differentiam revelationis, quæ etiam requiritur quantum ad ipsam perceptionem divinorum, in quo perficitur prophetia. *Secundum est*, quia cùm ipsa manifestatio spiritus detur ad utilitatem, & ædificationem Ecclesiæ, ut dicit Paul. inde est, quod secundariò consistat prophetia in loquutione, juxta illud Isaiæ, Quæ audivi, annunciavi 1. Cor. 12. & 14.

vobis; propter quod etiam ex Isid. possunt dici Prophetæ, quasi profatores, seu procul fantes: sed insuper ad prophetiam pertinet operatio miraculorum, utpote cùm ea quæ divinitùs revelantur, non nisi per divinæ virtutis operationem confirmari possint, juxta illud: Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. In quo quidem sensu dicuntur corpus Elisæi, & ossa Ioseph prophetasse, scilicet ut prophetiæ argumentum: quod propterea non tollit, quin in cognitione consistat principaliter prophetia.

In lib. Etym.

ART. 2. *Vtrum prophetia sit habitus.* ℟. *Negativè*, ita quod insit lumen propheticum menti Prophetæ, non per modum permanentis formæ, sed magis per modum cujusdam passionis, sive impressionis transeuntis. *Primum est*, tum quia ut esset per modum permanentis formæ, ut est habitus, oporteret quod semper Prophetæ adesset facultas prophetandi, quod est falsum, cùm dixerit Elisæus de muliere Sunamite: Dominus celavit à me, & non indicavit mihi. Tum etiam quia lumen intellectuale in aliquo existens per modum formæ perfectæ, perficit intellectum ad cognoscendum principaliter principium illorum, quæ per illud lumen manifestantur, sicut per lumen intellectus agentis præcipuè cognoscunt prima principia; quod tamen in præsenti non accidit, utpote cùm principium eorum, quæ per se ad supernaturalem cognitionem pertinent, & quæ per prophetiam manifestantur, sit Deus ipse, qui quidem per essentiam à Prophetis non videtur, ut à Beatis, in quibus lumen est per modum habi-

4. Reg. 4.

tus. Vnde datur quidem habituale donum, quando elevatur homo ad aliquid supra naturam humanam, quantum ad modum actus, ut est Deum diligere; non tamen si sit supra naturam solùm quantum ad substantiam actus, ut miracula facere, cognoscere occulta, &c. Cum quo tamen stat, quod adhuc denominetur Propheta, dum dormit, seu cessante actuali prophetica illustratione, & hoc ex deputatione divina, vel etiam quia remanet quædam habilitas, ut faciliùs iteratò illustretur. *Secundum est*, quia sicut aër semper indiget nova illuminatione, & discipulus qui nondum adeptus est principia artis, indiget ut de singulis instruatur: sic & mens Prophetæ nova semper eget illuminatione, juxta illud: Mane erigit mihi aurem, & audiam quasi magistrum. Isai. 50. Vnde ad passionem reduci potest prophetiæ lumen; si tamen passionis nomen pro qualibet receptione accipiatur, prout dicit Phil. quod etiam intelligere est quodam pati. In 3. de anima.

Vtrum prophetia sit solùm futurorum contingentium. ℞. *Negativè*, si tamen sumatur prophetia, non quidem secundùm id quod propriè significatur nomine prophetiæ, sed secundùm extensionem luminis, unde prophetice cognoscit. Art. 3. *Primum est*, quia cùm manifestatio, quæ fit per aliquod lumen, ad omnia illa se extendere possit, quæ illi lumini subjiciuntur; & cognitio prophetica sit per lumen divinum, quo possunt omnia cognosci, sive divina, sive humana, tum spiritualia, tum corporalia; ideò & alia quàm futura, seu etiam præterita & præsentia, quantum est ex parte luminis,

ad prophetiam, saltem secundariò pertinent: quod etiam patet ex Scriptura, in qua tales reperiuntur prophetiæ, quo modo Moyses scripsit creationem mundi, & vident aliqui cogitationes cordis præsentes. Cum quo tamen stat, quod quanvis ita diversa sint, quæ per divinum lumen propheticè manifestantur, adhunc habeat prophetia unitatem speciei ab unitate luminis divini, quod quidem est formale in prophetica cognitione. *Secundum est*, quia cùm prophetia secundùm id unde nomen prophetiæ sumi videtur, sit de his quæ procul à nostra cognitione sunt, quo quidem modo sumit Cassiodorus dicens, quod prophetia est inspiratio, vel revelatio divina rerum eventus immobili veritate denuncians, & in quo etiam sensu dividitur contra alias gratias gratis datas; ideò & tanto aliqua magis propriè ad prophetiam pertinent, quanto longiùs ab humana cognitione existunt, qualia sunt futurorum contingentium eventus. Ita tamen, quod quia ea quæ sunt procul, sunt in triplici gradu, 1. eorum quæ sunt procul à cognitione hujus hominis, vel secundùm sensum, quo pacto Elisæus propheticè cognovit, quæ ejus discipulus in absentia fecerat; vel secundùm intellectum, ut cùm cogitationes cordis unius alteri manifestantur: 2. eorum quæ universaliter humanam excedunt cognitionem, ut est mysterium Trinitatis, &c. 3. eorum, quæ in se non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura; ideò & singula eorum ad prophetiam spectant, sed magis, vel minùs propriè.

ART. 4. *Vtrum propheta per divinam revelationem*

cognoscat omnia, quæ possunt prophetice cognosci. ℞. *Negativè*, non quòd eorum, ad quæ prophetia ordinatur, aliquid desit, sed ita quod non propterea oporteat quod propheticæ revelationi nihil desit, seu quod omnia cognoscant prophetabilia. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm diversa non sit necesse esse simul, nisi propter aliquod unum, in quo connectuntur, & à quo dependent; propter quod qui aliquam habet scientiam, cognoscendo principia illius, omnia etiam cognoscit quæ in illis continentur; ideò cùm ea, quæ prophetice divino lumine cognoscuntur, sint diversa, & eorum principium sit ipsa prima veritas, nec etiam oportet ut simul omnia cognoscantur, nisi prima veritas ut est in se, & secundùm se totam cognoscatur, quam quidem cùm non ita cognoscant Prophetæ in via, sed solùm in patria; ideo nihil quidem deest eorum, ad quæ ad prophetia ordinatur, cùm Deus omnia, quæ nessaria sunt ad instructionem populi fidelis, revelet Prophetis, ut dicit Scriptura; non tamen propterea omnia cognoscunt prophetabilia, sed quædam uni revelat, & quædam alteri. Amos 3.

Vtrum Propheta discernat semper quid dicat per spiritum proprium, & quid per spiritum prophetiæ. ℞. *Negativè*, non quòd non semper discernat ea, de quibus per expressam revelationem instruitur, sed ita quod quædam cognoscat per instinctum, quæ discernere non valet an per instinctum, aut per spiritum proprium cogitaverit. *Primum est*, quia cùm talis instinctus sit quiddam imperfectum in genere prophetiæ, ideò non omnia, quæ divino cognoscimus Art. 5.

instinctu, sub certitudine prophetica nobis
Homil. 1. in Ezec. manifestantur. Unde dicit Greg. quod aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, & se hoc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur. *Secundum est*, quia si de expressa revelatione non haberet Propheta certitudinem, nec etiam certa esset fides, quæ dictis Prophetarum innititur. Et hinc est; quod Abraham admonitus in prophetica visione, se præparavit ad filium unigenitum immolandum; quod tamen nullatenus fecisset, nisi de divina revelatione fuisset certissimus.

Art. 6. *Utrum ea, quæ prophetice cognoscuntur, vel annuntiantur, possint esse falsa.* ℞. *Negative*, non quòd non aliter quandoque eveniant, quàm prophetentur, sed ita quod res semper ita se habeat, sicut est sensus prophetiæ. *Primum est*, quia cùm eadem sit veritas cognitionis propheticæ, & cognitionis divinæ, utpote quia prophetia est quædam cognitio intellectui prophetæ impressa ex revelatione divina per modum cujusdam doctrinæ; & veritas cognitionis est eadem & in discipulo, & in docente, cùm sit cognitio addiscentis similitudo cognitionis docentis: ideò sicut cognitioni divinæ non potest falsum subesse, nec etiam propheticæ, in sensu scilicet quo prophetatum est. Ita tamen quod sicut certitudo divinæ præscientiæ non excludit contingentiam singularium futurorum, quia fertur in ea ut sunt præsentia, & jam determinata; nec etiam prophetia, quæ est divinæ præscientiæ similitudo, sua immobili veritate futurorum contingentiam exclu-

dat. Vnde hujus conditionalis, *Si quid est prophetatum, erit*, est quidem consequens necessarium, non tamen secundùm quod est futurum respectu nostri, sed ut consideratur in suo præsenti, prout scilicet subditus præscientiæ divinæ. *Secundum est*, quia licèt nusquam aliter eveniant futura, quàm prophetantur, quando revelatio prophetica est expressa quædam similitudo divinæ præscientiæ, prout futura respicit in seipsis; nihilominus prout est divinæ præscientiæ similitudo, ut cognoscentis ordinem causarum ad effectus, tunc quandoque aliter evenit, quàm prophetatur, quanvis non propterea prophetiæ subsit falsum, quandoquidem prophetiæ sensus tunc est, quod dispositio inferiorum causarum hoc habet, ut talis effectus eveniat. Et sic intelligitur illud Isaiæ: *Morieris, & non vives*; ideſt Isai. 38. dispositio corporis tui ordinatur ad mortem: necnon & illud Ionæ: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; ideſt Ionæ 3. hoc merita ejus exigunt, ut subvertatur.

IN QVÆSTIONEM CLXXII.

De causa prophetiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum prophetia possit esse naturalis. R. *Negativè*, non quòd non possit homo naturaliter præcognoscere futura aliqua in suis causis, sed ita quod prophetia simpliciter dicta, seu præcognitio infallibilis quorumcunque futurorum in seipsis, esse non possit à natura. *Primum est*, quia cùm præcognoscere futura in seipsis sit proprium divini intellectus, cujus scilicet æternitati sunt omnia præsentia; ideò nec potest hujusmodi cognitio, quæ quidem propriè pertinet ad prophetiam simpliciter

dictam, quæ cùm sit infallibilis, & omnium futurorum, est etiam eorum, quæ naturaliter excedunt humanam cognitionem, haberi naturaliter ab homine; & quidem quanvis sit necessaria prophetia ad populi gubernationem, quatenus scilicet lumen propheticum se etiam extendit ad directionem humanorum actuum, utpote quod præcipuè est in ordine ad cultum divinum, ad quem non sufficit natura, sed requiritur gratia. Vnde quod dicit Aug. quod animæ secundùm quod à sensibus abstrahitur, competit prævidere futura, non est intelligendum ex sua natura, sed ex revelatione angelica, quia aliàs quandocumque vellet, hoc posset, quod est falsum. *Secundum est*, quia sicut præcognoscit Medicus sanitaté, vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento præcognovit; sic & futura aliqua possunt etiam ab homine naturali cognitione præcognosci in suis causis, non quòd id habeant à natura, quia ut ait Aug. homo non semper habet hanc divinandi vim, cùm vult, quam quidem haberet, si esset à natura; sed ita quod hanc præcognitionem possint acquirere per viam experimentalem, in qua per naturalem juvantur dispositionem, secundùm quod in homine invenitur perfectio virtutis imaginativæ, & claritas intelligentiæ. Vnde & habent bruta hujusmodi præcognitionem futurorum in suis causis, quibus scilicet eorum moventur phantasiæ magis quàm hominum, quorum quidem phantasiæ magis secundum rationem disponuntur, quàm secundùm impressionem naturalium causarum;

& etiam in dormientibus fit talis præcognitio, sicut & in animabus, ut ait Aug. quæ à sensibus corporis alienantur, & abstrahuntur, sive hoc fiat ex revelatione substantiarum spiritualium, aut causarum naturalium impressione, ad quarum influxum percipiendum aptior redditur per hanc abstractionem: imò & meliùs in dormientibus quàm vigilantibus, quanvis plus vigeat in vigilante perfectio judicii, utpote qui quandiu vigilant, sunt circa sensibilia occupati. Cum quo tamen stat, quod adhuc differat hæc præcognitio ab illa quæ habetur ex revelatione divina, & quia hæc est quorumcunque eventuum, necnon & infallibilis; illa autem quorundam tantùm, & fallibiliter, unde nec est cognitio prophetica simpliciter dicta.

Vtrum prophetica revelatio fiat per Angelos. ℞. *Affirmativè*, non quòd non debeat prophetica revelatio dici divina, sed ita quod revelationes & illuminationis divinæ à Deo per Angelos ad homines deferantur. *Primum est*, quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, ut ait Apost. sicque cùm ordo divinus habeat, ut infima per media disponat, debent per Angelos, qui medii sunt inter Deum & homines, deferri illuminationes, & revelationes à Deo ad homines, & consequenter revelatio prophetica, & quidem quanvis homo fiat amicus Dei immediatè, utpote cùm hoc fiat, quia charitas, per quam Dei amicitiam consequitur, est perfectio voluntatis, in quam solus Deus potest imprimere; cùm è contra prophetia fit perfectio intellectus, in quem possunt & Angeli imprimere. *Secundum est*, quia

ART. 2. Rom. 13.

cùm operatio instrumenti attribuatur principali agenti; ideò & revelatio illa prophetica, quæ fit instrumentaliter per Angelos, debet adhuc attribui Deo, sive Spiritui sancto, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, ut primo principio, proindeque & dici divina.

ART.3. *Utrum ad prophetiam requiratur dispositio naturalis.* ℞. *Negativè*, si tamen sermo sit de verè & simpliciter dicta prophetia, quæ scilicet est ex inspiratione divina; non de prophetia secundùm quid, quæ est ex causa naturali. *Primum est*, quia sicut Deus, qui est causa universalis in agendo, non præexigit materiam, nec materiæ dispositionem in corporalibus effectibus, sed simul potest & materiam, & dispositionem, & formam inducere; ita nec aliquam præexigit in spiritualibus effectibus, adeò ut licet recipiatur prophetia ad modum recipientis in Propheta, non ideò præsupponat naturalem dispositionem, quandoquidem sufficienter disponit Deus removendo, si quod est prophetiæ contrarium; & quantum ad explicationem indifferens est ad prophetiam, quibuscumque similitudinibus res prophetica exprimatur. Cum quo tamen stat, quod quia naturalis indispositio posset impedire prophetalem revelationem, sicut & quælibet vehemens passio, sive iræ, sive concupiscentiæ, seu coïtus actum prophetandi; ideò & talem indispositionem removere debeat virtus divina, quæ est prophetiæ causa. *Secundum est*, quia sicut speculatio scientiæ præsupponit naturalem dispositionem, quia fit à causa naturali, quæ non potest operari, nisi præsupposita dispo-

ſitione: ſic & prophetia, quæ dicitur ſecundùm quid, quæ quidem eſt ex naturali cauſa, non ex divina inſpiratione.

Vtrum bonitas morum requiratur ad prophetiam. ℟. *Negativè*, ſi tamen bonitas morum conſideretur non quidem quantum ad paſſiones animæ, & actiones exteriores, ſed quantum ad propriam hujus bonitatis radicem. *Primum eſt*, quia cùm gratia gratum faciens, quæ eſt propria radix bonitatis morum, ad hoc pricipaliter detur, ut anima hominis Deo per charitatem conjungatur, proindeque & quidquid poteſt eſſe ſine charitate, poſſit eſſe ſine gratia gratum faciente, & per conſequens ſine bonitate morum in ſua radice; ideò cùm poſſit eſſe prophetia ſine charitate, quia ad intellectum pertinet, cujus quidem actus præcedit actum voluntatis, quem perficit charitas; necnon & quia datur prophetia in utilitatem Eccleſiæ, ſicut aliæ gratiæ gratis datæ; cùm tamen detur charitas, ut hominis affectus ordinetur in Deum: propterea fit quod poſſit eſſe ſine gratia gratum faciente, in qua radicatur bonitas morum, eſto quod non ſit prophetia ſine gratia gratum faciente, quando non ſolùm ad aliorum utilitatem datur, ſed etiam ad propriæ mentis illuſtrationem. Vnde non ſemper dantur divina dona optimis ſimpliciter, ſed quandoque & aliis, qui dumtaxat ſunt optimi quantum ad doni perceptionem; ſed nec ſemper amici ſunt, quibus revelat ſecreta, niſi fortè nota faciat, ſicut diſcipulis nota fecerat, qui ſcilicet à terrenis deſideriis immutati, amoris ſummi facibus ardebant, juxta illud Greg. dictum: Dum

ART. 4.

Greg.

audita superna cœlestia amamus, amata jam novimus, quia amor ipse notitia est. *Secundum est*, quia cùm requiratur ad prophetiam maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, quæ quidem impeditur per vehementiam passionum, & inordinatam rerum exteriorum occupatio-
4. Reg. 4. nem, à quibus propterea filii Prophetarum olim abstinebant, ideò considerata bonitate morum secundùm passiones animæ, & actiones exteriores, sic impeditur aliquis à prophetia per morum malitiam; ita tamen, quod quia non omnes mali sunt lupi rapaces, sed solùm illi, qui intendunt aliis no-
Hom. 19. super Matth. cere, ut ait Chrys. nec etiam omnes mali sint falsi prophetæ, sed illi solùm, qui ad aliorum utilitatem non mittuntur.

Art. 5. *Vtrum aliqua prophetia sit à dæmonibus.*

℞. *Affirmativè*; si tamen sermo sit de prophetia non quidem propriè & simpliciter dicta, sed quæ talis dicitur secundùm quid. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm prophetia importet cognitionem procul existentem à cognitione humana, & intellectus superioris ordinis (qualis quidem est intellectus etiam malorum angelorum secúndùm ordinem naturæ,) aliqua cognoscere possit, quæ sunt remota à cognitione intellectus inferioris, qualis est intellectus humanus; ideò etiam à dæmonibus potest fieri revelatio, quæ dicatur prophetia, non quidem simpliciter; cùm ea solùm, quæ solus Deus cognoscit, & revelat in Scriptura, sint simpliciter, & maximè remota; sed secundùm quid, adeò ut non nisi cum additione appellentur Prophetæ, quibus revelatur à dæmone, ut prophetæ falsi,

prophetæ idolorum; & ea solùm quæ fit per divinam revelationem, sit prophetia propriè & simpliciter dicta, ut insinuat Cassiodorus. Ita tamen quod dæmones manifestent quæ sciunt, non per illuminationem intellectus, sed per aliquam imaginariam visionem, vel sensibiliter loquendo, in quo etiam deficit ista manifestatio à vera prophetia; sicut & in aliquibus etiam exterioribus signis discerni potest à prophetia divina, ut ait Chrys. quatenus diabolus aliquando falsum dicit, Spiritus autem sanctus nunquam. In prol. super Psalm.

Utrum propheta dæmonum aliquando prædicant verum. ℞. *Affirmativè*, & quidem tum quia propheta falsitatis, seu dæmonis quandoque inspiratur à spiritu veritatis: tum quia ipse etiã spiritus falsitatis quandoque enunciat vera. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm se habeat verum in cognitione, sicut se habet bonum in rebus; & impossibile sit, inveniri aliquid in rebus, quod totaliter bono privetur; sic etiam fieri non potest, aliquam esse cognitionem, quæ totaliter falsa sit, absque admixtione alicujus veritatis, quantumvis à diabolo sit, utpote cùm sic intellectus ad falsum deducatur per apparentiam veritatis, sicut voluntas ad malum per apparentiã bonitatis: & quidem tum quia spiritus falsitatis quandoque enunciat vera, ut scilicet receptibilia sint quæ dicit: tum etiam, quia Propheta falsitatis quandoque etiam à spiritu veritatis inspiratur, ut legitur de Balaam, qui multa prænunciavit vera, propterea quod etiam malis utitur Deus, seu veritatis spiritus ad utilitatem bonorum; quo etiam ART. 6.

modo Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo: imò etiam quæ vera dicunt ex revelatione dæmonum, possunt attribui Spiritui sancto, quatenus scilicet vel hoc faciunt dæmones ex vi propriæ naturæ, cujus quidem author est Spiritus Sanctus, vel interdum ex revelatione bonorum Angelorum. Cum quo tamen stat, quod propria dæmonum non sint nisi mendacia & peccata, ut dicitur, utpote cùm illa solùm propria sint, quæ habent à seipsis, non autem à propria natura, quæ est à Deo.

Joan. 8.

IN QVÆSTIONEM CLXXIII.

De modo propheticæ cognitionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum prophetæ videant Dei essentiam. ℞. *Negativè*, & quidem sive sumatur Dei essentia ut est objectum beatitudinis, sive secundùm quod est ratio creaturarum, seu cognoscẽdi creaturas. *Primum est*, quia cùm cognitio prophetica alia sit à cognitione, quæ erit in patria, à qua distinguitur ut perfectum ab imperfecto, utpote cùm importet prophetia cognitionem divinam ut procul existentem, juxta quod de Prophetis dicitur, quod erant à longè aspicientes; illi autem qui sunt in patria, non videant à remotis: ideo cùm cognitio in patria sit Dei per essentiam, non est visio prophetica visio ipsius divinæ essentiæ: neque in ipsa divina essentia vident Prophetæ quæ prænunciant, sed in quibusdam similitudinibus secundùm illustrationem divini luminis. Vnde nec dicuntur Prophetæ inspicere in libro præscientiæ Dei, nisi in quantum ex ipsa Dei præscientia resultat veritas in mentem Prophetæ; sicut nec in prima veritate dicitur homo videre pro-

Glossa super c. 38. Isaiæ

priam formam, quâ existit, nisi prout primæ veritatis similitudo refulget in mente humana, ex qua habet anima, quod seipsam cognoscat: vel etiam in immobili veritate futura contingentia præcognoscere, nisi ex divina revelatione, proindeque & absque eo quod essentiam Dei beatificantem videat. *Secundum est*, quia impossibile est, quod aliquid videat rationes creaturarum in essentia divina, ita ut essentiam non videat, secundùm quam est Deus objectum nostræ beatitudinis: tum quia est divina essentia ratio omnium quæ fiunt, nec addit ratio idealis supra divinam essentiam, nisi respectum ad creaturam: tum etiam, quia prius est cognoscere Deum ut objectum beatitudinis, quàm cognoscere per comparationem ad alterum, quod est Deum cognoscere secundùm rationes creaturarum in ipso existentes. Aug. 9. de Trinit. c. 7.

Vtrum in prophetica revelatione imprimantur divinitus menti Prophetæ, non tantùm novum lumen, sed etiam novæ rerum species. ℟. *Affirmativè*, ita scilicet, quod quandoque quidem fiat prophetica revelatio per solam luminis influentiam, & quandoque etiam per species impressas de novo, vel aliter ordinatas; non tamen censendus sit Propheta, cui solùm imprimuntur sine novo lumine similitudines rerum; & è contra maximè Propheta sit, qui in utroque excellit. *Primum est*, quia cùm prophetia maximè pertineat ad mentem, circa cujus cognitionem duo considerantur, scilicet acceptio, seu repræsentatio rerum, quæ quidem repræsentantur per aliquas species, & primò sensui secundùm ART. 2.

naturæ ordinem, posteà imaginationi, postremò intellectui possibili, tum etiam judicium de rebus repræsentatis; ideò cùm per donum prophetiæ conferatur aliquid supra naturalem facultatem, & quantum ad judicium per influxum luminis intellectualis, & hoc ad dijudicandum ea, quæ ab aliis visa sunt, ut patet in Ioseph, qui somnium exposuit; sive ad dijudicandum secundùm divinam veritatem ea, quæ cursu naturali homo apprehendit: tum etiam quantum ad acceptionem rerum per species, & quidem sive exteriùs sensibiles, sicut
Dan. 5. Daniel vidit Scripturam parietis; sive per formas imaginarias, vel etiam divinitus ordinatas ex his quæ sunt à sensibus acce-
Ier. 1. ptæ; quo modo vidit Ieremias ollam succensam à facie aquilonis; sive etiam ipsi menti immediatè impressas, ut patet in his, qui scientiam vel sapientiam accipiunt infusam, sicut Salomon, & Apostoli: consequenter fit, quod nedum per solam luminis influentiam fiat prophetica *revelatio*, sicut facta est in Ioseph, ut dictum est; sed etiam quandoque per species de novo impressas, vel aliter ordinatas, in ordine ad id quod est intelligendum. Vnde licèt visio intellectualis non fiat per similitudines corporales, fit tamen per aliquam similitudinem, ex Aug. quæ in revelatione prophetica vel immediatè Deo imprimitur, vel à formis imaginatis resultat secundùm adjutorium prophetici luminis. Et quanvis possit homo formare quascumque formas imaginatas naturaliter; non tamen ut sint ordinatæ ad repræsentandas intelligibiles veritates, quæ hominis intellectum exce-

dunt. Ita tamen, quod quando in prophetica revelatione divinitùs ordinantur species imaginariæ præacceptæ à sensu, præcedens rerum similitudo, in quibus aliquis est versatus, aliquid operetur ad ipsas similitudines, ut insinuat Hieron. *Secundum est*, quia cùm judicium, quod quidem fit per influxum intellectualis luminis, sit cōpletivum cognitionis; ideò non est censendus Propheta is, cui fit repræsentatio rerum per similitudines imaginarias rerum, vel etiam corporales, ut Pharaoni, adeò ut talis apparitio sit in genere prophetiæ quid imperfectum, nisi illuminetur mens ad judicandum; & è contra censeri debet Propheta is, cui illuminatur mens ad judicandū, etiam quæ ab aliis imaginariè visa sunt, ut Ioseph; sed maximè qui in utroque excellit. Glossa Hier. ad cap. 1. Amos.

Vtrum visio prophetica semper fiat cum abstractione à sensibus. ℞. *Negativè*, si nimirum sit sensus quod fiat cum abstractione à sensibus, etiam quando repræsentatur menti prophetæ per species sensibiles, aut quando fit visio secundùm influxum intelligibilis luminis, vel immissionem intelligibilium specierum, esto quod ubi fit revelatio prophetica secundùm formas imaginarias, tunc fieri debeat talis abstractio vel perfectè, vel imperfectè. *Primum est*, quia cùm in nobis perfectum intellectus habeatur per conversionem ad sensibilia, ideò per hoc quod mens Prophetæ illustratur intelligibili lumine, aut formatur intelligibilibus speciebus, non propterea fieri debet alienatio à sensibus exterioribus, ac proinde multò minùs fieri debet, quando aliquid repræsentatur per species ART. 3.

ſenſibiles, ſive divinitùs formatas, ut rubus oſtenſus Moyſi, & ſcriptura oſtenſa Danieli; ſive productas per alias cauſas, divinitùs tamen ad aliquid prophetice ſignificandum ordinatas, ut arca Noë ad ſignificandam Eccleſiam. Vnde non ſemper quando inclinatur mens prophetæ à ſuperiori influxu ad aliquid judicandum, fit alienatio à ſenſibus, ſed ſolùm quando elevatur ad aliqua contemplanda ſublimiora; & quanvis quando intenditur mens in ſuo actu circa abſentia, quæ ſunt à ſenſibus remota, tunc propter vehementiam intentionis ſequatur alienatio à ſenſibus; non tamen oportet, quod à ſenſibus abſtrahatur, quando intenditur circa diſpoſitionem vel judicium ſenſibiliũ. *Secundum eſt*, quia cùm viſio per imaginarias formas, quæ quidem eſt per ſomnia, & viſiones, fit per ea, quæ videntur dici, vel fieri; & tunc fit alienatio à ſenſibus, cùm aliqua videntur dici, vel fieri, quæ non dicuntur, vel fiunt: ideo neceſſe eſt, quando prophetica revevelatio fit ſecundùm formas imaginarias, fieri abſtractionem à ſenſibus, quæ quandoque eſt perfecta, ſcilicet ut nihil homo ſenſibus percipiat; quandoque autem imperfecta, ut ſcilicet aliquid percipiat, ſed non planè diſcernat quæ exteriùs percipit, ab his, quæ imaginabiliter videt. Ita tamen, quod talis alienatio non ſit in Prophetis cum inordinatione naturæ, ut in furioſis; ſed per aliquam cauſam ordinatam, vel naturalem, ut per ſomnium; vel ſpiritualem, ut per vehementiam contemplationis; vel virtute divina rapiente, juxta illud Ezech. Facta eſt ſuper eum manus Domini.

Vtrum

Vtrum propheta semper cognoscant ea quæ prophetant. ℟. *Affirmativè*, in hoc scilicet sensu, quod propriè ad prophetiam pertineat, quod quis cognoscat, se moveri à Spiritu sancto ad aliquid æstimandum, vel significandum verbo, vel facto; quanvis non ita, quod omnia cognoscant veri Prophetæ, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus sanctus intendit. *Primum est*, quia ut dicit Aug. quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia, utpote quæ ordinatur ad hominum illuminationem, ut dicitur; sed quidam solùm instinctus propheticus. *Secundum est*, quia cùm moveatur mens Prophetæ à Spiritu sancto, ut instrumentum deficiens respectu principalis agentis; ideo sive moveatur ad aliquid apprehendendum, sive ad loquendum, aut etiam faciendum, horum quodlibet contingit esse cum aliquo cognitionis defectu, adeò ut in ordine ad apprehendendum, quandoque inducatur ut solùm apprehendat; quandoque etiam ut cognoscat illud sibi esse divinitus revelatum: similiter aliquando sic moveatur ad aliquid loquendum, ut intelligat id, quod per illa verba Spiritus sanctus intendit, ut patet de David; quandoque non intelligat, ut patet de Caïpha: & tandem in agendo vel ita moveatur, ut intelligat quid agit, ut patet de Ieremia, qui abscondit lumbare in Euphratem; vel ut non intelligat, ut milites dividentes vestimenta Christi.

ART. 4. 2. Pet. 1. 2. Reg. 23. Ier. 13.

IN QVÆSTIONEM CLXXIV.

De divisione prophetiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *convenienter dividatur prophetia in prophetiam prædestinationis Dei, præscientiæ, & comminationis.* ℟. *Affirmativè*; si tamen sumatur divisio prophetiæ, non quidem secundùm modum prophetandi, sed juxta divisionem actus & habitus, secundùm differentiam ex parte objecti. *Primum est*, quia cùm objectum prophetiæ sit id quod est in cognitione divina supra humanam facultatem; futurum autem sit in divina cognitione dupliciter, tum prout est in sua causa, quo modo accipitur prophetia comminationis, quæ non semper impletur, utpote per quam prænunciatur solùm ordo causæ ad effectum; tum etiam ut est in seipso, & hoc vel ut fiendum ab ipso Deo, & hujus est prophetia prædestinationis; vel ut fiendum per liberum arbitrium hominis, respectu cujus accipitur prophetia præscientiæ, quæ propterea, ad differentiam prædestinationis, potest esse bonorum & malorum: ideò dividendo prophetiam ad modum actus, seu habitus ex differentia objecti, convenienter in tria præfata dividitur, cõprehendendo prophetiam promissionis sub prophetia comminationis, quandoquidem eadem est ratio veritatis in utraque; ita tamen quod præscientia, licèt ut propriè dicitur præcognitio futurorum eventuum, ut in ipsis sunt, sit una species prophetiæ; prout tamen dicitur respectu futurorum eventuum, sive in seipsis, sive in suis causis, communiter se habeat ad omnem speciem prophetiæ. *Secundum est*, quia distinguendo, ut distinguit

Isid. prophetiam secundùm modum prophetandi, cùm possit dividi vel secundùm potentias cognoscitivas, quæ sunt sensus, imaginatio, & intellectus; vel secundùm differentiam prophetici influxus: ideò & dividi potest hoc modo in septem genera, quæ sunt ecstasis, visio, somnium, per nubem, quantum scilicet ad sensibilia signa, vox de cœlis accepta, parabola, & repletio Spiritus sancti, quæ quidem significat influxum propheticum quantum ad illustrationem intellectus.

Vtrum excellentior sit prophetia, quæ habet visionem intellectualem & imaginariam, quàm ea quæ habet visionem intellectualem tantùm. ℞. *Negativè*, non quòd non magis propriè dicantur prophetæ, quantum ad prædicationem, qui vident per imaginariam visionem; sed ita quod prophetia, in qua nudè revelatur intelligibilis veritas, sit quantum ad nobilitatem omnibus potior. **Art. 2.** *Primum est*, quia cùm finis prophetiæ sit manifestatio alicujus veritatis supra hominem existentis, ac proinde tanto sit prophetia dignior, quanto hujusmodi manifestatio est potior, quandoquidem eorum dignitas, quæ sunt ad finem, præcipuè consideratur ex fine; ideò cùm manifestatio divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius, potior sit illâ, quæ sub similitudine corporalium rerum, utpote quæ magis appropinquat ad visionem patriæ, secundùm quam veritas in essentia Dei videtur, est etiam hujusmodi prophetia quantum ad nobilitatem omnibus potior, & hoc maximè, quia visio imaginaria in cognitione prohetica non requiritur propter se,

sed propter manifestationem intelligibilis veritatis, ac proinde tanto potior est prophetia, quanto minùs eâ indiget, quandoquidem in his, quæ quæruntur propter aliud, quanto agens potest ex paucioribus & propinquioribus ad suum intentum pervenire, tanto videatur esse majoris virtutis. Cum quo tamen stat, quod quando supernaturalis veritas revelanda est per similitudines corporales, tunc magis sit Propheta, qui utrumque habet, scilicet lumen intellectuale, & imaginariam visionem: in quo quidem sensu intelligitur Augustinus. Imò & adhuc stat, quod dicatur revelatio prophetica fieri sine imaginaria visione, quanvis illustratio divini radii in præsenti vita non fiat sine velaminibus aliquorum phantasmatum, quatenus homo non intelligit sine phantasmate, utpote cùm aliquãdo sufficiant cum lumine infuso phantasmata, quæ communi modo à sensibus abstrahuntur, nec exigatur aliqua visio imaginaria. *Secundum est*, quia nihil prohibet, aliquid esse simpliciter melius, quod tamen minùs propriè recipit alicujus prædicationem; sicut cognitio patriæ est nobilior quàm cognitio viæ; quæ tamen magis propriè dicitur fides, eo quòd nomen fidei importat imperfectionem cognitionis, sicut & prophetia obscuritatem quandam, & remotionem ab intelligibili veritate.

ART. 3. *Vtrum gradus prophetiæ possint distingui secundùm imaginariam visionem.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possint in prophetia distingui gradus aliter quàm secundùm imaginariam visionem, sed ita quod in prophetia propriè dicta secundùm imaginariã

visionem distinguantur. *Primum est*, quia cùm medium diversificet gradus cognitionis, ut patet in scientia quia, & propter quid; & prophetia per imaginariam visionem, quæ quidem est propriè dicta, medium teneat gradum inter eam, in qua revelatur supernaturalis veritas sine visione, & illam in qua per lumen intelligibile dirigitur homo ad ea cognoscenda vel agenda, quæ ad humanam pertinent conversationem;ideò & secundùm imaginariam visionem distingui debent gradus in prophetia propriè dicta. Et primò quidem, quia major ostenditur virtus luminis, quæ animam circa sensibilia occupatam rapit ad spiritualium contemplationem, quàm quæ animam ab illis abstractam in dormiente illustrat, ideò & altior sit gradus prophetiæ in vigilia,quàm in somno.Tum ex parte signorum imaginabilium,quia verba primum sortiuntur locum, illa etiam prophetia est altior,in qua audit Propheta sibi loquentem, quàm cùm videt res aliquid significantes: sed & altior adhuc est gradus prophetiæ, quando videt propheta aliquem sibi colloquentem, vel demonstrantem, cùm per hoc magis appropinquetur ad causam revelantem:ac denique & altior adhuc est prophetia, si videatur in specie Angeli qui loquitur, & magis adhuc, si in specie Dei.Vndequanvis in prophetia propter se requiratur intellectuale lumen,quia tamen discretio illius non potest à nobis cognosci, nisi per aliqua imaginaria,& sensibilia signa, ideò & ex diversitate imaginum perpenditur diversitas luminis; imò nec inconveniens est, quod uni & eidem

Prophetæ fiat revelatio diversis vicibus, & secundùm diversos gradus; quia non est prophetia per modum habitûs immanentis, sed per modum passionis transeuntis. *Secundum est*, quia super omnes hos gradus est tertium genus prophetiæ, scilicet in quo ostenditur intelligibilis, & supernaturalis veritas absque imaginaria visione, quæ tamen excedit rationem prophetiæ propriè dictæ, ut dictum fuit: tum etiam infra præfatos gradus est ille, in quo quis prophetice illuminatur ad ea cognoscenda, quæ naturalem rationem non excedunt; & inferior adhuc, ac omnium intimus ille, in quo quis ex interiori instinctu movetur ad aliquid faciendum, sicut de Samsone scribitur irruisse super eum spiritum Domini, &c. utpote cùm ad Prophetam adhuc magis spectet cognitio, quàm operatio.

ART. 4. *Vtrum Moyses fuerit excellentior omnibus Prophetis.* ℟. *Affirmativè*, non quòd non major fuerit aliquis alius Prophetarum quantum ad aliquid, sed ita quod fuerit Moyses simpliciter omnibus major. *Primum est*, quia & quantum ad visionem intellectualem vidit Dei essentiam, sicut Paulus in raptu, ut ait Aug. unde dicitur Num. 12. quod palam, non per ænigmata vidit; & quantum ad imaginariam visionem, quam quasi ad nutum habebat, non solùm audiit verba, sed etiam vidit loquentem in specie Dei, non solùm dormiendo, sed etiam vigilando, juxta quod dicitur, Loquebatur facie ad faciem: & quantum ad denunciationem loquebatur toti populo ex persona Dei, quasi de novo legem proponens; cùm tamen alii loquerentur quasi inducentes ad observan-

12. super Gen. cap. 27.

tiam legis Moysis. Tum denique quantum ad operationem miraculorum, quæ quidem fecit toti populo infidelium, universæque terræ Ægypti. *Secundum est*, quia & clariùs cognovit David, atque expressit mysteria Incarnationis Christi: & miracula Iosue, qui fecit stare Solem; & Isaiæ, qui fecit retrocedere; & suscitatio mortuorum majora sunt secundùm substantiam facti, quàm miracula Moysis, esto quod ista sint majora secundùm modum faciendi, quia sunt facta toti populo: imò quia Ioannes Baptista ad novum pertinet Testamentum, cujus ministri præferuntur etiam ipsi Moysi, quasi magis revelatè speculantes, ut habetur 2. ad Cor. 3. ideo & dici debet excellentior Moyse.

Vtrum aliquis gradus prophetiæ sit etiam in Beatis. ℟. *Negativè*, ita quod visio, quam importat, veritatis scilicet supernaturalis, ut procul existentis, repugnet statui beatitudinis; esto quod potuerit compati & cum visione Moysis, & in Christo comprehensore. *Primum est*, quia non est visio veritatis, ut procul existentis, nisi vel ex parte cognitionis, quando veritas supernaturalis non cognoscitur in seipsa, sed in aliquibus suis effectibus, aut per figuras corporalium rerum; vel ex parte videntis, quia non est totaliter in ultimam perfectionem adductus, cùm tamen neutro modo dicantur Beati esse procul. Vnde nec habet revelatio, quæ fit in Angelis, nomen prophetiæ; quandoquidem fit eis, non ut procul existentibus, sed ut totaliter Deo conjunctis: sed nec contrarium probat, quod legitur de Samuele, quod exaltavit vocem ejus de terra ART. 5.

in prophetia,&c. utpote quia Samuel nondum pervenerat ad ſtatum beatitudinis: præterquam quod dici etiam poteſt, non fuiſſe animam Samuelis, ſed dæmonem ſub ejus perſona loquentem. *Secundum eſt*, quia & viſio Moyſis, quâ Dei eſſentiam vidit, fuit raptim per modum paſſionis, non autem permanens per modum beatitudinis, ut in Beatis, ſicque adhuc videns erat procul; & fuit Chriſtus non ſolùm comprehenſor, ſed & viator, ſub qua ratione viatoris potuit ei competere prophetia.

ART. 6. *Vtrum gradus prophetiæ varientur ſecundùm temporis proceſſum.* ℞. *Affirmativè*, non quidem ſecundùm quod ordinatur prophetia ad directionem humanorum actuum, ſed in ordine ad divinæ veritatis cognitionem. *Primum eſt*, quia fides quâ de divina veritate inſtruimur per propheticam revelationem, in duobus principaliter conſiſtit, ſcilicet in vera Dei cognitione, juxta illud,
Heb. 11. Accedétem autem ad Deum oportet credere, quia eſt; in qua quidem cognitione crevit fides ſecundùm tres temporum diſtinctiones, ſcilicet ante legem, ſub lege, & ſub gratia, quatenus ante legem Abraham & patres propheticè inſtructi ſunt de his, quæ ad fidem divinitatis pertinebant, præſertim de omnipotentia; ſub lege autem ulteriùs de divina ſimplicitate, juxta illud quod dixit Deus ad Moyſem: Ego ſum qui ſum. Vnde & Moyſi dictum eſt: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis. Tum tempore gratiæ revelatum fuit à Chriſto myſterium Trinitatis, cùm Apoſtolis dixit, Baptizantes eos

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: tum etiam consistit præfata divinæ veritatis cognitio in fide mysterii Incarnationis, juxta illud: Credite in Deum, & in me credite. Circa quam certum est, quod quanto fuerunt Christo propinquiores, sive ante, sive post, ut plurimùm pleniùs de hoc mysterio fuere instructi, in quo quidem sensu dicit Greg. quod per successiones temporum crevit divinæ cognitionis augmentum. Vnde illud, Lex & Propheta usque ad Ioannem, non ita intelligitur, quod post Ioannem non fuerint alii Prophetæ, cùm multi post Christum prophetaverint; sed quod Prophetæ prænunciantes Christi adventum non potuerunt durare, nisi usque ad Ioannem, qui Christum digito demonstravit. *Secundum est*, quia quantum ad directionem humanorum actuum, non secundùm temporis processum, sed secundùm conditionem negotiorum variata est prophetica revelatio, juxta illud: Cùm defecerit Prophetia, dissipabitur populus; adeò ut quolibet tempore instructi sint homines divinitus de agendis, prout expediebat ad electorum salutem. Vnde & tempore Regum debuerunt prophetæ magis in populo Hebræo abundare, utpote quia tunc non opprimebatur ab alienigenis; & ita oportebat per Prophetas instrui tunc in agendis populum illum, quasi liberum. Ioan. 14.

IN QVÆSTIONEM CLXXV.

De raptu.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum anima hominis rapiatur ad divina. ℞. *Affirmativè*; ita tamen quod rapi dicatur, non quidem ex parte termini ad quem per raptum elevatur, sed ex ra-

tione modi operationis, seu elevationis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm raptus violentiam quandam importet, quæ quidem dicitur, cujus principium est extra, nihil conferente eo, quod vim patitur; ideò cùm id aliquid conferat, quod in aliud tendit secundùm suam inclinationem, debet propterea qui rapitur, rapi in id, quod est diversum ab eo, in quod ejus inclinatio tendit, & quidem diversitate vel quantum ad terminum inclinationis, ut si lapis projiciatur sursum, vel quantum ad modum tendendi, ut si lapis citiùs deorsum projiciatur, quàm sit ejus naturalis motus. Vnde cùm sit homini naturale, ut in divina tendat per sensibiliũ apprehensionem, juxta illud Pauli, Invisibilia Dei per ea, &c. quia ad modum, & dignitatẽ hominis spectat, ut ad divina tendat, ex hoc quod factus est ad imaginem Dei; consequenter fit, quod hoc quod elevatur ad divina & supernaturalia cum abstractione à sensibilium operatione, dicatur rapi, non ex ratione termini elevationis, sed ex modo operationis, seu per abstractionem, & alienationem, quæ quidem potest ex triplici causa contingere: 1. ex causa corporali, ut patet in iis, qui ob aliquam infirmitatem alienationem patiuntur: 2. ex virtute dæmonum, ut in arreptitiis: 3. ex virtute divina, quo modo loquimur in præsenti de raptu.

Rom 1.

ART. 2. *Vtrum raptus magis pertineat ad vim cognoscivam, quàm appetitivam.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit habere causam ex parte appetitivæ virtutis, vel in ea habere effectum; sed ita quod quantum ad id in quod aliquid rapitur, non nisi ad vim

cognoscitivam propriè pertineat. *Primum est*, quia cùm raptus sit præter propriam inclinationem ejus quod rapitur, & motus appetitivæ virtutis sit quædam inclinatio ad bonum appetibile; ideò ex hoc quod homo appetit aliquid, non tam rapitur, quàm per se movetur, proindeque nec quantum ad illud pertinet raptus ad appetitivam vim, sed magis ad cognoscitivam, esto quod ecstasis, ad differentiã raptus, qui supra ecstasin addit violentiam quandam, possit ad vim appetitivam pertinere, ut cùm alicujus appetitus tendit in ea, quæ extra ipsum sunt, juxta quod etiam ait Dion. divinum amorem facere ecstasin. Ita tamen quod quia potest homo secundùm appetitum ferri dupliciter extra seipsum, vel cùm appetitus superior, seu intellectivus totaliter in divina tendit, prætermissis his, ad quæ inclinat appetitus sensitivus, juxta illud Pauli, Vivo ego, jam non ego, &c. vel quando prætermisso appetitu superiori, fertur homo totaliter in ea, quæ pertinent ad appetitum inferiorem, quo modo ille, qui porcos pavit, sub semetipso cecidit, ex Greg. plus appropinquet secundus iste excessus, vel ecstasis ad rationẽ raptus, quàm primus, quia superior appetitus est magis homini proprius; sed tamen quia ibi non est violentia, quandoquidem potest voluntas passioni resistere, ideò deficit à ratione raptus, nisi sit tam vehemens passio, quæ usum rationis totaliter tollat. *Secundum est*, quia cùm ex hoc ipso, quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, possit contingere, ut ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur; ideò & potest ra-

Lib. 2. dial. c. 5.

ptus causam habere ex parte appetitivæ virtutis, sicut & ex timore, quandoquidem ut amor est motus appetitus respectu boni, ita & timor respectu mali; sed insuper & in eadem parte appetitiva potest habere effectum, ut cùm delectatur quis in iis, ad quæ rapitur.

ART. 3. *Vtrum Paulus in raptu viderit Dei essentiam.* ℞. *Affirmativè*, ita quod nedum refulgentiam quandam claritatis Dei viderit, sed & ipsam Dei essentiam; quanvis non ita, quod ex eo simpliciter Beatus evaserit. *Primum est*, quia testatur ipse Paulus, se audiisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, qualia quidem videntur ea, quæ pertinent ad visionem Beatorum, utpote quæ excedit statum viæ, secundùm illud, Oculus non vidit, &c. Vnde nedum rapitur divinitùs mens humana ad contemplandam primam veritatem, ut scilicet contempletur eam per similitudines quasdam imaginarias, qualis fuit excessus mentis, qui cecidit supra Petrum; vel etiam ut divinam contempletur veritatem per intelligibiles effectus, qualis fuit excessus David, de quo in Psal: sed & ut contempletur eam in sua essentia; & talis fuit ex Aug. raptus Pauli, sicut & Moysis: & id satis congruenter, quia ut Moyses fuit primus Doctor Iudæorum, ita & Paulus gentium, juxta quod nomine tertii cœli, ad quod fuit raptus, potest intelligi nedum Empyreum respectu cœli siderei, & crystallini, sed etiam visio aliqua supermundana, quæ quidem potest dici tertium cœlum, vel secundùm ordinem potentiarum, scilicet sensus, imaginationis, & intellectus; vel secun-

1. Cor. 12. Isai. 64. Act. 10. Psal. 115. Ep. 112. c. 13. & 12. super Gen.

dùm ordinem cognoscibilium, ut cœlestium corporum, cœlestium spirituum, & Dei; vel secundùm gradus cognitionis, quâ scilicet Deus videtur ab Angelis intimæ, mediæ, & supremæ hierarchiæ. In quo quidem sensu, quia visio Dei non potest esse sine delectatione, ideò non solùm dixit se esse raptum usque ad tertium cœlum ratione contemplationis, sed etiam in paradisum ratione delectationis consequentis. *Secundum est*, quia cùm lumen gloriæ, quod requiritur ad videndum Dei essentiam, non fuerit in Paulo per modum permanentis, ut est in Beatis, ideò nec fuit in tali raptu simpliciter beatus: unde & habuit fidem habitu, nec caruit nisi actu fidei, cùm tantùm habuerit actum Beatorum, nec fuerit habitualiter beatus.

Vtrum Paulus in raptu fuerit alienatus à sensibus. ℞. *Affirmativè*, & quidem taliter, quod homo in statu viæ videre non possit Deum per essentiam sine abstractione à sensibus, esto quod post resurrectionem anima videns Deum intendat phantasmatibus, & sensibilibus. *Primum est*, quia cùm intellectus humanus non convertatur ad intelligibilia, nisi mediantibus phantasmatibus, quæ per species intelligibiles à sensibus accipit, proindeque necesse sit, quod in omni operatione, in qua abstrahitur à phantasmatibus, quod abstrahatur à sensibus; ideò cùm oporteat intellectum hominis in statu viæ à phantasmatibus abstrahi, si videat Dei essentiam, utpote quæ cùm simpliciter infinita sit, nec per aliquod phantasma, nec per species intelligibiles repræsentari potest, oportet etiam, ART. 4.

cùm elevatur ad tantam visionem, ut totaliter in Deum feratur, & nihil aliud intelligat ex phantasmatibus; & consequenter cum abstractione à sensibus. Ita tamen quod Paulus potuerit memor esse eorum quæ viderat, scilicet per species aliquas intelligibiles habitualiter in ejus intellectu relictas; sicut etiam abeunte sensibili aliquo, remanēt impressiones in anima, quas postea conferens se ad phantasmata, memoratur. *Secundum est*, quia cùm post resurrectionem fieri debeat redundantia ab intellectu ad inferiores vires, & usque ad corpus; ideò & tunc secundùm ipsam Regulam divinæ visionis intendet anima phantasmatibus & sensibilibus; imò & Christus, quia glorificatus erat per habituale lumen gloriæ, ad differentiam aliorum viatorum, erat etiam videns divinam essentiam absque abstractione à sensibus.

ART. 5. *Vtrum anima Pauli in statu illo fuerit omninò à corpore separata.* ℟. *Negativè*, ita quod necesse quidem fuerit in tali raptu abstrahi intellectum à phantasmatibus, & sensibilium perceptione; non tamen animam à corpore sic separari, ut ei non uniretur quasi forma. *Primum est*, quia cùm elevetur homo in raptu virtute divina ab eo quod est secundùm naturam ad illud quod est supra; & virtute illa divina non auferatur naturalis hæc habitudo, quam habet, ut intelligat per conversionem ad phantasmata, quam quidem ex hoc habet, quod corpori unitur, tanquam naturalis forma, utpote quia per raptum non mutatur hominis status; ideo adhuc peregrinabatur Paulus in statu illo ad Dominum,

quantum ad statum, quia adhuc erat in statu viatoris; quanvis non quantum ad actum, quo Deum videbat. *Secundum est*, quia quanvis non requiratur ad raptum abstractio à viribus animæ vegetabilis, quandoquidem hæ vires non operantur ex intentione animæ, ut vires sensitivæ; benè tamen à phantasmatibus & sensibilium perceptione, ne scilicet impediatur ipsius elevatio ad id quod omnia excedit phantasmata. Vnde & potest potentia animæ elevari divina virtute supra modum essentiæ, sicut & corpus elevari supra locum sibi convenientem secundùm speciem suæ naturæ.

Vtrum Paulus ignoraverit an ejus anima fuerit à corpore separata. ℟. *Affirmativè*, & quidem taliter, quod nesciverit an ejus anima esset corpori unita ut forma, non autem solùm an fuerit ejus corpus simul raptum cum anima. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm dicat Apostolus, se aliquid scire, scilicet se raptum esse usque ad tertium cœlum, & aliquid ignorare, an scilicet in corpore, an extra corpus: ideò cùm hoc dupliciter possit intelligi, primò ut quod dicitur, *sive in corpore*, non referatur ad ipsum esse hominis rapti, quasi ignoraverit an anima ejus esset in corpore, sed ad modum raptus, ut scilicet ignoraverit an corpus ejus fuerit simul raptũ cum anima, quem tamen sensum rejicit August. & quidem ex hoc quod Apost. dicit se esse raptum ad tertium cœlum, verum scilicet, & non tantùm imaginarium, utpote cùm ex hoc scire debuerit, aut esse aliquid spirituale & incorporeum, & sic quod non

ART. 6.

12. super Gen. ad litt.

potuerit corpus ipſius illuc rapi ; aut aliquid corporeum , proindeque quod non poſſet illuc anima rapi ſine corpore,niſi ſepararetur à corpore;conſequenter ſit,quod ſecundùm alium ſenſum debeat dictum illud Apoſt. intelligi , ut ſcilicet neſciverit, an ejus anima eſſet corpori unita ut forma, cùm dici non poſſit,quod ſolùm neſcierit, utrum eſſet paſſus alienationem à ſenſibus, utpote quod ignorare non potuit ex hoc quod ſcivit ſe eſſe raptum.Vnde cùm idem ibidem dicit,*Scio hominem raptum, &c.*non niſi per.ſinecdochen accipit ibi hominem, id eſt, pro parte hominis , quo modo præcipuè accipitur anima,quæ eſt præſtantior: ſed nec contrarium ſequitur ex hoc quod Deum viderit in illo raptu,vel ex hoc quod ſciverit,& cognoverit tertium cœlum etiã ut quid corporeum , cùm iſtud fieri potuerit per intellectum ejus , etiamſi anima non eſſet à corpore ſeparata ; & quantum ad Deum viſum , non fuerit ejus viſio ſimilis viſioni Beatorùm,niſi quantum ad id quod videbatur , non autem quantum ad modum videndi, quia non ita perfectè vidit , ſicut vident Sancti, qui propterea ſciunt, an eorum animæ ſint à corporibus ſeparatæ.

IN QVÆSTIONEM CLXXVI.

De gratiis gratis datis , quæ pertinent ad loquutionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum illi qui conſequebantur donum linguarum,loquerentur omnibus linguis.* ℞. *Affirmativè,* non quòd una tantùm loquentes lingua non potuerint ab omnibus intelligi , ſed ita quod convenientiùs fuerit , quod ab omnibus intelligerentur per hoc quod omnibus loquerentur linguis.

Primum est, quia cùm primi discipuli Christi ad hoc fuerint electi, ut per universum orbem discurrentes, fidem ejus ubique prædicarent; & non esset conveniens, ut qui mittebantur ad alios docendos, indigerent ab aliis instrui qualiter loquerentur, vel quæ aliis loquerentur, intelligerent, præsertim cùm ad infideles mitterentur, & essent pauperes, & impotentes, nec reperiissent qui eorum verba aliis fideliter interpretarentur; ideò conveniens fuit, quod per donum linguarum, quod acceperant, omnibus loquerentur linguis. Id enim ad perfectionem scientiæ ipsorum pertinebat, quâ scilicet non solùm loqui, sed etiam intelligere possent, ut poterant, quæ ab aliis dicebantur: esto quod Christus non sit loquutus linguis omnium, quanvis habens scientiam linguarum, quandoquidem uni soli genti Prædicaturus erat. Cum quo tamen stat, quod quanvis Paulus, & alii Apostoli fuerint instructi in linguis, quantum requirebatur ad fidei doctrinam; quantum tamen ad ea, quæ superadduntur humana arte ad ornatum, erat quidem Apostolus instructus in propria lingua, non autem in aliena. *Secundum est*, quia super illud Actor. 2. *Audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes*, dicit Gloss. Bedæ, quod linguis omnibus loquebantur; vel sua, idest Hebraïcâ linguâ loquentes ab omnibus intelligebantur, ac si propriis singulorum loquerentur. Quod quidem non diceret, si hoc fieri non potuisset.

Vtrum donum linguarum sit excellentius, quàm gratia prophetiæ. ℞. *Negativè*, ita quod major sit, ut ait Apost. qui prophe- ART. 2.

tat, quàm qui loquitur linguis; quanvis non ita, quin dono linguarum poſtponatur aliquo modo prophetica interpretatio ſermonum. *Primum eſt*, quia cùm donum linguarum referatur ad diverſas proferendas voces, quæ ſunt ſigna alicujus intelligibilis veritatis; & donum prophetiæ conſiſtat in ipſa illuminatione mentis ad cognoſcendam intelligibilem veritatem; ideò & nobilius eſt donum prophetiæ dono linguarum, ſicut cognitio rerum cognitione vocum: ſed inſuper eſt & utilius, tum ad Eccleſiæ ædificationem, ad quam qui linguis loquitur, nihil prodeſt, niſi expoſitio ſubſequatur: tum quantum ad ipſum loquentem, cujus quidem mens non ædificaretur ſine rerum intelligentia, etiamſi diverſis loqueretur linguis: tum denique, quia cùm dono linguarum quandoque reputantur inſani, juxta illud, Muſto madere deputant, &c. cùm tamen Prophetæ infideles convincant. Vnde quod prophetia in ſtatu imperfectionis hujus vitæ non poſſit haberi per modum habitus perfectè, ut donum linguarum, non propterea eſt imperfectius, cùm adhuc per prophetiæ donum ordinetur homo ad Deum ſecundùm mentem, quod eſt nobilius, quàm ordinari dono linguarum ſecundùm vocem; ſed hoc potiùs contingit ex ejus perfectione, ex qua ſcilicet habet ſe ad omnia ſupernaturalia cognoſcenda extendere. Sed nec excellentius eſt donum linguarum, quanvis pertineat ad novum teſtamentum, in quo quidem etiam fuit revelatio prophetica: ſicut nec excellentior eſt viſio imaginaria lumine intelligibili, quanvis illa pertineat ad excellen-

tiam prophetiæ. *Secundum est*, quia quanvis reduci possit interpretatio sermonum ad prophetiam, prout scilicet illuminatur mens ad intelligenda, & exponenda, quæ in sermonibus obscura sunt, quo fit ut potior sit dono linguarum; quia tamen etiam ad interpretandum diversa linguarum genera interpretatio sermonum se extendit, ideò & in hoc sensu postponitur linguarum dono.

IN QVÆSTIONEM CLXXVII.

De gratia sermonis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in sermone consistat aliqua gratia gratis data. ℟. *Affirmativè*, ita quod Spiritus sancti sit providere, non solùm ut quis sic loquatur, ut à diversis possit intelligi, quod pertinet ad donũ linguarum; sed etiam quod efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam sermonis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm gratiæ gratis datæ dentur in utilitatem aliorum, & cognitio, quam quis à Deo accipit, in utilitatem alterius converti non posset, nisi mediante loquutione, & quidem efficaci, ut scilicet & instruatur intellectus, quod fit dum quis sic loquitur ut doceat; & ut moveatur affectus, ut scilicet libenter audiant homines verbum Dei, tum ut amet homo ea, quæ verbis significantur, & velit ea implere, quod fit dum quis sic loquitur, ut auditorem flectat: ideò cùm Spiritus sanctus non desit in aliquo, quod ad Ecclesiæ utilitatem pertinet, ejus est ita providere in loquutione, nedum ut quis sic loquatur, ut à diversis possit intelligi; sed & ut efficaciter loquatur, quod spectat ad gratiam sermonis, esto quod non oportuerit ponere

sermonem fidei, utpote quia sufficit sermo scientiæ, vel sapientiæ, per quam fit manifestatio. Vnde non nisi modo naturali perficit Rhetorica sermonem, non autem cum ea excellentia, cum qua operatur Spiritus sanctus per gratiam sermonis id quod potest ars inferiori modo: sicut nec nisi de sermone, qui innititur humanæ eloquentiæ absque virtute Spiritus sancti, loquitur
1. Cor. 4. Paulus, cùm ait: Non in sermone est regnum Dei. Cum quo tamen stat, quod quia datur præfata gratia ad aliorum utilitatem, ideò quandoque quidem subtrahitur propter auditoris culpam, quandoque propter culpam loquentis, non ita tamen quod bona illorum opera eam directè mereantur, sed solùm tollant impedimenta.

ART. 2. *Vtrum gratia sermonis scientiæ & sapientiæ pertineat etiam ad mulieres.* ℟. *Negativè,* quantum scilicet ad publicè alloquendum totam Ecclesiam, esto quod illis possit competere privatè, ad unum vel paucos familiariter colloquendo. *Primum est*, tum ex conditione fœminei sexus, qui debet esse subditus viro; tum etiam ne animi hominum alliciantur ad libidinem; tum denique quia communiter mulieres non sunt in sapientia perfectæ, ut eis possit convenienter committi publica doctrina, ad differentiam gratiæ prophetiæ, quæ quidem conceditur mulieribus, quia attenditur secundùm mentem à Deo illuminatam, ex qua parte non est sexuum differentia, sicut est in gratia sermonis, quæ pertinet ad instructionem hominum. Vnde si quæ habeant mulieres gratiam scientiæ, aut sapientiæ, eam quidem possunt administrare secun-

dùm privatam doctrinam, non autem publicam. *Secundum est*, quia dicitur Proverb. 4. unigenitus fui coram matre mea, & docebat me, doctrinâ scilicet privatâ, quâ mater filium erudiebat.

IN QVÆSTIONEM CLXXVIII.

De gratia miraculorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum sit aliqua gratia gratis data ad miracula facienda.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ut provideatur per gratias gratis datas in perutilibus ad salutem Ecclesiæ, provideri debeat & quantum ad operationem miraculorum, quanvis non ita, quod dari debeat permanenter qualitas aliqua, quæ sit principium miraculosè operandi. *Primum est*, quia cùm necesse sit ut sermo prolatus per donum linguæ, & gratiam sermonis, confirmetur ut credibilis fiat, & hoc fieri soleat per operationem miraculorum, quatenus sicut ductu rationis naturalis pervenit homo ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, ita per supernaturales effectus, quæ dicuntur miracula, in cognitionem credendorum supernaturalem inducetur; ideò & debuit saluti Ecclesiæ providere Spiritus sanctus per gratiam datam ad miracula operanda, quæ quidem dicuntur virtutes, quatenus in his attenditur illud quod fit; & etiam signa, attendendo ad illud propter quod fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale. Vnde attribuitur quidem operatio miraculorum fidei, quatenus ordinantur ad fidei manifestationem; & quia procedit ex Dei omnipotentia, cui innititur fides, est tamen præter fidem necessaria operatio miraculorum, scilicet ad fidei manifestationem, & confirma-

tionem; si tamen veram habeant rationem miracula, qualia non sunt quæ fiunt à spiritu immundo, utpote quæ fiunt virtute naturalium causarum, esto quod vera dicantur, in hoc scilicet sensu, quo res quas faciunt, veræ erunt, sicut cùm magi Pharaonis veras fecerunt ranas. *Secundum est*, quia cùm eorum, quæ miraculosè, sive supernaturaliter fiunt, causa sit divina omnipotentia, quæ quidem nulli potest creaturæ communicari; ideò & impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima; sed solùm movetur mens miracula facientis ex inspiratione divina ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus sua virtute facit. Quod quandoque quidem fit præcedente oratione, sicut cùm Petrus Thabitam mortuam suscitavit; quandoque Deo ad nutum hominis operante, sicut Petrus Ananiam & Saphiram mentientes morti increpando tradidit.

Actor. 9. Actor. 5.

ART. 2. *Vtrum mali possint miracula facere.* ℞. *Affirmativè*; si tamen fiant ad veritatis prædicatæ confirmationem, non ad demonstrationem sanctitatis facientis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm oratio in impetrando non innitatur merito, sed divinæ misericordiæ, quæ quidem etiam ad malos se extendit; ideò & possunt mali miracula facere, & per orationem ea impetrare, si veram habeant fidem, & nomen Christi invocent; & quidem quanvis non possint boni qui sunt Deo conjunctiores, utpote cùm ad miracula facienda non semper requiratur gratia gratum faciens, juxta illud Apostoli: Si habuero omnem fidem, ita ut

montes transferam, charitatem autem non habuero, &c. Vnde dicitur quidem fides sine operibus mortua quantum ad credentem, qui per eam non vivit vita gratiæ; nihil tamen prohibet, quin possit Deus agere per fidem hominis peccatoris instrumentaliter; si tamen fiant ad veritatis prædicatæ confirmationem, utpote quæ fieri debent ad hominum utilitatem, non autem ad demonstrationem sanctitatis, quam scilicet vult Deus proponere in exemplum virtutis. Hæc enim non fiunt nisi à Sanctis, vel in vita, vel post mortem, sive per eos, sive per alios, etiam malos, cùm nihil prohibeat per aliquem peccatorem miracula fieri ad invocationem alicujus Sancti, sed prohibeat solùm fieri in testimonium sanctitatis, quam non habent, vel ad confirmationem falsæ doctrinæ, quam docent, utpote quæ à Deo specialiter facta, semper sunt vera testimonia ejus, ad quod inducuntur.

IN QVÆSTIONEM CLXXIX.

De vita activa, & contemplativa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum vita convenienter dividatur per activam, & contemplativam. ℞. Affirmativè, non quidem vitâ universaliter sumptâ, sed humanâ. *Primum est*, quia cùm vita uniuscujusque hominis videatur esse id in quo maximè delectatur, & cui maximè intendit, quia unumquodque vivens ostenditur vivere ex operatione sibi maximè propria, ad quam maximè inclinatur, adeo ut non dicatur quod vivere vivẽtibus est esse, nisi quia viventia per hoc quod habent esse in actu per suam formam, etiam tali modo operantur; ideò cùm quidam homines præcipuè intendant contemplationi veritatis, Arist. lib. 2. de an.

& quidam exterioribus actionibus, convenienter etiam dividitur vita humana in activam, & contemplativam; & quidem quanvis contemplatio importet quietem ab exterioribus motibus, utpote cùm adhuc contemplari sit quidam motus intellectus, prout quælibet operatio est motus, & motus est actus perfecti, & ita nihil prohibeat quod modo dicto dividatur vita humana. *Secundum est*, quia cùm activum & contemplativum, sive speculativum, & practicum, sint differentiæ intellectus, qui est posterius quid ad vivere universaliter sumptum; ideò non sic dividi debet vita in communi, sed solùm vita hominis, quæ quidem speciem sortitur ex hoc quod habet intellectum.

ART. 2. *Vtrum vita sufficienter dividatur per activam, & contemplativam.* ℞. *Affirmativè*, non quòd non possit tertium distingui genus, scilicet ex utroque compositum; sed ita quod sub activo & contemplativo omne comprehendatur genus vitæ. *Primum est*, quia cùm hæc divisio detur de vita humana, quæ attenditur secundùm intellectum; & intellectus dividatur per activum & contemplativum, quandoquidem intellectivæ cognitionis finis vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum speculativum; vel aliqua actio, quod pertinet ad activum: ideò sufficienter dividitur vita modo dicto, adeò ut omnia humana studia, si sint in cognitione veritatis, pertineant ad vitam contemplativam; & si in actione, ad activam: iis tamen seclusis, quæ spectant ad voluptuosam vitam, quæ quidem dicitur bestialis vita, cùm finem ponat in

delecta

delectatione corporali, quæ communis est nobis, & brutis, unde nec ponitur in prædicta divisione. *Secundum est*, quia ponit Aug. tria vitæ genera, scilicet otiosum, quod pertinet ad contemplationem; actuosum, quod ad vitam spectat activam; & tertium ex utroque compositum, quod tamen in aliis præcontinetur, sicut tepidum in calido, & frigido, utpotè cùm media conficiantur ex extremis. 19. de civ. Dei.

IN QVÆSTIONEM CLXXX.

De vita contemplativa.

ARTICVLVS PRIMVS.

V*Trum contemplatio nihil habeat in affectu, sed totum in intellectu.* ℞. *Negativè*, adeò ut pertineat quidem ad intellectum quantum ad ipsam essentiam actionis, sed quantum ad motivum, aut etiam terminativum, se teneat ex parte voluntatis. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm vita contemplativa dicatur esse eorum, qui principaliter intendunt contemplationi veritatis; & intentio sit actus voluntatis, cùm sit de fine, qui est voluntatis objectum; ideò pertinet quidem contemplatio ad intellectum quoad essentiam, sed quantum ad motivum, ad voluntatem pertinet, quæ per intentionem movet, nedum corporalia membra ad exteriores actiones, sed etiam intellectum ad operationem contemplationis. Imò etiam terminativè ad voluntatem pertinet, utpote cùm voluntas moveat ad aliquid inspiciendum, & contemplandum, vel propter amorem rei visæ; ubi enim est thesaurus, ibi & cor: vel propter amorem ipsius cognitionis, propter quod ponit Greg. contemplativam vitam etiam in charitate; sicque cùm delectetur quilibet, quando Hom. 14. in Ezec.

adeptus est quod amat, terminetur contemplativa in delectationem, quæ quidem est in affectu. Vnde & habet veritas ex hoc quod finis est contemplationis, rationem boni appetibilis, & amabilis, propter quod pertinet ad affectum; & ad visionem Dei, quæ spectat ad contemplativam, incitat amor ipsius, quod etiam pertinet ad voluntatem.

ART. 2. *Vtrum virtutes morales pertineant ad vitam contemplativam.* ℞. *Negativè*, non quòd non spectent ad eam dispositivè, sed ita quòd ad ipsam non pertineant, loquendo essentialiter. *Primum est*, quia finis contemplativæ est consideratio veritatis; cùm tamen virtutes morales pertineant essentialiter ad felicitatem activam, ex Philos. nec nisi parvam in ipsis potestatem habet ipsum scire, ex eodem. Vnde habet quidem contemplativa motivum ex parte affectus, & secundùm hoc ait Gregor. dilectionem Dei, & proximi requiri ad contemplativam, non tamen essentialiter: sicut nec nisi in vita contemplativa, quæ consistit in actu rationis, invenitur pulchritudo per se, & essentialiter, & solùm participativè in virtutibus moralibus, utpote cùm consistat pulchritudo in quadam claritate, & debita proportione, quæ radicaliter est in ratione. *Secundum est*, quia cùm actus contemplationis impediatur per vehementiam passionum, & per tumultus exteriores, quæ quidem sedant virtutes morales; ideò & habent se dispositivè ad vitam contemplativam, in quo etiam sensu dicitur, quod pax, & cordis munditia ducunt ad visionem Dei.

In 2. Ethic.

Matt. 5.

Vtrum ad vitam contemplativam pertineant diversi actus. ℞. *Negativè*, ita quod unum habeat finalem actum, à quo unitatem accipit; quanvis non ita, quin plures habeat, quibus ad finalem perveniat. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm homo non simplici apprehensione veritatem intueatur, ut Angelus, sed quodam processu ex multis; ideò & habet ad contemplandum diversos actus antecedentes, qui vel pertinent ad acceptionem principiorum, vel ad deductionem principiorum in veritatem ejus, cujus cognitio quæritur: & hoc modo pertinent ad contemplationem, tum cogitatio, quæ dicit multorum inspectionem in ordine ad unam colligendam veritatem; & meditatio, quæ spectat ad processum rationis ex principiis aliquibus ad veritatis alicujus contemplationem pertingentibus, & ad quam reducitur speculatio, quæ cùm dicatur à speculo, idem est ac visio causæ per effectum, in quo ejus relucet similitudo: sed quia ultimus, & completivus actus hujus vitæ est unus, scilicet contemplatio veritatis; ideo fit quod unum habet actum in quo finaliter perficitur, à quo accipit unitatem. Vnde pertingit quidem homo ad cognitionem veritatis, vel per ea, quæ ab alio accipit, & tunc si à Deo, est necessaria oratio; si ab homine, auditus, seu loquutio: vel per proprium studium, & sic requiritur meditatio; ita tamen, ut hæc non pertineant ad actum contemplationis, sed ad hoc ut ad contemplationem deveniatur, sicut nec nisi ad contemplationem veritatis primæ consequitur admiratio: in quo sensu dicit ART. 3.

Lib. 5. de confid. Bern. quod maxima contemplatio est admiratio majestatis, non quòd ipsa contemplatio sit plures actus.

Art. 4. *Vtrum vita contemplativa solùm consistat in contemplatione Dei.* ℟. *Affirmativè*, non quòd ad eam non pertineat secundariò contemplatio divinorum effectuum, sed ita quod consistat principaliter in contemplatione divinæ veritatis. *Primum est*, quia cùm hujusmodi contemplatio divinæ veritatis sit finis totius humanæ vitæ, ut ait Aug. Vnde & ponit Phil. in contemplatione optimi intelligibilis ultimam hominis felicitatem, quæ scilicet hìc inchoatur per speculum, ut in futuro continuetur facie ad faciem; ideò & in ea consistit principaliter contemplativa vita, adeò ut quæreret quidem David cognitionem operum Dei, juxta illud: Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis; sed ut ex hoc manuduceretur ad Deum, sive divinam veritatem, quæ est perfectio ultima intellectus, propter quam aliis perficimur veritatibus, non autem ut principaliter hæc contemplaretur. *Secundum est*, quia cùm per divinos effectus in Dei contemplationem manuducamur, secundùm illud: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, &c. ideò & eorundem contemplatio ad contemplativam vitam secundariò pertinet. Vnde hæc quatuor ad eam pertinent, primò scilicet virtutes morales ad eam disponentes, tum alii actus præter contemplationem, postea contemplatio divinorum effectuum, & tãdem principaliter divinæ veritatis contemplatio. Cum quo tamẽ stat, quod adhuc sex assignari possint gradus, quibus per creaturas in Dei con-

[Margin notes: 1. de Trinit. c. 8. — Psal. 138. — Rom. 1.]

templationem aſcenditur, ſcilicet perceptio ſenſibilium, progreſſus à ſenſibilibus ad intelligibilia, dijudicatio ſenſibilium ſecundùm intelligibilia, abſoluta conſideratio intelligibilium, in quæ per ſenſibilia devenitur; contemplatio intelligibilium, quæ tantùm ratione capi poſſunt; & tandem contemplatio intelligibilium, quæ nec ratio diſcurſiva percipere poteſt, primæ ſcilicet veritatis. Richard. lib. 1. de contem. cap. 6.

Vtrum vita contemplativa ſecundùm ſtatum præſentis vitæ poſſit pertingere ad viſionem divinæ eſſentiæ. ℞. *Negativè*, ſi nimirum ſumatur ſtatus hujus vitæ non quidem ſolùm potentialiter, in quantum eſt anima conjuncta ut forma, ut potens uti corporis ſenſibus; ſed ſecundùm actum, in quantum ſcilicet actualiter eis utitur. *Primum eſt* ex Greg. qui ait, neminé poſſe in cõtemplatione ita proficere, ut poſſit oculos mentis in radios divini luminis infigere; necnon ex Aug. aſſerente, quod nemo videns Deum vivit iſta vita, qua mortaliter vivimus in iſtis ſenſibus corporis. Vnde quod Iacob dicit: Vidi Deum facie ad faciem, non aliter intelligendum venit, quàm quod viderit formam imaginariam, per quam Deus ei loquutus eſt; ſed nec dum ait Greg. de B. Benedicto, quod animæ videnti Deum anguſta ſit omnis creatura, vult propterea ſignificare, quod Dei eſſentiam viderit, ſed quod per illuſtrationem divini luminis poſſunt de facili quæcumque videri. Cum quo tamen ſtat, quod quia intellectualis cognitio non ſiſtit in phantaſmatibus in hac vita, ſed in eis contemplatur puritatem veritatis intelligibilis, etiam in iis, quæ per re- ART. 5. Hom. 18. in Ezec. lib. 12. ſuper Geneſ. c. 27. Gen. 32. Lib. 2. Dialog. c. 34.

velationem cognoscimus, ideò adhuc verum sit dicere cum Greg. viros contemplativos non secum trahere rerum corporalium umbras, quia scilicet in eis non sistunt. *Secundum est*, quia quandiu solùm est anima in potentia, ut sensibus utatur, nec actu utitur, ex nullo tunc aggravatur à corpore, quin possit ad supremum contemplationis gradum pertingere, qualem quidem habuit Paulus in raptu, secundùm quem fuit medio modo se habens inter statum præsentis vitæ, & futuræ.

Lib. 6. Moral. c. 26.

ART. 6. *Vtrum operatio contemplationis convenienter distinguatur per tres motus, circularem, rectum & obliquum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod sicut in motibus corporalibus, sic & in operationibus intelligibilibus tres illæ assignabiles sint differentiæ, circularis, recti, & obliqui, sed alio modo assignandæ in hominibus, & alio in Angelis. *Primum est*, quia cùm per sensibilia in cognitionem intelligibilium deveniamus, & operationes sensibiles sine motu non fiant, proindeque operationes intelligibiles quasi motus quosdam describere debeamus, nec non secundùm similitudinem diversorum motuum earum differentias assignare; ideò cùm in motibus corporalibus tres potissimùm differentiæ assignentur, circularis unus, secundùm quem aliquid movetur uniformiter circa idem centrum; alius rectus, secundùm quem aliquid procedit ab uno ad aliud; tertius obliquus, quasi ex utroque cōpositus, proinde fit, quod etiam in operationibus intelligibilibus, quod simpliciter habet uniformitatem, attribui debeat motui circulari, & secundùm quod

proceditur ab uno in aliud, motui recto; & operatio, quæ aliquid habet uniformitatis ſimul cum proceſſu ad diverſa, attribuatur motui obliquo, adeò ut omnes aliæ diverſitates motuum, quæ accipiuntur ſecundùm differentiam ejus, quod eſt ſurſum, deorſum, dextrorſum, &c. quas aſſignat Richardus, contineantur ſub motu recto, vel obliquo, quandoquidem per omnes deſignatur diſcurſus rationis; ita tamen, quod motus hujuſmodi intelligibilium operationum non opponatur quieti & contemplationi, ſicut motus corporalis, utpote quæ ſolùm quieſcit ab exterioribus occupationibus. *Secundum eſt*, quia cùm homo conveniat intellectu cum Angelis ſolùm in genere, ſitque vis intellectiva multò altior in illis, quàm in homine; ideò & præfati motus alio modo aſſignari debent in hominibus, & alio in Angelis, ut videre eſt in Dionyſ. cap. 4. de Div. Nom. ubi ſcilicet differentias declarat.

Vtrum contemplatio delectationem habeat. ART. 7.
℟. *Affirmativè*, & quidem tum ratione ipſius operationis contemplationis, tum etiam ratione amoris, ſeu quia objectum contemplatur amatum. *Primum eſt*, quia cùm unicuique delectabilis ſit operatio ſibi conveniens ſecundùm propriam naturam, vel habitum; & contemplatio veritatis competat homini ſecundùm ſuam naturam, ut rationalis eſt; ideò & habet contemplatio ex ratione operationis delectationem, & magis adhuc in habente habitum ſapientiæ, vel ſcientiæ; quo quidem fit, ut homo ſine difficultate contempletur: quanvis enim vita contemplativa eſſentia-

liter consistat in intellectu; quia tamen principium habet in affectu, ut suprà dictum est, & finis respondet principio, inde est quod finis & terminus vitæ contemplativæ sint in affectu, in quo consistit delectatio. Vnde est quidem in contemplatione contentio, & certamen, ut dicit Greg. non tamen ex contrarietate veritatis, quam contemplamur, unde impediretur delectatio; sed ex defectu nostri intellectus, & corporis, quod scilicet animam aggravat, & ad inferiora trahit; sicque solùm ex eo colligitur delectatio perfecta, quæ erit in patria; non autem imperfecta, qualis est in hac vita, quæ tamen adhuc est longè major omni alia delectatione, quantumvis perfecta, ob excellentiam rei contemplatæ. *Secundum est*, quia vita contemplativa præcipuè consistit in contemplatione Dei, ad quam quidem movet charitas, quæ omnem amorem superat, sicut & ejus delectatio omnem aliam delectationem. Et inde est, quod Iacob post contemplationem uno pede claudicabat, quia necesse est, ut debilitato amore seculi, qui significatur per unum pedem, convalescamus ad amorem Dei, qui per alterum pedem significatur.

Hom. 14. in Ezec.

Art. 8. *Vtrum vita contemplativa sit diuturna.*

℞. *Affirmativè*, & quidem sive consideretur contemplatio secundùm suam naturam, sive consideretur quoad nos. *Primum est*, quia cùm versetur vita contemplativa secundùm se circa incorruptibilia, & immobilia; & aliunde non habeat contrarietatem, quandoquidem delectationi, quæ est in considerando, nihil contrariatur, ideò & est secundùm suam naturam diuturna;

& quidem quanvis modus contemplandi non sit idem hîc, & in patria, quandoquidem adhuc manere dicitur vita contemplativa ratione charitatis, in qua habet principium & finem: sicut & in hac vita, quanvis quantum ad sui summum diu durare non possit, potest saltem diu durare quantum ad alios contemplationis actus. *Secundum est*, quia & competit nobis secundùm actionem incorruptibilis partis, scilicet animæ, propter quod dicit Arist. esse vitam contemplativam supra hominem, non quòd non sit ei connaturalis, sed quia competit ei secundùm illud, quod habet divinum, scilicet secundùm intellectum incorruptibilem, & æternum; & insuper in operibus contemplativæ corporaliter non laboramus, sicque ex parte nostri magis continuè in illis persistere possumus. In 10. Ethic.

IN QVÆSTIONEM CLXXXI.

De vita activa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum omnes actus virtutum moralium pertineant ad vitam activam. ℞. *Affirmativè*, non quòd non possint aliqualiter comprehendi sub vita contemplativa, sed ita quod essentialiter spectent ad activam, quanvis non æqualiter. *Primum est*, quia cùm virtutes morales per se ordinentur ad operandum, & operatio sit finis vitæ activæ, sumuntur namque genera vitæ secundùm diversa studia ad diversos fines; ideò & pertinent essentialiter ad vitam activam, & quidem omnes, quandoquidem per actus omnium virtutum moralium potest homo proximos suos dirigere ad bonum, quod quidem Greg. attribuit vitæ activæ: ita tamen quod quia inter virtutes morales Homil. in Ezec. In 5. Ethic.

præcipua est justitia, quâ quis ad alterũ ordinatur, ex Philos. describatur vita activa per ea, quæ ad alterum ordinantur, non quia in his solùm, sed quia in his principaliter consistit, & ita inæqualiter. *Secundum est*, quia sicut si quis utatur virtutibus moralibus tanquam bonis secundùm se, pertinent ad activam; sic etiam si quis illis utatur ut disponunt ad contemplativam, comprehenduntur sub contemplativa, cùm virtus quæ ordinatur in finem alterius, quasi transeat tunc in speciem ejus.

ART. 2. *Vtrum prudentia pertineat ad vitam activam.* ℟. *Affirmativè*, si tamen propriè sumatur prudentia secundùm quod Philosophus de ea loquitur; non autem communiter pro qualicumque humana cognitione. *Primum est*, quia cùm in moralibus præcipuè quod ordinatur ad aliud, ut ad finem, trahatur ad speciem ejus, ad quod ordinatur; & cognitio prudentiæ propriè dictæ tota ordinetur, ut ad finem, ad operationes virtutum moralium, quæ quidem pertinent ad vitam activam; ideò quanvis magis pertineat ad vim cognoscitivam, adhuc pertinet ad vitam activam, cùm adhuc habeat finem in actu appetitivæ virtutis, & actiones morales specificentur à fine. Vnde occupatio quidem vitæ activæ circa exteriores actiones facit hominem minùs videre in rebus separatis à sensibilibus, facit tamen magis clarè videre in judicio agibilium, quod spectat ad prudentiam; quæ etiam non aliter dicitur media inter intellectuales, & morales virtutes, nisi quia in subjecto conuenit cum intellectualibus, & in materia cum moralibus. *Secundum est*,

quia si prudentia communiùs sumatur, ut comprehendit omnem humanam cognitionem, sic quantum ad aliquam sui partem ad vitam pertinet contemplativam: unde ait Tullius, qui acutissimè, & celerrimè potest videre verum, is prudentissimus est. Lib. 1. offic.

Vtrum docere sit actus vitæ activæ. ℟. *Affirmativè*, si tamen sumatur doctrina, seu doctrinæ objectũ ex parte sermonis audibilis, seu comparativè ad audientem, non ex parte materiæ, seu objecti interioris conceptionis. *Primum est*, quia sumpto doctrinæ objecto ex parte audientis, cùm tunc qui docet aliquid, agat erga eum, qui addiscit & audit, ad differentiam illius, qui orat pro alio, qui quidem nihil agit erga illum, pro quo orat, sed erga Deum; ideò & tunc omnis doctrina pertinet ad vitam activam, ad quam pertinent exteriores actiones, juxta quod dicit Greg. quod activa vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere. *Secundum est*, quia si sumatur doctrina comparativè ad materiam, seu objectum interioris loquutionis; licèt tunc quandoque pertineat ad vitam activam, quando scilicet homo interiùs concipit veritatem, per quam in exteriori actu dirigatur; aliquando tamen ad contemplativam pertinet, ut cùm concipit veritatem intelligibilem, in cujus consideratione amore delectatur: quod confirmari potest ex eo, quod actus & habitus, & per consequens doctrina, & sapientia, cujus est contemplari, pertinent ad idem genus vitæ ex parte interioris conceptionis, cùm communicent actus & habitus in eodem objecto. Art. 3.

ART.4. *Vtrum vita activa maneat post hanc vitam.* ℞. *Negativè*, non quòd non possint remanere actus aliqui exteriores vitæ activæ, sed quia sub ea ratione qua remanent, ad vitam pertinent contemplativam. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm vita activa finem habeat in exterioribus actibus, & in futura vita Beatorum cesset occupatio exteriorum actuum, adeò ut si qui actus exteriores sint, referantur ad finem contemplationis, juxta illud Aug. Ibi vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus; amabimus,& laudabimus: unde nec manebunt post hanc vitam virtutes morales secundùm actus circa ea quæ sunt ad finem, in quibus consistit vita activa, sed secundùm actus circa finem; ideo nec manebit post hanc vitam vita activa, etsi aliqui possint remanere exteriores actus; & quidem quanvis durabilitas vitæ activæ in statu præsenti excedat durabilitatem contemplativæ, utpote quod non est ex proprietate utriusque vitæ, sed ex defectu nostri. Imò & quanvis nobis promittatur similitudo Angelorum,inter quos unus alium docet, purgat, & perficit, utpote quæ nobis promittitur non in administratione,seu dispensatione mysteriorum Dei, juxta quod habent aliquid de vita activa quamdiu durat mundus, dum administrationi inferioris creaturæ intendunt, quanvis sine privatione divinæ contemplationis; sed similitudo in contemplatione, in qua quidem nullus Angelus, vel Beatus alium docet, quia omnes Deum videbimus sicuti est.

Lib. 22. de civit. cap. ult.

IN QVÆSTIONEM CLXXXII.

De comparatione vitæ activæ ad contemplativam.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum vita activa sit potior, quàm contemplativa. ℞. *Negativè*, non quòd non sit potior secundùm quid, sed ita quod contemplativa sit simpliciter melior. *Primum est*, quia contemplativa & convenit homini secundùm id quod est optimum in seipso, scilicet secundùm intellectum; & respectu propriorum objectorum, id est intelligibilium; & potest esse magis continua, quanvis non quantum ad summum contemplationis: unde Maria describitur secus pedes Domini sedens; & major est delectatio in contemplativa, quàm in activa: propter quod dicitur de Martha, quod turbabatur; & in contemplativa est homo magis sibi sufficiens, cùm hæc vita paucioribus sit contenta; & consistit in quadam vacatione, & quiete, & est secundùm divina, cùm tamen sit activa secundùm humana. Vnde quanvis præcipere pertineat ad artem potiorem, non ideò activa est simpliciter præstantior, quandoquidem non directè præcipit contemplativæ, cùm solùm quædam præcipiat opera vitæ activæ, quæ ad contemplativam disponunt, in quo quidem magis servit, quàm dominatur. Et hinc etiam est, quod ad Prælatos non solùm pertinet activa, sed etiam excellere in contemplativa; sicut nec cùm aliquis à contemplativa ad activam vocatur, id propterea fiat per modum subtractionis, sed additionis, propter aliquã necessitatem præsentis vitæ. *Secundum est*, quia in casu aliquo magis eligenda vita activa, propter scilicet aliquam

necessitatem præsentis vitæ; quia ut dicit Phil. philosophari melius est quàm ditari; sed necessitatem patienti melius est ditari, quàm philosophari.

In 3. Topic.

ART. 2. *Utrum vita activa sit majoris meriti, quàm contemplativa.* ℞. *Negativè*, non quòd non possit contingere, quod quis plus mereatur in operibus vitæ activæ, quàm alius in operibus contemplativæ; sed ita quod vita contemplativa sit ex suo genere majoris meriti, quàm activa. *Primum est*, quia cùm radix merendi sit charitas, quæ consistit in dilectione Dei, & proximi, sed taliter quod diligere Deum sit ex se magis meritorium, quàm diligere proximum; ideo quod directiùs pertinet ad dilectionem Dei, ut pertinet vita contemplativa, magis est meritorium ex suo genere, quàm quod directè pertinet ad dilectionem proximi propter Deũ, ut vita activa. Vnde est quidem labor exteriòr toleratus propter Christum, signum quoddam charitatis, in qua quidem consistit principaliter augmentum meriti respectu præmii essentialis; sed multò expressius ejus signum est, quod aliquis prætermissis omnibus, soli divinæ contemplationi vacare delectetur: neque cùm dicitur, quod nullum sacrificium est Deo magis acceptũ, quàm zelus animarum, præfertur propterea meritum activæ merito contemplativæ; sed datur solùm intelligi, quod hoc offerre Deo est gratius, quàm bona exteriora. *Secundum est*, quia potest contingere, quod quis ex abundantia divini amoris ad Dei gloriam, vellet ad tempus à dulcedine divinæ contemplationis separari: quo modo intelligitur illud Pauli, Optabam ego

Greg. in 6. Moral. cap. 27.

Rom. 9.

ipse anathema esse pro fratribus meis : in quo quidem casu plus mereretur in operibus vitæ activæ, quàm alius in operibus contemplativæ.

Vtrum vita contemplativa impediatur per vitam activam. ℟. *Negativè*, si nimirum consideretur vita activa, non quidem quantum ad ipsam occupationem exteriorum actuum, sed quantum ad hoc, quod interiores animæ passiones componit. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm impossibile sit, quod simul aliquis occupetur circa exteriores actiones, & divinæ contemplationi vacet; ideò quantum ad ipsum studium, & exercitium exteriorum actionum impedit quidem vita activa contemplativam; sed quia sub alia consideratione quietat vita activa interiores passiones, ex quibus phantasmata proveniunt, per quæ contemplatio impeditur; ideò nec impedit sub ea ratione, sed potiùs adjuvat ad contemplationem. Vnde Greg. Qui contemplationis arcem desiderant, priùs se in campo per exercitium operis probent. Art. 3.

Vtrum vita activa sit prior, quàm contemplativa. ℟. *Affirmativè*, si tamen subintelligatur non simpliciter, & secundùm naturam; sed in via generationis, & quoad nos. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm disponat vita activa ad contemplativam, quatenus ex bono opere tendimus in contemplationem; & dispositio in via generationis præcedat formam, quæ tamen simpliciter, & secundùm naturam est prior; ideò est quidem vita contemplativa prior secundùm naturam, præsertim cùm prioribus, & melioribus insistat, quo fit ut vi- Art. 4.

tam activam moveat & dirigat. Ratio namque superior, quæ contemplationi deputatur, comparatur ad inferiorem, quæ assignatur actioni, sicut vir ad mulierem; nihilominùs prior est viâ generationis vita activa, in qua quidem via proceditur à vita activa ad contemplativam, quanvis posteà à contemplativa redeatur per viam directionis ad activam; adeò ut licèt contemplativa pertineat ad dilectionem Dei, quæ est prior, eam tamen præcedat activa, sicut quod est commune omnium, præcedere solet quod est proprium perfectorum. Vnde quanvis aliqui sint magis apti ad vitam activam propter impetum passionum, ad quas sunt proni, & aliqui magis sint ad contemplationem; non tamen inde tollitur, quin illi per exercitium activæ possint se ad contemplationem præparare, & isti exercitia subire vitæ activæ, sicque inter se servare ordinem prioris, & posterioris.

IN QVÆSTIONEM CLXXXIII.

De officiis & variis hominum statibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum status in sui ratione importet conditionem libertatis, vel servitutis.

℟. *Affirmativè*, ita quod ad statum hominis videatur pertinere, quod respicit obligationem immobilem personæ, prout est sui, vel alieni juris; si tamen propriè sumatur status, & adæquatè. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm status, propriè loquendo, quandam significet positionis differentiam secundùm modum suæ naturæ, quasi in quadam immobilitate, quo fit ut homo dicatur stare, quando erectus pedes in terram figit; & negotium in humanis habere statum, quando ordinem habet propriæ dis-

positionis cū quadā immobillitate; ideò & id solùm videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit conditionem, seu obligationem personæ, non ex levi & de facili commutabili causa, qualis quidem est conditio non divitis, aut pauperis, & aliorum hujusmodi, quæ de facili variantur, sed conditio servi, & liberi. Ita tamen quod præfata immobilitas requiratur in eo, quod pertinet ad conditionem personæ, quo fit ut nec per officia diversificentur status, quia dicuntur per comparationem ad actus; neque per gradus, qui quidem dicitur secundùm ordinem superioritatis, & inferioritatis; sed nec ex omni operatione virtuosa dicatur quis statum adipisci, licèt faciat virtus immobiliter operari, ex Philos. ut- pote cùm immobilitas non sufficiat ad rationem adæquatam status; cùm etiam sedens, vel jacens ita immobiliter quiescat, qui tamen non dicitur stare. In 2. Eth. cap. 1.

Vtrum in Ecclesia debeat esse diversitas officiorum, seu statuum. ℞. *Affirmativè*, & quidem tum ex ratione perfectionis Ecclesiæ, tum ex necessitate actionum, tum etiam ad Ecclesiæ decorem. *Primum est*, quia sicut in rerum naturalium ordine perfectio, quæ in Deo simpliciter & uniformiter ininvenitur, inveniri non potest in diversitate creaturarum, nisi difformiter, & multipliciter: sic & plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, ut in capite, ad hoc ut corpus Ecclesiæ perfectum sit, non nisi diversimodè redundat ad ejus membra, propter quod etiam dicitur circumamicta varietate; & ab Apost. Dedit quosdam Apostolos, quosdam verò Prophetas, &c. unde non propterea ART. 2. Psal. 44. Ad Eph. 4.

impedit diversitas statuum, & officiorum Ecclesiæ unitatem, quæ potiùs perficitur per unitatem fidei, charitatis, & mutuæ subministrationis. *Secundum est*, quia ut expeditiùs, & sine confusione omnia peragantur, multùm facit si ad diversas actiones, quæ sunt Ecclesiæ necessariæ, diversi
Rom.12. deputentur homines, juxta illud Apost. Sicut in uno corpore plura membra, &c. qui quidem agendi modus non repugnat gratiæ, quandoquidem sicut natura non coarctat in unum id ad quod multa requiruntur, quanvis non faciat per multa quod potest facere per unum, nec etiam gratia. *Tertium est*, quia in quodam consistit ordine Ecclesiæ decor, seu dignitas & pulchritudo. Vnde ait Apost. In magna domo non solùm sunt vasa aurea,& argentea,&c. & hoc maximè cùm non sit talis diversitas superiorum & inferiorum impeditiva pacis & unitatis, quatenus sicut membra diversa in corpore naturali continentur in unitate spiritus vivificantis: ita in corpore Ecclesiæ conservatur pax diversorum membrorum virtute Spiritus sancti, qui corpus Ecclesiæ vivificat,à qua quidem unitate recedit,qui quærit quæ sibi propria sunt.

ART.3. *Vtrum officia distinguantur per actus.*
℞. *Affirmativè*; si tamen accipiatur diversitas humanorum actuum formaliter, non autem materialiter. *Primum est*,quia cùm diversitas in membris Ecclesiæ ad tria ordinetur,ut suprà dictum est,scilicet ad perfectionem,actionem,& decorem;ideò sicut accipitur diversitas statuum per respectum ad perfectionem, prout sunt alii aliis perfectiores; tum diversitas graduum in iis-

Artic. præc.

dem fidelibus, per reſpectum ad decorem, ſive ordinem pulchritudinis Eccleſiaſticæ, ſecundùm quod eſt unus ſuperior altero in eodem ſtatu, vel officio;ſic & diverſitas officiorum per ordinem ad actionem, quandoquidem dicuntur ad diverſa officia eſſe, qui ſunt ad diverſas actiones deputati. Ita tamen, quod quanvis diverſitas ſtatuum, officiorum,& graduum ſumatur ſecundùm diverſa; contingat tamen, quod iſta tria quandoque in eundem concurrant, ut cùm quis deputatur ad aliquem altiorẽ actum, & ſimul habet officium & gradum,& quendam perfectionis ſtatum, ut patet in Epiſcopo.*Secundum eſt*,quia cùm diverſitas materialis humanorum actuum ſit indeterminata & infinita, ideò non ſecundùm materialem, ſed ſecundùm formalem diverſitatem, quæ accipitur ſecundùm diverſas, & determinatas ſpecies actuum,diſtinguuntur officia; & quidem ſecundùm actus, qui referuntur ad alios, ad differentiam diverſitatis vitarum,quæ quidem accipitur ſecundùm diverſos actus, ſed indifferenter, ſecundùm quod conveniunt homini ſecundùm ſeipſum.

Vtrum differentia ſtatuum attendatur ſecundum incipientes,proficientes,& perfectos. ART. 4.
℟. *Affirmativè*, ita quod ſecundùm hæc tria diſtinguatur ſtatus ſpiritualis ſervitutis & libertatis, quanvis non ita, quin & ſecundùm eadem diſtinguantur charitatis gradus. *Primum eſt*, quia cùm ſtatus ſpiritualis ſervitutis, ſive ſervitutis juſtitiæ, quæ ita dicitur, cùm quis ex habitu inclinatur ad bonum, ſicut & ſervitus peccati, cùm quis ſic habitualiter inclinatur ad ma-

lum; & status spiritualis libertatis, seu à peccato, quæ similiter ita dicitur, cùm quis ab inclinatione peccati non superatur; cùm, inquam, hujusmodi status secundùm tria distinguatur, scilicet secundùm principium, ad quod pertinet status incipientium; tum secundùm medium, ad quod pertinet status proficientium; atque secundùm terminum, ad quem pertinet status perfectorum: & quod homo efficiatur servus justitiæ, vel peccati, contingat per humanum
Rom. 6. studium, ex Apost. in quo quidem studio est principium, medium, & terminus; ideo & attenditur differentia statuum secundùm incipientes, proficientes, & perfectos, juxta illud Greg. quod tres sunt modi conversorum, inchoatio, medietas, atque perfectio. Ita tamen, quod nihil prohibeat, in idem concurrere statum & gradum, quia etiam in humanis liberi sunt altioris status, quàm servi: nec etiam respiciat prædicta differentia servitutem, & libertatem simpliciter, sed servitutem, & libertatem spiritualem. *Secundum est*, quia cùm libertas à peccato fiat per charitatem, quæ diffunditur per Spiritum sanctum, juxta illud:
2. Cor. 3. Vbi spiritus Domini, ibi libertas; ideò & eadem est divisio charitatis, & statuum pertinentium ad spiritualem libertatem, & servitutem, ut dictum est.

IN QVÆSTIONEM CLXXXIV.

De pertinentibus ad statum perfectionis in communi.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum perfectio Christiana vitæ attendatur specialiter secũdùm charitatem.
℞. *Affirmativè*; in hoc tamen sensu, quod secundùm charitatem attenditur simplici-

ter perfectio Christianæ vitæ, sed secundùm alias virtutes secundùm quid. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm unumquodque dicatur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio; & ipsa charitas uniat nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis: qui enim manet in charitate, in Deo manet, &c. ideo & secundùm charitatem attendi debet perfectio Christiani, non quòd non attendatur secundùm alias virtutes secundùm quid, quasi ad modum alicujus exteriùs adjacentis; sed ita quod attendatur ex charitate simpliciter, quasi ex eo quod spectat ad rei naturam, quandoquidem qui non diligit, manet in morte. Vnde non nisi in ordine ad charitatem dicitur patientia habere opus perfectum, prout ex abundantia charitatis provenit, ut quis patienter adversa toleret. Neque aliter intelligitur illud Apost. Malitiâ parvuli estote, sensibus autem perfecti; nisi quia perfectio humanorum sensuum in hoc præcipuè consistere videtur, ut in unitatem veritatis conveniant, quod efficit charitas.

1. Ioan. 4.

1. Ioan. 3.

Vtrum aliquis in hac vita possit esse perfectus. ℞. *Affirmativè*, non quidem ea perfectione charitatis, quæ totalitatem dicit ex parte diligibilis, vel etiam ex parte diligentis, quâ scilicet secundùm totum suum posse actualiter fertur in Deum; sed ea perfectione, quâ scilicet totum illud excluditur, quod repugnat motui dilectionis. *Primum est*, quia posterior hæc perfectio, juxta quam dicit August. quod venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas, potest

ART. 2.

Lib. 83. quæst.

haberi, ſicut & explicari, vel in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, ſcilicet peccatum mortale, quæ quidem perfectio eſt de neceſſitate ſalutis; hucque pertinet illud: Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter,
Matt. 8. &c. vel etiam in quantum ab affectu hominis non ſolùm excluditur peccatum mortale, ſed & omne illud quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum; ſine qua tamen perfectione poteſt eſſe charitas, ut in incipientibus & proficientibus: ſicut & in dilectione proximi poteſt charitas ſine ea eſſe perfectione, quæ vel attenditur ſecundùm extenſionem, ut ſcilicet quis non ſolùm diligat amicos & notos, ſed extraneos & inimicos; vel ſecundùm intentionem, ut contemnat propter proximum, non ſolùm bona exteriora, ſed etiam afflictiones corporales, & mortem; vel quantum ad effectum dilectionis, ut homo pro proximis impendat non ſolùm beneficia temporalia, & ſpiritualia, ſed etiam ſeipſum. *Secundum eſt*, quia cùm totalitas dilectionis ex parte diligibilis tunc locum habeat, quando tantum diligitur Deus, quantum diligibilis eſt, quod quidem ſoli competit Deo; ideò non eſt poſſibilis alicui creaturæ, ſed neque in hac vita totalitas ex parte diligentis, cùm ibi non evacuetur quod ex parte eſt, ſeu imperfectum, ſcilicet ſpes & fides, ſed ſolùm in patria. Vnde qui in hac vita perfecti ſunt, adhuc in multis dicuntur offendere ſecundùm peccata venialia, quæ ſequuntur ex infirmitate præſentis vitæ, in quo quidem habent aliquid imperfecti reſpectu patriæ,

Vtrum perfectio consistat in praeceptis potiùs, quàm in consiliis. ℟. *Affirmativè*, ita quod secundariò quidem, & instrumentaliter consistat in consiliis, sed per se, & essentialiter in duobus charitatis praeceptis. *Primum est*, quia cùm sita sit perfectio essentialiter in charitate, seu dilectione Dei & proximi, cujus est nos unire fini; & cadat hujusmodi dilectio sub praecepto, etiam prout perfecta, ut patet ex forma praecepti dicentis, Diliges Deum ex toto corde tuo, &c. non autem solùm secundùm mensuram aliquam, quasi id quod est plus sub consilio remaneat, utpote cùm in fine, ad quem pertinet charitas, ex Apost. non adhibeatur mensura aliqua, sed solùm in his quae sunt ad finem; ideò & in hujusmodi praeceptis est essentialiter perfectio. Vnde in verbis illis Domini, Si vis perfectus esse, vade, &c. aliquid quidem ponitur de consilio, sed quasi via ad perfectionem, ut: Vade, & vende omnia, &c. at aliud subditur in quo perfectio consistit, quod praecipitur, cùm dicitur, Et sequere me, scilicet mentis affectu, quod fit charitate. Ita tamen, quod licèt consistat perfectio in praeceptis, quorum observatio est de necessitate salutis; non tamen quaecumque perfecta observatio sit de necessitate salutis, cùm id quod cadit sub praecepto, possit diversimodè adimpleri, sicque satis sit, quod charitatis praeceptum quocumque modo impleatur. Imò quanvis charitas ex se importet perfectionem quandam secundùm speciem suam, nihil tamen prohibet, quin sit alia perfectior charitas, ad quam aliquis pervenit per aliquod spirituale augmentũ,

ART. 3.

1. ad Tim.

ſicut & eſt in homine alia perfectio, ad quam per augmentum adducitur. *Secundum eſt*, quia cùm ordinentur conſilia ad charitatem, removendo impedimenta actus charitatis, quæ ſcilicet charitati non contrariantur, ut eſt matrimonium, occupatio ad negotia ſæcularia; ideò & ſecundariò, & quaſi inſtrumentaliter conſiſtit perfectio in conſiliis; aliter tamen, quàm in aliis præceptis à præceptis charitatis diſtinctis, quippe quæ ordinantur ad charitatem, ſed removendo charitati contraria, cum quibus charitas eſſe non poteſt.

ART. 4. *Vtrum quicumque eſt perfectus ſit in ſtatu perfectionis.* ℟. *Negativè*, ſi tamen ſermo ſit de perfectionis ſtatu, non quidem quantum ad divinum judicium, ſeu quoad interiorem ſtatum; ſed quantum ad diſtinctiones Eccleſiaſticorum ſtatuum, ſcilicet juxta ea, quæ exteriùs aguntur. *Primum eſt*, quia loquendo de ſtatu per comparationem ad Eccleſiam, & ſecundùm ea, quæ exteriùs aguntur apud homines, cùm ad hoc ut quis adipiſcatur ſtatum libertatis, vel ſervitutis ſpiritualis, requiratur primò aliqua obligatio, quia non dicitur ſervus qui liberè ſervit; nec qui deſinit ſervire, ut ſervus fugitivus, dicitur propterea liber: tum etiam ut obligatio prædicta fiat cum aliqua ſolennitate, ut patet in aliis, quæ apud homines habent perpetuam firmitatem; ideò non ex eo dicitur quis in Eccleſia eſſe in ſtatu perfectionis, quia habet actum perfectæ dilectionis, ſed quia perpetuò ſe obligat cum ſolennitate ad ea quæ ſunt perfectionis: imò nec prohibet, aliquos eſſe in ſtatu perfectionis, qui non

ſunt

sunt perfecti, sicut & aliquos perfectos, qui non sunt in statu perfectionis; quandoquidem & aliqui se obligant, qui non servant; & aliqui implent, qui non se obligant, ut patet Matth. 21. de duobus filiis, necnon de religioso malo, & de sæculari bono. *Secundum est*, quia cùm conditio spiritualis status in homine per comparationem ad divinum judicium attendatur secundùm dispositionem interiorem, quia Deus intuetur cor; & dum quis transmutatur de peccato ad gratiam, dicatur mutare statum quantum ad dispositionem interiorem, adeò ut variet interiùs charitas conditionem spiritualis servitutis, & libertatis; ideò sicut per augmentum corporale quis adipiscitur statum naturæ, sic per augmentum spirituale interiùs statum adipiscitur perfectionis, quantum ad divinum judicium.

Vtrum Religiosi, & Prælati sint in statu perfectionis. ℞. *Affirmativè*, ita quod obligatio perpetua cum aliqua solennitate, ad ea quæ sunt perfectionis Religiosis competat, & Episcopis; quanvis non ita, quod propterea mendacium, vel simulationem committant, ex hoc præcisè quod perfecti non sunt. *Primum est*, quia cùm religiosi se voto adstringant ad hoc, quod à rebus sæcularibus se abstineant, quibus licitè uti poterant, ut liberiùs Deo vacent, in quo consistit perfectio præsentis vitæ; & horum obligatio fiat per quandam solennitatem professionis, ideò & religiosis competit quod ad statum perfectionis requiritur, sicut & Episcopis, utpote qui obligant se ad ea, quæ sunt perfectionis, pastorale assumendo officium, ad quod pertinet ani- ART. 5.

mam ponere ex charitate pro omnibus suis, & hoc per solennitatem consecrationis, ut Dionysius docet. Cum quo tamen stat, quod non ponat martyrium in statu perfectionis, quanvis consistat in actu perfectissimo charitatis; quandoquidem non sufficit perfectionis actus ad statum perfectionis, sed nec determinentur homines ad statum incipientium, vel proficientium, utpote quia inchoatio, & augmentum non quæruntur propter se, sed propter perfectionem. *Secundum est*, quia cùm homines statum perfectionis assumant, non quasi profitentes se perfectos esse, sed intendentes ad perfectionem tendere, juxta illud Apost. non quòd jam comprehenderim, aut jam perfectus sim; ideò nec etiam mortaliter peccat, seu mendacium, aut simulationem committit, si quis eorum non sit perfectus; benè quidem si ab intentione perfectionis animum revocet.

Cap.6. Eccl. Hier.

Art.6. *Vtrum omnes Prælati Ecclesiastici sint in statu perfectionis.* ℟. *Negativè*, ita quod nec ex parte Ordinis sacri, nec ex parte curæ sint Archidiaconi aut Curati in statu perfectionis; esto quod olim non distinguerentur Episcopi, & Presbyteri quantum ad nomen. *Primum est*, quia ex hoc quidem quod suscipiunt Ordines, accipiunt potestatem quandam ad quosdã actus sacros perficiendos, unde & requiritur interior perfectio; non tamen propterea obligantur ad ea, quæ sunt perfectionis, nisi quatenus in susceptione sacri Ordinis apud Occidentalem Ecclesiam emittitur continentiæ votum; sed nec respectu curæ (quam quidem ex simplici commissione accipiunt,

non cum ſolennitate conſecrationis, ut Epiſcopi,) quandoquidem nec ad eam obligantur vinculo perpetui voti, cùm poſſint eam deſerere, ut in Decretis dicitur; quod certè non poſſent, ſi eſſent in ſtatu perfectionis, ut patet de Epiſcopis, qui quidem non poſſunt niſi authoritate Summi Pontificis Epiſcopalem curam deſerere. Vnde nec ad eos ſpectat principaliter cura, ſed administratio quædam, ſecundùm quod eis ab Epiſcopo committitur; nec conſequenter paſtorale officium, aut obligatio ponendi animam pro ovibus, principaliter loquendo, ſed ſolùm prout participant de cura. *Secundum eſt*, quia quanvis olim eſſet nomen Epiſcopi; quod ita dicitur quaſi ſuperintendens, commune & Presbyteris, quod inſinuat Hier. imò & utatur Apoſt. communiter nomine Presbyterorum, id eſt ſeniorum, ad utroſque ſignificandos; fuit tamen ſemper quantum ad rem inter eos diſtinctio, ut patet per Dion. necnon ex illo Luc. 10. Poſt hæc autem deſignavit Dominus, &c. ubi dicit Gloſſa Bedæ, quod ſicut in Apoſtolis forma eſt Epiſcoporum, ſic & & in ſeptuaginta duobus Diſcipulis forma eſt Presbyterorum ſecundi ordinis; imò dicere Presbyteros non differre ab Epiſcopis, inter dogmata hæretica numerat Aug. in lib. de hæreſ. Hier. ſuper Epiſt. ad Titum. 1. Tim. 5.

Vtrum ſtatus Religioſorum ſit perfectior, quàm ſtatus Epiſcoporum ℞. *Negativè*, ita quod qua ratione agens ſemper perfectius eſt patiente, ſic & ſtatus Epiſcopalis eſt in genere perfectionis perfectior ſtatu Religioſorum, eſto quod actu abrenuncient Religioſi propriis facultatibus, non Epiſ- Art. 7.

Cap. 6. Eccles. Hier. copi. *Primum est*, quia Episcopi, ex Dionysio se habent in genere perfectionis, ut perfectores, Religiosi autem ut perfecti: quorum quidem unum ad actionem pertinet, alterum ad passionem. Vnde licèt Episcoporum status ordinetur etiam ad vitam activam, eis tamen magis convenit cōtemplativa, quàm Religiosis, quandoquidem ad Episcopos pertinet contemplari, non solùm propter seipsos, sed etiam ad instructionem aliorum. *Secundum est*, quia cùm abrenunciatio propriarum facultatum, ut est actu, non sit essentialiter perfectio, sed ut est in præparatione animi, quo modo eam habent etiam Episcopi, qui ad hoc maximè tenentur, quod omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, vel pauperibus largiendo, &c. ideo & adhuc perfectiores sunt, quanvis actu non abrenuncient; imò & quanvis consistat perfectio principaliùs in dilectione Dei, cui videntur Religiosi attendere; cùm quod intendant Episcopi his, quæ pertinent ad dilectionem proximi, proveniat ex abundantia amoris Dei. Vnde Dominus à Petro priùs quæsivit, an eum diligeret. Et postea ei sui gregis curam commisit.

ART. 8. *Vtrum status Presbyteri Curati, & Archidiaconi, sint majoris perfectionis, quàm Religiosi.* ℞. *Negativè*, ita quod quantum est ex parte status, vel officii, præferatur quantum ad bonitatem status Religiosi officio Curati, seu Archidiaconi; & quidem quanvis in hoc officio major sit ex parte operantis difficultas benè conversandi, quàm in statu Religionis. *Primum est*, quia cùm Religiosus se perpetuò obliget ad

perfectionis ſtudium, illi verò non ſe obligent per totam vitam ad curam animarum, ut Epiſcopi, unde & poſſunt Religionem ingredi; ideo fit, quod faciendo comparationem, non quidem ſecundùm charitatem operantis, ſecundùm quam opus minùs excellens fit ex majori charitate magis meritorium, ſed ſecundùm genus operis ſit ſtatus Religioſorum perfectior, adeò ut ſint quidem Presbyteri Curati, & Archidiaconi ſimiliores Epiſcopis, quantum ad curam animarum, ſed quantum ad perpetuam obligationem, quod eſt in ſtatu principale, ſint Religioſi magis ſimiles. Vnde præferens Chryſ. Sacerdotes Curatos Religioſo, non niſi de Epiſcopis loquitur: quod patet, quia intentio ejus erat conſolari ſe, & Baſilium de hoc, quod erant in Epiſcopos electi; vel ſolùm loquitur quantum ad difficultatem, ſicque tantùm probatur periculoſiorem eſſe ſtatum habentis curam animarum, & in majori periculo innocentem ſe ſervare, majoris eſſe virtutis indicium: quo etiam modo intelligitur Aug. Sed neque contrarium probat quod à ſtatu Religionis aſſumuntur quidam etiam in ſacris Ordinibus jam conſtituti ad curam animarum; quandoquidem etſi aſſequantur tunc aliquid quod priùs non habebant, ſcilicet officium curæ, non tamen propterea deponunt Religionis ſtatum, quem priùs habebant: ſicut deponunt curati animarum curam, dum fiunt Religioſi. *Secundum eſt*, quia quanvis difficultas ex arduitate operis, quæ quidem major eſt in perpetuitate Religionis, addat ad perfectionem virtutis, difficultas tamen quæ provenit ex exterio-

Lib. 1. de Sacerd.

Ep. 148.

ribus, ut est in sæcularibus, nisi sit urgens, & necessaria causa, minuit potiùs virtutis perfectionem, putà cùm aliquis non tantùm virtutem amat, ut impedimenta virtutis declinare velit, juxta illud: Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.

1. ad Cor. 9.

IN QVÆSTIONEM CLXXXV.

De his quæ pertinent ad statum Episcoporum.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum liceat Episcopatum appetere. ℞. *Negativè*, ita quod nec quantum ad altitudinem gradus, nec quantum ad reverentiam, & honorem, aut temporalium sufficientiam, imò nec quantum ad operationem Episcopalem, nisi in manifesta necessitate. *Ratio utriusque partis est*, quia Episcopatum appetere ratione gradus, præsumptuosum est, unde arguit Dominus discipulos de primatu contendentes: appetere ratione circumstantium bonorum, ad cupiditatem pertinet, & ambitionem, juxta quod ait Dominus cõtra Pharisæos, Amant primos accubitus: tandem quanvis appetere aliis prodesse, sit ex se laudabile; tamen quia Episcopalis operatio annexam habet celsitudinem gradus, ideò & præsumptuosum videtur, quod quis præesse appetat, ut aliis prosit, nisi manifesta necessitate imminente. Vnde non eadem est ratio in præsenti de statu Religionis, & de statu Episcopali, quandoquidem ad statum Episcopalem præexigitur vitæ perfectio, quia debet alios ad perfectionem adducere, unde & super alios sublimatur; cùm tamen status Religionis magis sit via ad perfectionem, seque aliis subjiciat qui Religionem ingreditur ad spiritualia capienda, quod quidem cuilibet licet, nec adest locus

Matth. 20.

Matt. 23.

præsumptioni. Sed nec contrarium probat, quod Isaias se obtulerit ad officium prædicationis, & voluerit mitti; quandoquidem sciebat se per altaris calculum purgatum esse: ac proinde quia valdè difficile est, quod quilibet se purgatum cognoscat, ideò prædicationis officium tutiùs declinatur. Cum quo tamen stat, quod possit quilibet absque præsumptione appetere Episcopalia opera facere, si contingeret eum esse in tali officio, ne de eo dicatur, quod abscondit frumenta spiritualia; quod quidem intelligitur, non de eo cui non competit ex officio, nec ei à superiori injungitur; sed de eo qui dispensationem negligit, cùm ei ex officio incumbit, vel etiam qui injunctum pertinaciter recusat. Ita tamen, quod opus illud bonum Episcopale, (quod quidem tempore Apostoli Pauli in hoc erat, quod qui præerat, ad martyrii tormenta primus duceretur,) cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Vnde & illud laudat Apostolus, quanvis, inquit Gregor. sic laudans desiderium boni operis, in pavorem protinus vertat quod laudavit, cùm subjungit: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse; quasi dicat, laudo quod quæritis, sed discite quid quæritis.

Nota. Prov. 11. 1. Tim. 3.

Art. 2. *Vtrum liceat Episcopatum injunctum omninò recusare.* ℞. *Negativè*, ita quod repugnet finalis illa recusatio, tum charitati proximorum, tum insuper & humilitati. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm homini quantum ad propriam voluntatem conveniat, ut principaliter insistat propriæ saluti, quod autem aliorum saluti intendat,

id conveniat ei ex dispositione alterius potestatem habentis: ideo sicut ad inordinationem voluntatis spectat, quod aliquis proprio motu aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem pertinet voluntatis, quod omninò contra superioris injunctionem prædictum officium finaliter recuset,& quidem tum quia charitati proximorum repugnat, utpote quorum utilitati debet homo se exponere pro loco & tẽpore: tum etiam,quia repugnat humilitati, quâ quis se subjicit superiori,juxta illud Greg. Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cùm ad hoc respuendum, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Vnde tunc solùm non tenetur quis obedire ad suscipiendum Episcopatum, quando sentit se aliquod habere impedimentum,quod nec per seipsum, nec per eum, qui injungit, potest removeri, adeò ut aliter illicitè voveat, qui votum emittit de non suscipiendo Episcopatum, si intendat se obligare, ut nec per obedientiam superioris Prælati accipiat, estò quod S. Marcus digitum sibi amputaverit,ut Sacerdotio reprobus haberetur, utpote qui ad hoc obstaculum posuit ante præceptum, vel etiam ex instinctu Spiritus sancti, sine quo non licet sibi manum injicere. Quanvis enim,simpliciter loquendo, vita contemplativa sit potior quàm activa;tamen ex alia parte præferri debet multitudinis bonum bono unius, præsertim cùm non ita transferantur Prælati ad activam,ut deserant contemplativam.

ART. 3. *Vtrũ oporteat eum,qui ad Episcopatum assumitur,esse cæteris meliorem.* ℞. *Negativè,*

adeò ut & sufficiat assumenti, quod meliorem eligat quantum ad hoc, seu ad Ecclesiæ regimen, nec teneatur ad meliorem simpliciter, sive secundùm charitatem; & sufficiat assumpto, quod nil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumi. *Primum est*, quia cùm solùm requiratur ex parte assumentis, ut talem eligat, qui fideliter divina mysteria dispenset, quæ quidem dispensari debent, ex Apost. in utilitatem Ecclesiæ; ideò debet quidem ita eligere, ut non intersit personarum acceptio, juxta illud Aug. Quis ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore? Ad hoc tamen sufficit, quod meliorem eligat ad Ecclesiæ regimen, nec tenetur ad meliorem simpliciter ex charitate, quandoquidem hominibus non committuntur ad eorum remunerationem, quam quidem debent secundùm charitatem expectare in futuro. Et hoc maximè, cùm nihil prohibeat esse ad officium regiminis magis idoneum, qui tamen non excellit in gratia sanctitatis, quia divisiones gratiarum, & ministrationum, & operationum sunt. Vnde quod ait Symmachus, utilissimum computandum esse, nisi scientia, & sanctitate præcellat, qui est dignitate præstantior, id solùm intelligitur quantum ad studium, adeò ut qui est in dignitate constitutus, hoc debeat præstare, ut scientia, & sanctitate antecellat; sed nec Christus Petrum de ampliori dilectione examinavit, nisi ut ostenderet, quod ubi aliàs invenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipuè attendi debet in ipso eminentia divinæ dilectionis. *Secundum est*,

Aug. in Epist. 29.

1. Cor. 12.

1. q. 1. Canon. utilissimum.

quia cùm superbum, & præsumptuosum esset, quod qui assumitur, se aliis reputaret meliorem; ideò nec id requiritur, sed sufficit, ut nihil inveniat, per quod ei illicitum reddatur assumi ad prælationis officium. Vnde interrogatus Petrus, an plus cæteris diligeret, non se aliis prætulit, sed simpliciter respondit, se Christum amare.

ART. 4. *Vtrum Episcopus licitè possit curam Episcopalem deserere, ut ad Religionem se transferat.* ℞. *Affirmativè*, non quòd id possit, quandiu potest sibi commissis ad salutem proficere, sed quia potest multipliciter contingere, quod à salute aliorum procuranda impediatur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm perfectio Episcopalis status in hoc consistat, quod quis ex dilectione se obliget ad hoc, quod saluti proximorum insistat; ideò tandiu obligatur ad curam retinendam, quandiu potest sibi commissis ad salutem proficere, aliàs tunc curam deserens diceretur retrocedere, cùm esset utilis proximorum saluti; sed cùm possit impediri à salute aliena procuranda, vel propter defectum proprium, ut si sit homicida, simoniacus, senex, infirmus, ignarus, irregularis, vel bigamus; vel ex defectu subditorum, vel etiam ex parte aliorum, putà cùm de alicujus prælatione suscitaretur scandalum, nisi fortè ex malitia aliquorum contra Ecclesiæ utilitatem ortum tunc habeat, in quo casu non esset tunc dimittenda; ideo & ex præfatis impedimentis potest quis curam Episcopalem deserere, juxta illud Apost. esca scandalizat fratrem, non manducabo carnes in æternum: (1. Cor. 8.) necnon & illud D. Greg. dictum: Sæpè agi-

tur in animo perfectorum, quod cùm laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant: in quo quidem casu remaneret potentia Episcopalis propter impedimentum sine actu, sed absque inconvenienti, cùm id etiam in rebus naturalibus accidat. Cum quo tamen stat, quod ut assumitur cura regiminis per providentiam superioris Prælati, ita etiam per ejus authoritatem deseratur suscepta, juxta illud Innocentii III. Si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem avolare, ita tamen strictæ sunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas absque nostra permissione volatum.

Vtrum liceat Episcopo propter aliquam persequutionem corporalem deserere gregem sibi commissum. ℞. *Affirmativè*, non quidem ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, sed ubi subditorum saluti potest sufficienter per alium provideri. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm in qualibet obligatione præcipuè attendi debeat obligationis finis, & obligent se Episcopi ad pastorale officium propter subditorum salutem; ideò fit quod ubi subditorum salus, quæ est suscepti muneris finis, exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet quidem tunc gregem commissum personaliter deserere, nec propter commodum temporale, aut temporale periculum, sed animam pro ovibus ponere; quia si perniciosum est, inquit Nicolaus Papa, nautam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus? bene tamen illud potest vel propter Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum, ubi sufficienter per ART. 5.

Matt.10. alium provideretur, juxta illud: Si vos fuerint persequuti in una civitate, fugite in
Epist.18. aliam. Quod etiam docet Aug. ad Honoratum; sic enim Prælatus suæ sponsioni satisfacit, cùm qui pro alio spondet, si per se implere non possit, sufficiat ut per alium impleat; sed nec qui ad periculum vitandum ita recedit absque gregis detrimento, fugit tanquam mercenarius; cùm in hoc casu nec temporale commodum, nec etiam salutem corporalem spirituali proximorum saluti præponat, cui scilicet per alium sufficienter providet; si tamen animum retineat intendendi proximorum saluti, si opportunitas adsit, & requirat necessitas, propter scilicet assumptum statum perfectionis.

ART. 6. *Vtrum liceat Episcopo aliquid proprium habere.* ℟. *Affirmativè*, non quidem taliter, quod dum propria curant, defectum faciant in his, quæ pertinent ad cultum Dei; sed ita quod non teneantur ad hoc, quod sine proprio vivant. *Primum est*, quia cùm ad ea quæ sunt supererogationis & consilii nullus teneatur, nisi specialiter ad illud voto se astringat; & vivere sine proprio supererogationis sit, cùm voluntaria paupertas instrumentaliter solùm operetur ad perfectionem vitæ, adeò ut perfectio christianæ vitæ non consistat in ea essentialiter; immò possit esse summa perfectio cum summa opulentia, ut legitur de Abraham;
Gen.17. ideo cùm Episcopi in sua consecratione ad hoc non se obligent, nec id requiratur ex necessitate assumpti officii, nec etiam ad hoc tenentur. Vnde illud, Nolite possidere aurum, neque argentum; vel intelligitur

mysticè, ut exponit Hieron. quasi non debeant prædicatores inniti principaliter sapientiæ, & eloquentiæ temporali; vel debet cum Chrysostomo intelligi, dictum fuisse discipulis, quantum ad illam missionem, quâ mittebantur ad prædicandum Iudæis, ut per hoc excitarentur ad confitendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus provideret: ex quo tamen nec ipsi obligabantur ad Evangelium prædicandum absque propriis sumptibus, cùm de ipso Paulo legatur, quod ab aliis Ecclesiis stipendium sibi accipiebat ad prædicandum Corinthiis. *Secundum est*, quia ideo *Cleros* Græcè, Latinè *Sors* appellatur, ex Hieron. quia ipse Dominus sors est, id est pars Clericorum; cùm tamen ille cum Deo alias partes habeat, cujus studium diminuitur circa ea, quæ sunt Dei, dum intendit his, quæ sunt mundi. Hier. ad Nepotianum.

Vtrum Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur. ℞. *Negativè*, in hoc scilicet sensu, quod nec ubi distincta sunt bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus eroganda, peccent mortaliter; nec ubi sunt indistincta prædicta bona, modò non nisi in modico superabundet, vel deficiat. *Primum est*, quia sicut de his, quæ tanquam propria possidet, potest Episcopus disponere, vel sibi retinendo, vel aliis largiendo, ut ei libet, quia hujusmodi res sunt ejus dominio deputatæ: sic & de parte Ecclesiasticorum bonorum sibi debita, & distincta, adeò ut in eorum dispensatione non peccet, nisi vel propter inordinationem affectus, vel si aliis ART. 7.

non subveniat, ut requirit debitum charitatis: bona namque Ecclesiastica, cùm non sint omnia pauperibus largienda, nisi fortè in articulo necessitatis, in qua quidem secundùm Hier. peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, cùm ex patrimonio vivere possit, sed etiam in alios usus sint expendenda; ideò si de eo, quod usui Episcopi, vel Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, vel consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo moderatè id faciat, scilicet ne indigeant, non autem ut ditiores inde fiant. *Secundum est*, quia cùm Episcopus sit dispensator & procurator bonorum Ecclesiæ, quorum quidem ex Decr. una portio Episcopo, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum, una Clericis pro meritis singulorum debetur; ideò cùm ad dispensatorem requiratur bona fides, juxta illud, Hîc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur; & ubi non sunt distincta prædicta bona, eorum distributio fidei ejus committatur, consequenter fit, quod non propterea peccet, quanvis in dispensando in modico deficiat, vel superabundet, utpote cùm hoc fieri possit absque bonæ fidei detrimento, propterea quod non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet. Neque contrarium probat dictum illud Ambros. scilicet quod nec minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundas, indigentibus denegare, utpote quod refertur non solùm ad dispensationem Ecclesiasticarum rerum, sed etiam quorumcunque bonorum, quibus tenetur aliquis providere necessitatem patientibus.

Epist. ad David.

1. 2. q. 2. de reditibus Eccles.

1. Cor. 4.

Vtrum Religiosi, qui promoventur in Episcopos, teneantur ad observantias regulares. ℟. *Affirmativè*, non quidem quantum ad omnia, sed quantum ad ea, in quibus Pontificali officio congruunt. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm status Religionis comparetur ad statum Episcopalem, sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem, quæ quidem dispositio non tollitur, nisi quantum ad id, quo perfectioni repugnat; ideò ad eas quidem observantias non tenentur Religiosi in Episcopos ordinati, quæ conditioni & exequutioni Episcopalis status repugnant, ut solitudo, silentium, longæ vigiliæ, &c. benè tamen ad eas quæ congruunt, ut sunt continentia, paupertas, deferre habitum professionis, & alia quædam. Vnde proprium habere nullo modo possunt, nec paternam hæreditatem sibi vendicant quasi propriam, sed ut Ecclesiæ debitam; nec testamentum facere ullo modo possunt, quandoquidem eis sola dispensatio committitur, quæ morte terminatur, à qua incipit testamentum valere, esto quod ex dispensatione Pontificis illud possint: imò & manet obligatio voti obedientiæ virtualiter, cùm per accidens sit, quod Episcopi Religiosi Prælatis suarum Religionum obedire non teneantur, quatenus scilicet subditi esse desierunt. Cùm quo tamen stat, quod in illis etiam, ad quæ tenentur, possit quisque dispensatione uti, secundùm quod requirit necessitas personæ, vel officii, vel conditio hominum cum quibus vivit. ART. 8.

IN QVÆSTIONEM CLXXXVI.

De pertinentibus ad ſtatum Religionis.

ARTICVLVS PRIMVS. VTrum Religio importet ſtatum Religionis. ℞. *Affirmativè*, ita quod involvatur perfectio in eo quod quis dicitur antonomaſticè Religioſus, quamvis non ita, quod jam propterea perfectus ſit. *Primum eſt*, quia cùm Religio ſit quædam virtus, per quam aliquis ad Dei ſervitium & cultum aliquid exhibet, & quidem non ſolùm oblationes ſacrificiorum, ſed etiam actus omnium virtutum, ut referuntur ad Dei ſervitium; proindeque antonomaſticè dicantur Religioſi, qui ſe totaliter divino ſervitio mancipant, quaſi holocauſtum Deo offerentes, cùm quod communiter multis convenit, antonomaſticè attribuatur ei, cui per excellentiam convenit; ideò cùm in hoc perfectio hominis conſiſtat, ut totaliter Deo inhæreat, eſto quod aliqua exhibere ad cultum Dei ſit de neceſſitate ſalutis, propterea fit, quod in eo quod dicitur quis antonomaſticè Religioſus, involvatur perfectio. Ita tamen quod quia ſtatus Religionis eſt principaliter inſtitutus ad perfectionem adipiſcendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis, quod quidem fit per pœnalitates, ideò ſtatus Religionis ſit etiam convenientiſſimus pœnitentiæ locus. *Secundum eſt*, quia cùm Religio ſtatum nominet perfectionis ex intentione finis, ut dictum eſt; ideò nec oportet, ut qui eſt in Religione, ſit jam perfectus, quaſi non ſint incipientes, & proficientes; ſed quod ad perfectionem tendat. (Qu. 184. art. 5.)

ART. 2. *Vtrum quilibet Religioſus teneatur ad*

omnia consilia implenda. ℞. *Negativè*, non quòd non teneatur ad charitatem perfectam tendere, & intendere ad ea implenda, quæ ad eandem consequuntur; sed ita quod non peccet, si secluso contemptu charitatem non habeat ita perfectam, vel aliqua prætermittat, sive quæ consequuntur ad illam, sive quibus ad eam pervenitur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm perfectio charitatis sit finis status Religionis, qui est disciplina quædam, vel exercitium perveniendi ad perfectionem, & quidem taliter quod ad eam perveniri possit diversis exercitiis; ideò cùm ei, qui operatur ad finem, non ex necessitate conveniat, ut jam sit finem assequutus, sed tantùm ut tendat in finem, nec etiam qui statum Religionis assumit, tenetur habere charitatem perfectam, nec consequenter quæ ad eam consequuntur implere, ut maledicentibus benedicere, nisi in præparatione animi, & in casu necessitatis: sicut nec ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, utpote quæ varia esse possunt, ut varia medicamenta ad sanitatem; sed solùm ad primum tenetur tendere, & alia habere in intentione, adeò ut non ex contemptu prætermittat. Et quidem quanvis Scriptura dicat, Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quod etiam omnibus communiter dicitur, utpote cùm sit modus aliquis implendi hoc præceptum, quo peccatum vitetur, si scilicet faciat homo quod potest, secundùm quod requirit conditio sui status, dummodo non adsit contemptus meliora agendi. Vnde nec est Religiosus transgressor perfectionis, si non

sit perfectus, sed solùm si contemnat ad perfectionem tendere, utpote qui Religionem ingrediens profitetur solùm, se adhibere studium ad perfectionem consequendam. Cum quo tamen stat, quod quanvis ad consilia de quibusdam melioribus particularibus actibus non teneatur Religiosus, sed ad ea solùm quæ sunt ei per regulam taxata, teneatur tamen ad alia, quæ si prætermitterentur, tota hominis vita negotiis sæcularibus implicaretur, ut sunt proprietates, &c.

ART. 3. *Vtrum paupertas requiratur ad perfectionem religionis.* ℞. *Affirmativè*, ita quod ad charitatis perfectionem acquirendam primum sit fundamentum, quod quis absque proprio vivat, quamvis non ita apud Episcopos, sicut apud Religiosos. *Primum est*, quia cùm ad perfectionem charitatis acquirendam necessarium sit, ut homo affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis, unde ait Aug. Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat; ideò cùm ad hoc requiratur voluntaria illa paupertas, quandoquidem ex eo quod aliquis res possidet mundanas, ad earundem amorem trahitur, juxta illud ejusdem Aug. dicentis, quod terrena arctiùs diliguntur adepta, quàm concupita; ista enim velut extranea repudiari possunt, sed illa non nisi velut membra præscindi: consequenter fit, quod ad perfectionem charitatis, ad quam quidem acquirendam status Religionis est quoddam exercitium, & disciplina, præcipuum fundamtntum sit quod proprio voluntario careat, adeò ut quanvis bonum sit facultates pauperibus

Lib. 10. Conf. c. 29. Epist. 34. ad Paulinum.

erogare, ſit tamen melius ex intentione ſequendi Dominum omnia ſimul donare, & abſolutum in ſolitudine egere cum Chriſto, ut ait Hieron. ſicut & melius eſt holocauſtum ſacrificio, & univerſale particulari. Inde nec excedit virtutis medium qui ita omnia dimittit, utpote cùm tale medium ex Ariſtot. accipiatur non ſecundùm quantitatem rei, ſed ſecundùm rationem rectam, quæ quidem dictat, ut homo divitias abjiciat, præſertim ut Chriſtum perfectè ſequamur, quod etiam fecere quidam Philoſophi, ut contemplationi vacarent: ſed nec omnia ita dimittendo propter Chriſtum, nos propterea exponimus periculo, ſive ſpirituali, quod quidem tunc ex paupertate incurritur, cùm non eſt voluntaria, juxta illud Apoſt. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem; ſive temporali, ſeu corporali, quandoquidem nos tunc divinæ providentiæ committimus, juxta quod ait Auguſt. Quærentibus primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, non debet ſubeſſe ſolicitudo, ne neceſſaria deſint. Cum quo tamen ſtat, adhuc locum habere & quod dicit Apoſt. dans formam fidelibus eleemoſynas faciendi, utpote ex quo ſolùm colligitur, quod non ex neceſſitate requiritur omnia temporalia abjicere, non autem quod non liceat: necnon & dictum illud, Beatus dives qui inventus eſt ſine macula, utpote cùm non dicatur ſimpliciter beatus dives, ſed qui inventus eſt ſine macula, & poſt aurum non abiit: quibus quidem verbis oſtenditur rem eſſe difficilem, juxta illud quod addit, Quis eſt hîc, &c. *Secundum eſt*, quia cùm profiteantur

Contra Vigilantium.

Lib. 2. Ethic. c. 6.

1. ad Timoth. ult.

2. ad Cor. 8.

Episcopi gubernationem gregis Christi, administrando non solùm spiritualia, sed etiam temporalia; ideò nec exigitur ut proprio careant, quod ex perfectione dispensant; sed à Religiosis, qui quidem profitentur disciplinam perfectionis adipiscendæ.

ART. 4. *Vtrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem Religionis.* ℟. *Affirmativè*, ita quod sicut voluntariam paupertatem, sic & perpetuam continentiam exigat perfectio Religionis; si tamen sermo sit de Religione non secundùm quid, sed simpliciter dicta. *Primum est*, quia requiritur ad statum Religionis abstractio eorum, per quæ homo impeditur, ne totaliter feratur in Dei servitium, à quo quidem maximè retrahit usus carnalis copulæ: tum ob vehementiam delectationis, ex cujus frequenti experientia augetur concupiscentia, juxta quod ait Aug. nihil est quod magis ex arce dejiciat virilem animum, quàm blandimenta fœminæ: tum propter sollicitudinem, quam quidem ingerit homini de gubernatione uxoris, filiorum, & temporalium, juxta illud Apost. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, &c. Vnde licèt Abraham perfectionis exemplar, & alij Patres cum divitiis & matrimonio perfecti fuerint; qui tamen si tempus fuisset continentiæ & paupertatis servandæ, studiosiùs fecissent, non propterea debent infirmiores præsumere se tantæ esse virtutis, ut cum divitiis, & matrimonio possint ad perfectionem pervenire: sicut nec aliquis præsumit hostes inermis invadere, eo quòd Samson man-

dulâ asini multos peremerit hostes. Cum quo tamen stat, quòd adhuc assumpserit Christus ad perfectionis statum etiam illos, quos invenit matrimonio junctos, ut Petrum, ne scilicet quia fieri non poterat absque injuria, ut viri vxores relinquerent, tolleretur alicui spes perveniendi ad perfectionem. Sed qui Petrum ab uxore non separavit, ut tamen perfectionem continentiæ introduceret, etiam Ioannem volentem nubere à nuptiis revocavit. *Secundum est*, quia sunt modi quidam vivendi, secundùm quos homines aliqui matrimonio utuntur, qui tamen participant quæ ad statum Religionis pertinent; sed in aliquo, non autem simpliciter.

ART. 5. *Vtrum obedientia pertineat ad perfectionem Religionis.* ℟. *Affirmativè*, ita quod subdi debeant Religiosi alicujus instructioni, & imperio, sed in his quæ pertinent ad Religiosam vitam, non autem quæ pertinent ad necessitatem virtutis, vel etiam quoad omnes particulares actus. *Primum est*, quia cùm status Religionis sit quædam disciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem; & quicumque instruuntur, vel exercitantur, ut perveniant ad finem aliquem, oporteat quod sequantur alicujus directionem; ideò & oportet, quod Religiosi in his quæ pertinent ad Religiosam vitam subdantur per obedientiam alicujus instructioni, & directioni, & quidem principaliter Episcoporum, utpote ad quos se habent tanquam perfecti ad perfectores, ex Dionys. etiam Prælati Religionum, vel Eremitæ; vel certè directioni Summi Pontificis, si ab Episcopis ex parte, aut totali-

ter exempti sint. In quo quidem non tollitur, sed potiùs augetur meritum, cùm necessitas obedientiæ, ad differentiam coactionis, sit liberæ voluntatis, in quantum homo vult obedire, licèt fortè non vellet id quod mandatur, secundùm se consideratum implere. *Secundum est*, quia obedire Prælatis in his, quæ pertinent ad necessitatem virtutis, cùm non sit supererogationis, sed omnibus commune, juxta illud Apost. Obedite præpositis vestris, nec etiam pertinet ad exercitium perfectionis Religiosorum, sed neque se extendit ad omnes particulares actus (esto quod se extendat ad dispositionem totius humanæ vitæ, & hac ratione habeat obedientiæ votum quãdam universalitatem,) utpote quorum actuum quidam ad Religionem non spectant, quia indifferẽtes, quidam ei contrariantur. Cum quo tamen stat, ad eos etiam se extendere, qui jam perfectionem adepti sunt, non quidem quasi indigentes ad perfectionem dirigi, sed quasi ex hoc se conservantes in eo, quod ad perfectionem pertinet.

ART. 6. *Vtrum requiratur ad perfectionem Religionis, quod paupertas, continentia, & obedientia cadant sub voto.* ℟. *Affirmativè*, ita quod non aliter sint Religiosi in statu perfectionis, quàm per votum horum trium,

Matt. 19. & quidem etiam ex verbis illis, quibus Dominus dedit perfectionis formam, Si vis perfectus esse, &c. *Primum est*, quia cùm ad statum perfectionis, ad quam quidem, ut dictum est, paupertas, continentia, & obedientia pertinent, requiratur obligatio ad ea quæ sunt perfectionis, quæ obligatio

sit Deo per votum; ideò & præfatum requiritur votum, & quidem licèt perfectio Religionis requirat, ut aliquis totum quod vovit, Deo exhibeat, nec moretur reddere, utpote cùm non possit homo totam vitam suam Deo exhibere, cùm non sit tota simul, sed successiva, ad quod requiritur voti obligatio. Vnde & hoc fit Deo acceptissimum, dum scilicet quis propria sponte sibi voto adimit libertatem abstinendi ab his, quæ ad Dei servitium pertinent, juxta illud Aug. Non te vovisse pœniteat, immò gaude, jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset: felix necessitas, quæ te in meliora compellit. *Secundum est*, quia dans Dominus perfectionis formam, dixit ad eam pertinere, ut aliquis eum sequatur, non qualitercumque, sed ut ulteriùs retrò non abeat, quia mittens manus ad aratrum, & respiciens retrò, non est aptus regno Dei. Quod quidem pertinet ad obligationem voti.

Epist. ad Armentarium, & Paulinum.

Luc. 9.

ART. 7.

Vtrum convenienter dicatur, in his tribus votis consistere Religionis perfectionem. ℞. *Affirmativè*, & quidem sive consideretur Religionis status ut exercitium tendendi in perfectionem, sive secundùm quod quietat animum ab exterioribus solicitudinibus, sicut etiam secundùm quod est holocaustum quoddam. *Primum est*, quia quantum ad exercitium tendendi in perfectionem charitatis, cùm requiratur ut aliquis à se removeat quæ possunt impedire ne totaliter feratur affectus in Deum, quæque sunt cupiditas exteriorum bonorum, & hæc tollitur per votum paupertatis; concupiscentia sensibilium delectatio-

num, inter quas excellunt venereæ, quæ excluditur per continentiæ votum;& inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per obedientiæ votum: ideò & hæc tria vota, ad quæ ut principalia omnes aliæ Religionum obſervantiæ, ut abſtinentia, vigiliæ,&c. reducuntur,ad præfatum exercitium requiruntur, adeò ut nec ſufficiat ſolum obedientiæ votum, eſto quod illo offeramus Deo propriam voluntatem, cui ſubjiciuntur omnia, utpote cùm ei ſpecialiùs ſubdantur actiones humanæ, quàm paſſiones, quæ etiam pertinent ad appetitum ſenſitivum, ad quas propterea cohibendas, ſive ſint delectationum carnalium, ſive exteriorum appetibilium, ultrò requiritur tum continentiæ, tum paupertatis votum. Ita tamen, quod hæc ſufficiant, etiam pro abdicandis honoribus, quandoquidem honori, qui Deo debetur, & Sanctis ſuis propter virtutem, non convenit Religioſis abrenunciare, ſed honori qui debetur exteriori excellentiæ, cui quidem ſufficienter abrenunciant ex hoc ipſo quod per præfata vota vitam relinquunt ſæcularem. *Secundum eſt*, quia accidit inquietans illa ſolicitudo, vel ratione diſpenſationis exteriorum rerum, quæ tollitur per votum paupertatis; vel ratione gubernationis uxoris, &c. quam tollit votum continentiæ,vel ratione diſpoſitionis propriorum actuum, quam ſimiliter tollit obedientiæ votum. *Tertium eſt*, quia conſideratur ſtatus Religionis ut holocauſtum quoddam, quatenus quis totaliter ſe, & ſua offert Deo, quod etiam præſtat per tria hæc vota, offerendo ſcilicet per paupertatem

pertatem bona exteriora, per continentiam bonum proprii corporis, & bonum animæ per obedientiam. Cum quo tamen stat, quod quia inferiores actus, ut actus contemplationis, patientiæ, &c. ad ipsam pertinent perfectionem charitatis, quæ finis est; ideò nec cadant sub Religionis voto, quod quidem solùm ordinatur ad perfectionem, velut ad finem.

Vtrum votum obedientiæ sit potissimum inter tria vota Religionis. ℞. *Affirmativè*, & quidem tum ex parte ejus, quod Deo offertur per votum, tum ex parte amplitudinis, tum etiam ex parte majoris propinquitatis ad finem. *Primum est*, quia per obedientiam offert homo Deo ipsammet voluntatem, quæ quidem est potior, quàm corpus, & res exteriores, quæ per alia offeruntur vota. Vnde per illud quod dicitur, quod omnis ponderatio non est digna continentis animæ, non propterea habetur, quod præferatur continentia omnibus actibus virtutis, sed conjugali castitati, & exterioribus divitiis. *Secundum est*, quia sub se continet obedientiæ votum alia vota, cùm & paupertas, & continentia, etiam sub obedientia cadant; non tamen è converso, cùm etiam multa alia ad obedientiam pertineant. *Tertium est*, quia propriè se extendit obedientiæ votum ad actus propinquos fini Religionis; & quidem taliter, quod si quis absque obedientiæ voto servaret, etiam ex voto, vel paupertatem, vel continentiam, non propterea esset in statu Religionis. Vnde nec potest Pontifex in voto obedientiæ sic cum Religioso dispensare, ut qui vovit eam, nulli teneatur

Art. 8.

Eccl. 26.

Prælato obedire quoad perfectionem vitæ, cùm non possit eum à sua obedientia eximere, quanvis id possit quantum ad inferioris Prælati subjectionem. Sed neque minùs pertinet ad perfectionem, quanvis obedientiæ consilium non sit expresè datum à Christo, utpote quod adhuc includitur in ipsa Christi sequela, quatenus scilicet qui obedit, alterius sequitur voluntatem.

ART. 9. *Vtrum Religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea, quæ sunt in Regula.*
℞. *Negativè*, & quidem sive pertineant ea, quæ transgreditur, ad finem Regulæ, sive ad exterius exercitium, seu exteriores observantias; esto quod ubi accederet vel præceptum, vel contemptus, semper mortalis sit transgressio. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm Religiosus non teneatur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere; ideò nec transgressio eorum, quæ pertinent ad finem Regulæ, sive perfectam charitatem, ut sunt actus virtutum, est peccatum mortale, scilicet quantum ad ea, quæ necessitatem præcepti excedunt; sed neque mortalis est quantum ad exteriores observantias, utpote cùm profitendo Regulam non voveamus servare omnia quæ sunt in Regula, sed vel vitam regularem, quæ essentialiter consistit in tribus votis; vel vivere & obedire secundùm Regulam, cui quidem contrariatur transgressio ex contemptu, vel in his quæ præcepta sunt, cujusmodi non sunt omnia quæ in Religione proponuntur, ad differentiam eorum, quæ traduntur in lege, utpote cùm aliqua proponantur in Religione per modum ordi-

nationis, vel cujusdam statuti obligantis ad certam pœnam, ut in Religione FF. Prædicatorum. Ita tamen, quantum ad id quod de contemptu dictum est, quod cùm Religiosus ex concupiscentia, vel ira inducitur ad aliquid contra Regulam, non propterea peccet ex cōtemptu, sed tantùm cùm ipsius voluntas renuit subjici legi, vel Regulæ, & propter hoc procedit ad aliquid faciendum contra legem, vel cōtra Regulam.

Vtrum Religiosus eodem genere peccati graviùs peccet, quàm sæculares. ℟. *Affirmativè*, ita quod & in contemptu graviùs peccet, necnon ex ratione scandali; quanvis non ita, quin etiam leviùs peccet, imò & faciliùs resurgat, si contingat peccare ex infirmitate, vel ignorantia. *Primum est*, quia cùm ex parte contemptus videatur Religiosus divinis beneficiis magis ingratus, utpote quibus est sublimatus in statum perfectionis; ideò nedum ubi facit contra votum, putà si fornicetur, aut furetur; sed etiam ubi ex contemptu peccat in aliis, graviùs peccat quàm sæcularis; & hoc insuper propter scandalum, quandoquidem ad vitam Religiosorum plures respiciunt, juxta illud: In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterātium, & iter mendacii, & confortaverunt pessimorum manus, ut non converterentur à malitia sua. Cum quo tamen stat, quod quia justi non de facili peccant ex contemptu, in quo quidem casu pejores fiunt, ut ait Aug. dicens: Non sum pejores expertus, quàm qui in monasteriis ceciderunt; sed quandoque labuntur ex ignorantia, vel infirmitate, à quo de facili relevantur: ideo non propterea sint ART. 10. Epist. ad plebem Hippon.

Religiosi pejoris conditionis, quàm sæculares. *Secundum est*, quia ubi peccatur vel ex infirmitate, vel ignorantia, tunc si sit leve, quasi absorbetur ex multis operibus bonis; si autem sit mortale, cùm habeat Religiosus intentionem rectam ad Deum, necnon & juvetur à sociis, ideò & faciliùs ab eo resurgit. Vnde & ait Origenes: Si peccaverit injustus, non pœnitet, & peccatum suum emendare nescit; justus autem scit emendare, scit corrigere.

IN QVÆSTIONEM CLXXXVIII.

De his quæ competunt Religiosis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum *Religiosis liceat docere, prædicare, & alia hujusmodi facere.* ℞. *Affirmativè*, ita quod stulta sit quorundam opinio dicentium, quod ipse status Religionis contrarium afferat impedimentum talia exequendi; esto quod dici possit, non licere, quia deficit unde possit. *Primum est*, quia cùm stultum sit dicere, quod per hoc, quod aliquis ad sanctitatem promovetur, efficiatur minùs idoneus ad spiritualia exercenda; ideò & stultè senserunt, contra quos Bonifacius Papa constitutionem fecit, qui scilicet dixere statum Religionis afferre ad talia munia impedimentum, cùm magis potiùs ad hoc idonei sint ob exercitium sanctitatis quod assumpserunt, nec ad hoc obligentur ex voto & præcepto Regulæ, ut ab eis abstineant. Vnde ex illo Constantinopol. Synodi, *vita Monachorum subjectionis habet verbum*, non propterea colligitur, quod habeant aliquid contrarium exequutioni talium actuum, sed ad summum, quod monachi, ex hoc quod monachi sunt, non nanciscantur potestatem

talia faciendi:licèt enim non se compatiantur,quod aliquis ordinaria jura Ecclesiasticorum officiorum habeat, & Regulam in monasterio servet;non tamen tollitur,quin possint Religiosi circa prædicta occupari Prælatorum commissione, & præcipuè illi, quorum Religiones sunt ad hoc specialiter institutæ;unde & dat eis Gregor. facultatem docendi,& prædicandi,&c.*Secundum est*, quia cùm status Religionis non det eis potestatem, seu jurisdictionem hujusmodi faciendi, juxta quod præcipit decretum Concil.Nicæni, ut monachi non usurpent sibi ex hoc quod monachi sunt, potestatem talia faciendi; ideò quanvis possint ista facere,si ordinem recipiant, vel ordinariam jurisdictionem, aut ad hoc commissionem, adhuc dici potest, eis non licere,quia potest deficere unde illud possint. 16.q.1.c. Ex authoritate.

Vtrum Religiosis liceat sæcularia negotia tractare. ℞. *Affirmativè*, non quidem causâ cupiditatis,sed charitatis causâ, cum debito tamen moderamine.*Ratio utriusque partis est*, quia cùm status Religionis sit ordinatus ad charitatis perfectionem consequendam, ad quam quidem præcipuè pertinet dilectio Dei, & secundariò dilectio proximi; ideò causâ quidem cupiditatis secularia tractare negotia nec monachis licet,nec clericis,juxta illud: Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis.Et illud:Vt quieti sitis,& ut negotium vestrum agatis. Ad quod addit Glossa: Dimissis alienis,quod vobis utile est in emendationem vitæ. Benè tamen cum debito moderamine licet, adeò ut Religiosi,quanvis debeant præcipuè intendere in hoc ART.2.

quod Deo vacent, possint tamen, si necessitas immineat proximi, causas agere ex charitate pupillorum, vel aliorum, juxta illud Pauli, Alter alterius onera portate: & illud Iacobi dicentis, pertinere ad Religionem visitare pupillos, &c. Vnde frequentare palatia Regum non competit quidem Religiosis propter gloriam, vel delicias; benè tamen ob pias causas, juxta quod dixit Elisæus: Numquid habes negotium, & vis ut loquar Regi, &c.

ART. 3. *Vtrum Religiosi manibus operari teneantur.* ℟. *Negativè*, ita quod & excusentur à manuali opere qui ad bonum commune spiritualibus operibus vacant; & non magis teneantur Religiosi ad manualia opera, quàm sæculares. *Primum est*, quia & oportet eos esse totaliter occupatos circa hujusmodi spiritualia opera; & hujusmodi opera exercentibus debetur ministratio victus, ad differentiam aliorum qui prædictis vacant, non quasi publicis, sed privatis, quibus nec sit debitum, ut de fidelium stipendiis vivant. Et sic intelligitur August. nec etiam oportet, quod per hujusmodi privata opera à manualibus abstrahantur. *Secundum est*, quia non nisi ad quatuor ordinatur labor manualis. Primò & principaliter ad victum quærendum, juxta illud: In sudore vultus, &c. sub qua quidem ratione cùm cadat sub necessitate præcepti, secundùm quod necessarius est fini, seu victui, ideo æqualiter obligat Religiosos & sæculares, in hoc scilicet sensu, quod qui non habet unde vivere possit modo licito, tenetur, cujuscumque sit conditionis, manibus operari: tum secundò ad otium tollen-

Lib. de oper. Monac.

dum, & tertiò ad concupiscentiam refrenandam, quæ duo cùm aliis modis fieri possint, ideo nec cadit sub his rationibus manualis labor sub necessitate præcepti: ac demùm ordinatur ad eleemosynas faciendas, quod etiam non cadit sub necessitate præcepti, nisi fortè in aliquo casu, in quo quis ex necessitate tenetur eleemosynam facere, in quo similiter tenentur & sæculares, & Religiosi; necnon & ad illud, Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis; utpote quod est præceptum de jure naturali, quod omnes communiter obligat, quanvis non singulos. Vnde cùm ait Glossa, eos qui omnia spernunt propter Deum, teneri manibus operari, illud intelligendum venit, quando non habent aliàs unde vivant, & quidem quanvis Apostoli, quorum sunt præcipui imitatores, etiam citra necessitatem quandoque laboraverint, ne scilicet gravarentur illi, quibus prædicabat: nec enim tenentur Apostolos imitari Religiosi quoad omnes supererogationes, sicut nec omnes Apostoli manualiter operabantur.

Vtrum Religiosis liceat de eleemosynis vivere. ℞. *Affirmativè*, non iis quidem, qui absque necessitate, vel utilitate quam afferant, vellent otiosi de eleemosynis pauperum vivere; sed qui vel prædicant, vel ministrant in Altari, vel insistunt ad bonum commune studio Scripturarum, aut etiam qui bona quæ habebant temporalia, monasterio largiuntur. *Primum est*, quia sicut usus bonorum, quæ alterius liberalitate donantur, redditur Religiosis illicitus, si ab actibus religiosis desistant, quia quan- ART. 4.

tum eſt in ſe, defraudant eorum intentionem, qui talia beneficia conferunt, quæ ſcilicet fuit, ut liberiùs Religionis actibus inſiſterent, quorum quidem cupiunt ſe fore participes: ita & eis è contrario licet de eleemoſynis vivere, ſi nimirum vel prædicent, quod quidem facere poſſunt, non ex officio, quod eſt Epiſcopi, ſed ex commiſſione, cùm tunc laborent, ſicut & dum inſiſtunt ſtudio Scripturarum ad communem utilitatem; vel ſi altari miniſtrent, cùm ordinaverit Dominus, ut qui altari inſervit, de altari vivat; aut etiam ſi aliqua adeſſet neceſſitas, quæ quidem facit omnia communia, vel aliqua corporis infirmitas, ex qua laborare non poſſent, aut taliter quod non ſufficienter laborarent propter priſtinam converſationem, quatenus non conſueverant manibus laborare. Vnde quanvis, cæteris paribus, dare perfectius ſit, quàm accipere; nihilominus dare, vel relinquere omnia ſua propter Chriſtum, & modica accipere ad ſuſtentationem, adhuc melius eſt, & ideò Religioſis congruentius, quàm aliquid particulariter dare pauperibus; & nec ex hoc ſcandalizantur infirmi, quod eſſet fugiendum, ubi ſcilicet adeſt manifeſta neceſſitas, & utilitas, propter quam Religioſi de eleemoſynis vivant, modò pro tempore neceſſitatis, quando aliter ſubveniri non poſſet pauperibus, deſiſtant tunc ab eleemoſynis accipi, ut probant aliquæ authoritates; ſed ad ſummum ſcandalizantur malitioſi, de quorum quidem ſcandalo non eſt curandũ. *Secundum eſt*, quia ut dicit Auguſt. non enim propterea divites ad pietatem in Religione humiliantur, ut paupe-

res ad superbiam extollantur, otiosè scilicet, & absque necessitate de eleemosynis vivendo: nec ullo modo decet, ut in ea vita ubi Senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi.

Vtrum Religiosis liceat mendicare ℞. *Affirmativè*, non quidem ex cupiditate, sed vel ex necessitate, aut utilitate, ex parte ejus, quod mendicando acquiritur; vel causâ humilitatis, ex parte ipsius actus mendicationis. *Primum est*, quia cùm ea, quæ ad abjectionem spectant, sint efficacissima medicina contra superbiam, quam scilicet vult quis in se, vel in aliis per exemplum extinguere, ut dicitur in Decret. ideò & ratione abjectionis conjunctæ licet Religiosis mendicitatem ad humiliationem assumere; sed insuper & ex necessitate, si non possint aliunde vivere, vel etiam ex utilitate, putà ad aliquid efficiendùm utile, ut ad Ecclesiam reficiendam, ad sapientiæ studio incumbendum, quod non posset absque eleemosynis, utpote cùm Religiosis conveniat Christum imitari, qui mendicavit. Vnde per illud, Omninò indigens, & mendicus non erit inter vos, non propterea prohibetur alicui mendicare, sed prohibetur divitibus ne tam tenaces sint, ut propterea aliqua egestate mendicare cogantur; sicut nec nisi illis pœnam imponit lex civilis, qui sine necessitate, vel utilitate mendicant. *Primum est*, quia de mendicantibus, non quidem ex utilitate aut humilitate, propter quam etiam prædicantes, quibus debetur victus, possunt ad majorem humiliationem petere ut gratis dandum; sed ex cupiditate, aut otiositate in-

ART. 5.

De pœnit. c. Si quis.

Psal. 39. & 69.

telligitur quod ait Aug. quod tam multos hypocritas sub monachorum habitu usquequaque dispersit callidissimus hostis, petentes scilicet aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis.

ART. 6. *Vtrum liceat Religiosis vilioribus vestibus uti, quàm cæteri.* ℞. *Affirmativè*, ita quod sive assumantur in tristitiæ signum, sive in contemptum divitiarum, Religiosis conveniant; quanvis non ita, quin modo ferri possint illicito. *Primum est*, quia cùm sit Religio status pœnitentiæ, & contemptus mundanæ gloriæ, ideò sive assumatur vilitas habitus in tristitiæ signum, juxta quod homines in tristitia existentes solent vilioribus vestibus uti; sive in contemptum mundani fastus, juxta illud Hieron. ad Rusticum Monachum, Sordidæ vestes candidæ mentis indicia sunt, vilis tunica contemptum probat sæculi; habet Religiosis convenire: sicut & habet de se speciem boni, potiùs quàm mali: quod inde patet, quod mali sub vilitate vestium suam conantur occultare malitiam. Vnde non aliud insinuat dictum illud, Cùm jejunatis, nolite fieri, &c. nisi quod in operibus sanctitatis non aliquid faciant homines propter apparentiam, sub qua quidem ratione damnat Hieron. vilitatem vestium, proindeque non propterea prætermittũt Religiosi cum vili habitu præceptum illud, utpote qui non ferunt ex ambitione, sed quasi signum professionis suæ, quâ mundi contemptum profitentur. *Secundum est*, quia potest contingere, quod quis per vilitatem vestium velit hoc aliis significare, nedum ad sui humiliationem, quatenus sicut ex vestium

Epist. ad Nepotianum.

ſplendore animus elevatur, ſic ex earumdem humilitate deprimitur; aut etiam propter exemplum aliorum, juxta quod dicit quædam Gloſſa Hieron. Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit; ſed inſuper ob inanem gloriam, juxta quod dicit Aug. quod in ipſis ſordibus luctuoſis poteſt eſſe jactantia: quo quidem poſteriori modo vitioſum eſt, & illicitum.

IN QVÆSTIONEM CLXXXVIII.

De differentia Religionum.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ſit tantùm una Religio. ℞. Negativè, non quòd non adunentur omnes Religiones in aliquo communi, ſed ita quod habeant cum hoc communi unde etiam multipliciter diverſificentur. *Ratio utriuſque partis eſt*, quia cùm ſtatus Religionis, etſi hoc habeat commune, quod eſt totaliter ſe præbere Deo ad ſerviendum per tria eſſentialia vota, ſit tamen quoddam exercitium, quo quis ad charitatis perfectionem exercetur, in quo quidem ſunt diverſa charitatis opera, quibus homo poteſt vacare, ac etiam diverſi modi exercitiorum; ideò & adhuc eſt unde Religiones diſtingui poſſint, vel ſecundùm diverſitatem exercitiorum, ſeu diverſa, in quibus poteſt Deo ſervire; vel etiam, & principaliter, ſecundùm diverſitatem eorum ad quæ ordinantur, utpote quia finis eſt potiſſimum in unoquoque; & quidem abſque eo quod ex multitudine Religionum inducatur confuſio, cùm non ſint ad idem, nec abſque neceſſitate, & utilitate: quod quidem ne accidat, ſtatutum eſt ne nova Religio abſque authoritate ſummi Pontificis inſtituatur. Cum quo tamen ſtat, quod adi-

huc unus sit Episcopalis status, quandoquidem in his, quæ spectant ad perfectionem, se habet Episcopus non sicut ea quæ patiuntur (ut se habent Religiones,) quæ quidem diversa sunt, sed per modum agentis, quod quanto superius est, tanto magis est unum.

ART. 2. *Vtrum aliqua Religio institui debeat ad opera vitæ activæ.* ℟. *Affirmativè*, non quidem taliter, quod omninò privetur fructu contemplativæ vitæ, sed ita quod cùm activè deservit necessitatibus proximi, adhuc propriè pertineat ad Religionem. *Primum est*, quia cùm ad Religionem propriè pertineat sacrificium Deo offerre; & hujusmodi obsequia proximis exhibita, prout referuntur ad Deum, dicantur esse sacrificia quædam, juxta illud, Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus; ideò fit quod cùm status Religionis ordinetur ad perfectionem charitatis, quæ quidem se extendit nedum ad dilectionem Dei per contemplationem, sed insuper ad dilectionem proximi per hujusmodi obsequia activæ vitæ eis exhibita propter Deum, propriè adhuc Religio sit, & convenienter instituta, quanvis in ordine ad opera activæ vitæ. Dei namque servitium, & famulatus non solùm in contemplatione servatur, sed etiam in operibus activæ vitæ, quibus aliquis servit propter Deum, & in quibus adhuc servatur singularitas vitæ quantum ad hoc, quod homo singulariter iis intendat, quæ ad divinum spectant obsequium. Vnde est quidem eadem ratio de monachis, & aliis Religiosis, quantum ad ea, quæ com-

Ad Heb. c. ultimo.

munia sunt in omni Religione, scilicet quod totaliter se dedicent divinis obsequiis, & quod essentialia vota observent; non tamen opus est, esse similitudinem quandam in aliis, quæ propria sunt monasticæ perfectionis, pertinentia ad contemplationem. *Secundum est*, quia cùm hoc ipso quod insistunt Religiosi operibus vitæ activæ intuitu Dei, habeat eorum actio ex contemplatione derivari, nec sint in sæculo quoad mentis affectum, esto quod sint in eo secundùm præsentiam corporalem, sed utantur hoc mundo, tanquam non utentes; ideò nec privantur propterea omninò fructu contemplativæ vitæ.

Vtrum aliqua Religio possit ordinari ad militandum. ℞. *Affirmativè*, non quidem ad militandum propter mundanum quid, sed propter defensionem divini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum oppressorum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm Religio institui possit, ut dictum est, ad opera vitæ activæ, ut pertinent ad proximorum subventionem, & obsequium Dei; & officium militare assumptum non modo sæculari, quo modo interdicitur pœnitentibus, & ad mundanum quid, sed propter divinum obsequium, quo modo etiam in pœnitentiam imponitur; & ob prædictas causas ita ad proximorum subventionem ordinetur, & Dei cultum: ideo fit quod quanvis non sic institui possit Religio ob quid mundanum, vel etiam ut Religiosis propria authoritate liceat bella petere; sic tamen institui possit ut authoritate Principum, vel Ecclesiæ possit & debeat Religiosus militare ad prædictos fines: si-

Art. 3.

Art. præc.

cut & quanvis repugnet Religioni exercere advocationis officium propter mundanum aliquod, est tamen licitum illud secundùm dispositionem sui Prælati pro monasterio suo, & defensione pauperum exercere. Vnde est quidem perfectionis non resistere malo, condonando injuriam, quando ita fieri expedit ad salutem aliorum; potest tamen esse imperfectionis, vel etiam vitii, si hoc fiat tolerando injurias, cùm quis potest convenienter injurianti resistere; & speciatim impietatis est injurias Dei dissimulare, ut ait Chrysost.

Hom. 5. in 5. Op. imp.

ART. 4. *Vtrum aliqua Religio possit institui ad prædicandum, vel confessiones audiendum.*

℞. *Affirmativè*, ita quod nedum possibile, sed & convenientissimum sit ad talia institui; si tamen id fiat authoritate, non propria, sed Prælatorum superiorum. *Primum est*, quia cùm convenienter possit Religio institui ad opera vitæ activæ, ut ordinantur ad proximorum utilitatem, ad obsequium Dei, & ad conservationem divini cultus; & magis procuretur proximorum utilitas per ea, quæ pertinent ad spiritualem animæ salutem, quàm per ea quæ subveniunt corporali necessitati: ideò nedum possibile, sed & convenientissimum est ad prædicandum, & ad alia hujusmodi pertinentia ad salutem animarum aliquam institui Religionem; formā namque septuaginta duorum Discipulorum non solùm tenent Presbyteri Curati, sed etiam alii minoris ordinis, qui Episcopis in eorum officio subserviunt: unde non inconvenit, quod præter Episcopos & Curatos sint alii Religiosi prædicantes, & quidem absque eo quod

graventur Fideles, cùm plebs non teneatur ex debito juris ad sumptus ministrandos, nisi ordinariis Prælatis, qui propter hoc decimas,& alios Ecclesiasticos redditus recipiunt, esto quod volentibus gratis ista munera exercere possint Fideles his aliquid liberè subministrare *Secundum est*, quia cùm Religiosus non debeat supergredi discipulatus vel subjectionis gradum, ideò nec sua, sed Prælatorum authoritate debet prædicare, ità quod possit quidem id alicui Religioni proprium esse, sed subserviendo Prælatis in tali officio. Ex quo etiam fit, determinatum esse numerum prædicãtium, quandoquidem non conceditur à Prælatis indifferenter cuilibet Religioso talia præstare munera, sed quibusdam.

Vtrum sit instituenda Religio aliqua ad studendum. ℟. *Affirmativè*, ita quod ex multiplici capite competat studium litterarum Religiosis; si tamen pertineant litteræ ad doctrinam, quæ secundùm pietatem est, non ad sæcularem, aut legem veterem. *Primum est*, quia & coadjuvat hujusmodi studium Religiosos ad contemplandum, tum directè, illuminando intellectum de divinis: unde in laudem viri justi dicit Psalmista, In lege domini meditabitur die, ac nocte: tum indirectè, removendo contemplationis pericula, scilicet errores, qui in divinorum contemplatione frequenter accidunt his qui Scripturas ignorant; &. juvat ad prædicandum, & alia hujusmodi exercendum, juxta illud Apost. Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit, &c.& confert insuper ad vitandam carnis lasciviam, ART. 5. Ad primum 1.

avertendo scilicet animum à cogitatione lascíviæ, juxta illud Hieron. Ama Scripturarum studia, & carnis vitia vitabis. Ita tamen quod quia studium sine charitate inflat, proindeque dissentiones facit, non debeat studium Religiosorum esse tale. Vnde postquam præmisit Paul. Divites facti estis in omni verbo, &c. statim addit: Id ipsum dicatis omnes, nec sint in vobis schismata. *Secundum est*, quia cùm profiteri litterarum studia quantum ad sæcularem doctrinam proprium sit Philosophorum, & Gentilium, qui alterius sunt professionis à Religiosis; ideò non nisi doctrinæ, quæ secundùm pietatem est, debent isti principaliter intendere; nec aliis doctrinis, nisi in ordine ad sacram doctrinam, sicut nec approbare litteraturam secundùm litteram veteris legis, juxta illud Psalmistæ: Quoniam non cognovi litteraturam, eam scilicet approbando secundùm litteralem circumcisionem, & carnales observantias.

Ad Rusticum. 1. Cor. 1.

ART. 6. *Vtrum Religio, quæ vacat vitæ contemplativæ, sit potior eâ, quæ vacat operibus vitæ activæ*. ℞. *Affirmativè*; ita tamen, quod infimum quidem gradum teneant Religiones, quæ circa exteriores actiones occupantur; sed tamen præemineant quæ ordinantur ad prædicandum & docendum, iis quæ solùm ordinantur ad contemplandum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm Religio illa alteri præferatur absolutè & simpliciter, non quæ habet perfectius exercitium, utpote quod non propter se quæritur, sed propter finem; sed quæ ordinatur ad potiorem finem, vel quia est majus bonum, vel quia ad plura ordinatur bona;

aut certè, si finis sit idem, ex proportione ejus ad finem intentum, ex qua quidem prætulit B. Antonius discretionem per quā aliquis omnia moderatur, & jejuniis, & vigiliis, & omnibus hujusmodi observantiis: ideò cùm quid majus sit contemplari, quàm eleemosynas dare, hospites recipere, & alia hujusmodi, nisi fortè in casu necessitatis; sed etiam adhuc majus sit contemplata aliis tradere, docendo & prædicando, quàm solum contemplari, sicut & majus est illuminare, quàm lucere solùm; propterea fit quod in Religionibus summum teneant gradum, quæ ordinantur ad prædicandum & docendum, ex plenitudine scilicet contemplationis, quæque propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum; sicut & in aliis rebus fines primorum conjunguntur principiis secundorum, ùt ait Dion. secundum autem teneant gradum illæ quæ ordinantur ad contemplationem, adeò ut nec præferatur sollicitudo activa contemplationi in Decretalibus, nisi ubi ordinatur ad salutem animarum; nec eis præemineant institutæ Religiones ad militiam, quæ quidem potiùs ordinantur ad effundendum sanguinem hostium, quàm suum, quod propriè Martyribus convenit: esto quod nihil prohibeat hujusmodi Religiosos in aliquo casu meritum martyrii consequi, & in hoc aliis præferri Religiosis. Tertius denique gradus sit earum quæ totaliter occupantur circa actiones exteriores, quæque adhuc possunt aliæ aliis præeminere, secundùm quod una ordinatur ad altiorem actum in eodem genere. Vnde non ex eo est Religio potior, quod arctiores habet observantias,

Cap. 7. de divin. nom.

utpote quæ si sine discretione fiant, periculum habent deficiendi; nec enim arctitudo observantiarum est illud, quod præcipuè in Religione commendatur, ut Beatus Antonius dicit, juxta illud effatum
Isai.58. Isaiæ: Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam.

ART.7. *Vtrum habere aliquid in communi diminuat perfectionem Religionis.* ℞. *Negativè*, ita quod non minuat perfectionem Religionis in communi, si solùm habeatur in communi, quod sufficit ad victum simplicem, esto quod tanto perfectiores sint Religiones ad contemplandum ordinatæ, quanto earundem paupertas minorem eis ingerit solicitudinem temporalium. *Primum est*, quia cùm perfectio non consistat essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela, propter quod dixit Petrus, Reliquimus omnia; & quia hoc non sufficit, adjecit, Et sequuti sumus te; sed in ea consistat instrumentaliter, prout scilicet per remotionem divitiarum tolluntur quædam charitatis impedimenta, scilicet solicitudo, quam secum divitiæ afferunt; divitiarum amor, qui ex divitiis possessis augetur; tum inanis gloria, vel elatio: ideo cùm duo posteriora non nisi ad abundantes divitias consequantur; primum autem, nempe solicitudo, licèt non possit totaliter separari à divitiis, sive sint magnæ, sive sint parvæ; si tamen non quærantur, vel habeantur nisi in modica quantitate ad simplicem victum, non multùm tunc impediat, nec repugnet perfectioni, quia à Domino non interdicitur omnis solicitudo, sed superflua: quin

immò pertinet solicitudo circa communes divitias ad charitatem, quæ non quærit quæ sua sunt, sicut & ad amorem proprium, si circa proprias sit; consequenter fit, quod habere aliquid in communi, quod sufficiat ad victum simplicem, non minuat perfectionem Religionis in communi. Nec enim ex illo: Si vis perfectus esse, vade & vende, &c. colligitur ipsam paupertatem esse perfectionem, sed perfectionis instrumentum, proindeque quod tanto perfectior sit Religio, non quanto majorem habet paupertatem, sed quanto ejus paupertas est magis proportionata fini ipsius universali, & particulari. Vnde non sic intelligitur illud, *Nolite solliciti esse*, ut nihil servetur in futurum, quia id periculosum esset, ex B. Anton. & Aug. & præterea cùm habuerit ipse Dominus loculos, ubi collectam pecuniam reponeret; neque Isaac, de quo meminit Greg. alia de causa possessiones renuebat accipere, nisi quia timebat, ne per hoc ad superfluas divitias veniretur, per quarum abusum impediretur Religionis perfectio: sed nec quæ dicit Hieron. ad Nepotianum, habent locum, nisi ubi sunt superabundantes divitiæ, quæ habentur quasi propriæ, vel per quarum abusum etiam singuli de communitate superbiunt. Matt. 6. Lib. de operibus monach.

Secundum est, quia sicut ad exteriora & corporalia opera vitæ activæ indiget homo copiâ exteriorum rerum, propter quod imperfecta esset Religio, quæ ordinatur ad actiones corporales vitæ activæ, ut ad militandum, si communibus careret divitiis: ita quia ad contemplationem pauca requiruntur exteriora, juxta quod ait Phil. quod In 10. Ethic.

ad actiones multis opus est, speculanti autem solius necessarii indigentia; ideo fit quod quæ ad contemplandum ordinantur, tanto perfectiores sint, quanto earundem paupertas minorem ingerit sollicitudinem temporalium, præsertim cùm tanto magis Religionem impediat hæc sollicitudo, quanto ad Religionem major sollicitudo spiritualis requiritur, quæ quidem requiritur major in Religione contemplativa, sicut & in illis, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, quibus propterea competit vitam habere maximè ab exterioribus solicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria ad vitam, congruo tempore procurata conservantur, ut etiam Dominus suo docuit exemplo, habendo loculos Iudæ commissos.

Art. 8. *Vtrum perfectior sit Religio agentium solitariam vitam, quàm in societate viventium.* ℞. *Affirmativè*; ita tamen quod præemineat quidem solitariorum vita vitæ sociali, si debitè assumatur; sit tamen periculosissima, si assumatur absque exercitio virtuosi actus. *Primum est*, quia cùm vita socialis necessaria sit ad exercitium perfectionis; solitudo autem competat jam perfectis, quandoquidem quod solitarium est, debet esse sibi per se sufficiens, quod tale dicitur, quando nihil deest, quod quidem competit perfectis; ideò qua ratione quod jam perfectum est, præeminet ei quod ad perfectionem exercetur; sic vita solitaria, si debitè assumatur, præéminet sociali vitæ, adeò ut bestiale quidem sit si quis solitariè viveret, quasi societatem humanam propter

animi sævitiam ferre non valens; sed solitariè vivere, ut quis totaliter divinis occupetur, est supra hominem, & divinum quid, juxta quod ait Arist. quod solitarius, aut bestia, aut Deus, idest divinus vir. Vnde meliùs quidem sunt duo simul, ut ait Sapiens, sed propter auxilium, quod unus habet ab alio, ut sublevetur, vel foveatur, quo non egent perfecti: sed neque necessarium est actu obedire, nisi his, qui indigent directione aliorum ad perfectionem capiendam, quâ quidem non indigent perfecti, ut supponuntur solitarii, utpote qui spiritu Dei aguntur. *Secundum est*, quia cùm solitudo competat contemplanti, qui jam ad perfectum pervenit, quod quidem contingit vel ex solo divino munere, ut patet de Ioanne Baptista; vel per exercitium virtuosi actus, ad quod juvatur homo ex aliorum societate, & quantum ad intellectum, ut instruatur de his, quæ contemplanda sunt; & quantum ad affectum, ut scilicet affectiones noxiæ reprimantur exemplo & correctione aliorum, propterea fit, quod vita solitaria, si absque præcedenti exercitatione assumatur, sit periculosissima, nisi per divinam gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium virtutum acquiritur.

Lib. 1. Polit. c. 2.

Eccl. 4.

IN QVÆSTIONEM CLXXXIX.

De Religionis ingressu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum illi, qui non sunt in præceptis exercitati, debeant ingredi Religionem.

℞. *Affirmativè*, ita quod proficiat Religionis ingressus, & his qui sunt in præceptis exercitati, ut ad majorem perfectionem perveniant; & his qui non sunt exercitati,

ut faciliùs peccata vitent, & perfectionem assequantur. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm status Religionis sit quoddam spirituale exercitium ad consequendam charitatis perfectionem per certas quasdam observantias; & observantiæ illæ sint tales, quod sicut tollunt impedimenta perfectæ charitatis, ita etiam tollant occasiones peccandi per jejunium, vigilias, &c. ideo fit, quod Religionem ingredi non solùm expediat his, qui sunt in præceptis exercitati, ut ad majorem perfectionem perveniant; sed etiam his, qui non sunt ita exercitati, ut faciliùs peccata vitent, & perfectionem assequantur, adeò ut quanvis ordinandi debeant esse in præceptis exercitati, quia ordo requirit sanctitatem; non ita tamen qui ad Religionem assumuntur, quæ est quoddam exercitium sanctitatis; & quidem quanvis juxta commune dictum, nemo repentè fiat summus, utpote cùm summum, & infimum accipi possint non solùm in eodem statu, & in eodem homine, in quo quidem sensu nemo repentè fit summus; sed insuper per comparationem ad diversos status, & sic non oporteat, quod quicumque vult ad perfectionem venire, à minori incipiat; vel etiam quantum ad diversas personas, in quo etiam sensu manifestè patet quod unus statim incipit, nedum ab altiori statu, sed & ab altiori sanctitatis gradu, putà à consiliorum observatione, quàm sit summum ad quod alius pervenit per totam vitam suam, ut de B. Benedicto refert D. Gregor. Vnde & Christus Dominus non solùm adolescentem, qui dixit mandata servasse, vocavit

In 2. Dial.

ad perfectionem consiliorum, sed etiam Matthæum publicanum, ut scilicet ostenderet eam esse utilem & innocentibus, & peccatoribus. Cum quo tamen stat, quod quia præceptorum quædam sunt principalia, quasi fines præceptorum, & consiliorum, scilicet præcepta charitatis, ad quæ consilia ordinantur, non ita ut sine consiliis non possint servari, sed ut perfectiùs serventur; sicut & alia sunt secundaria, quæ ad charitatem ordinantur, ut sine quibus charitatis præcepta servari non possunt; ideò perfecta observantia præceptorum charitatis præcedat intentione consilia, utpote cùm hic sit ordo finis respectu eorum quæ sunt ad finem; non tamen semper tempore, sicut nec oportet ut priùs tempore serventur præcepta sine consiliis, & posteà cum consiliis, quanvis illud ad istud ordinetur tanquam species imperfecta ad perfectam; sicque nec oportet ut præcepta priùs in sæculo serventur, quàm intretur in Religionem, præsertim cùm conversatio sæcularis non disponat ad Religionis perfectionem, sed magis impediat.

Vtrum debeat aliquis voto obligari ad Religionis ingressum. ℞. *Affirmativè*, ita quod obligari voto ad ingressum Religionis, sit secundùm se laudabile; & quidem quanvis voti transgressor graviùs ruat. ART. 2.
Primum est, quia cùm vovere sit actus Religionis, quæ quidem excellit inter alias virtutes, & insuper per votum firmetur voluntas in bono; ideò & est opus factum ex voto, in quantum tale, laudabilius; sicut & gravius est peccatum, cùm procedit ex voluntate in malum obstinata; & quidem

quanvis inde oriatur necessitas, utpote quæ non est necessitas absoluta, aut violentiæ, de qua loquitur Greg. cùm dicit Iudæos non vi, sed libera voluntate suadendos esse; sed necessitas ex suppositione finis, de qua quidem ait Aug. Felix necessitas, quæ ad meliora transmittit. *Secundum est*, quia vovere de se non dat occasionem ruinæ, sed magis subtrahit, cùm confirmet in bono; & ideò si quis post votum graviùs ruat, non propterea derogat bonitati voti, sicut nec bonitati Baptismi; sed nec inde impedit, quin statim possit per votum simplex, quo quidem nondum fit Religiosus, vovere simpliciter ingressum, esto quod debeat præcedere probationis annus, ut per votum solenne fiat professus.

ART. 3. *Vtrum ille qui obligatus est voto ad Religionis ingressum, teneatur intrare Religionem.* ℟. *Affirmativè*, ita scilicet, quod si intendit se absolutè obligare, teneatur quamcitiùs poterit ingredi; si autem ad tempus, vel sub conditione, teneatur ingredi tempore vel conditione adveniente. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm teneatur homo ad id implendum, quod Deo promisit, & multò magis, ex Aug. quàm quod promisit homini, modò illud ad Deum pertineat; ideò cùm ingressus Religionis maximè ad Deum pertineat, quia per illud homo se divinis obsequiis mancipat, ad illum etiam tenetur maximè, sed prout se voto obligavit, nimirum vel quamcitiùs, cessante licito impedimento, si absolutè vovit; vel conditione adveniente, si conditionaliter. Vnde qui se ad certam Religionem obligavit, debet quantum in se est,

facere

facere, ut in ea recipiatur: quod si absolutè vovit, nec in vna recipitur, tenetur ad aliam ire, ut obligationi faciat satis, quæ quidem in hoc casu est tanta, quia perpetua, ut majus sit votum Religionis voto Terræ Sanctæ, adeò ut istud illud non solvat: imò & rationabiliter dici potest, per ingressum Religionis adipisci remissionem omnium peccatorum, ut ex Decret. & ex Greg. colligitur, utpote qui excedit omne genus satisfactionis, sicut & holocaustum excedit sacrificium, utpote cùm in eo mancipemur totaliter Dei obsequio.

ART. 4. *Vtrum ille, qui vovit Religionem ingredi, teneatur perpetuò in Religione permanere.* ℟. *Negativè*, si nimirum intenderit se obligare vel solùm causâ experiendi, vel nihil cogitando de perpetuitate remanendi; esto quod remanere debeat, si etiam intenderit perpetuò remanere. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm voti obligatio in tantum se extendat, in quantum se extendit voluntas, & intentio voventis, quandoquidem oritur obligatio ex voluntate, cujus est vovere, ut ait August. ideò tenetur quidem vovens perpetuò remanere, si ad hoc intendit se obligare; non tamen si intendit vel obligare se ad ingressum causâ experiendi, in quo casu meliùs adhuc facit intrando animo probandi, quàm non intrando, quia homo per hoc disponitur ad perpetuò manendum: vel si in vovendo simpliciter de ingressu Religionis cogitavit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate; cùm enim videatur tunc

obligari ad ingressum secundùm formam juris communis, quæ est ut ingredientibus detur annus probationis, proinde fit quod adhuc sit in libertate exeundi; & quidem absque eo quòd generet scandalum, nisi forte passivum, quia fecit intrando quod ei expediebat facere: vel etiam absque hoc, quod retro respiciat, quod quidem solùm accidit, cùm prætermittitur id, ad quod se obligavit; aliàs qui facit opus bonum, & postea dimittit, retrò respiceret, nec esset aptus regno Dei, quod est falsum. Cum quo tamen stat, quod qui intrat, ùt statim exeat, non satisfacit voto, quandoquidem vovendo non id intendit: vnde tenetur mutare propositum, ut saltem velit experiri, an ei expediat remanere, non autem ut perpetuò remaneat.

ART. 5. *Vtrum pueri recipiendi sint in Religionem.* ℞. *Affirmativè*, non quòd possint ante annos pubertatis Religionem profiteri; sed ita quod & possint tunc voluntate parentum in Religionem recipi, ut ibi nutriantur, & quantum est ex se obligentur ex voto etiam ante pubertatem facto, si vsum tunc habuerint rationis plenum. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm votum simplex, quod consistit in promissione soli Deo facta interiori mentis deliberatione, vim habeat ex jure divino, sed taliter quod impediri possit vel defectu rationis, ut contingere solet ante annos pubertatis, qui sunt utplurimùm in pueris ante annum decimumquartum, & in puellis ante duodecimum; vel quia qui vovit nō est suæ potestatis, ut servus, & pueri ante an-

nos pubertatis, utpote quia sunt in parentum potestate quoad dispositionem vitæ; ideò pueri quidem, & puellæ ante plenum rationis vsum non obligantur voto simplici, sicut nec ante annos pubertatis ex voto solenni, licèt cum plena ratione facto, quasi inde fiant professi, utpote quod votum subditur ordinationi Ecclesiæ, quæ ita statuit; si tamen ante annos pubertatis habeant vsum rationis, obligantur voto ex se; vnde nec reprehenditur puella in puellari ætate constituta, si voveat absque consensu parentum, esto quod tale votum possint irritare parentes: si autem annos excedant pubertatis, tunc irrevocabiliter vovent, quanvis non obligentur quoad Deum, si pro tunc nondum habeant plenum vsum rationis. Cum quo tamen stat, quod quia status Religionis, licèt ex consequenti sit status pœnitentiæ, prout per hujusmodi statum peccatorum tolluntur occasiones, principaliter tamen ordinatur ad perfectionem consequendam, quod quidem convenit pueris, qui de facili inducuntur; ideò legitima quidem ætas ut tondeatur quis in Religione voto solenni sit tempus pubertatis; ad hoc autem, ut tondeatur in Religione nutriendus, sit etiam tempus ante annos pubertatis. Vnde & Romani B. Benedicto filios tradebant nutriendos; bonum namque est viro, cùm portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.

Vtrum propter obsequium parentum debeant aliqui retrahi ab ingressu Religionis. ART. 6.
℞. *Negativè*, ita quod possint filij per se loquendo etiam contra præceptum parentum Religionem intrare, esto quod possit

casus accidere, in quo eis non liceat, prætermisso parentum obsequio. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm filiis solùm per accidens conveniat, ut parentes adjuvent, prout sunt in necessitate constituti, non autem per se, in quo quidem differunt à parentibus, qui quidem cùm habeant erga filios rationem principij, per se eis convenit filiorum cura: ideò casu quo commodè non possit aliter parentibus subveniri, quàm per obsequium filiorum, non licet quidem filiis, hoc prætermissio obsequio, Religionem ingredi; per se tamen loquendo id possunt, etiam contra voluntatem parentum post annos pubertatis, utpotè cùm quilibet (nisi servus sit, qua quidem servitute adimitur quod aliàs liceret,) habeat libertatem in his, quæ pertinent ad dispositionem status, & maximè in his, quæ sunt divini obsequij; & quidem absque transgressione præcepti de honoratione parentum, utpote quod non solùm se extendit ad obsequia corporalia, sed etiam ad spiritualia, & reverentiam exhibendam, in quibus qui religionem ingrediuntur, possunt parentes honorare, orando scilicet pro eis, &c. Nec enim filius tenetur, saltem per se loquendo, ad aliquod speciale debitum patri, sicut tenetur qui est obligatus ad aliquid certum, putà ad pecuniam; qui quidem non potest illud licitè prætermittere facultate existente; quanvis non ita, quin adhuc possit, exhibitis rebus suis ad solvendum, Religionem intrare, utpote cùm propter pecuniam persona liberi hominis, quæ quidem omnem superat æstimationem pecuniæ, non obligetur secundùm Iura Civilia, sed solùm res.

Vtrum Presbyteri Curati possint licitè Religionem ingredi. ℞. *Affirmativè*, non quòd non sint actus Presbyteri Curati inter actus Religionum præcipui, sed quia obligatio voti Religionis præfertur obligationi Presbyteri Curati. *Ratio utriusque partis est*, quia cùm ideò Episcopi non possint Religionem ingredi sine licentia Papæ, quia voto solenni, & perpetuo ad curam obligantur, in quo voto solus Papa dispensare potest, ut habetur in Decret. propterea fit, quod cùm Curati, & Archidiaconi obligent se ad curam agendam subditorum, quamdiu solum Archidiacoconatum, & Parochiam retinent, non autem perpetuò, quod possint sine licentia Religionem intrare; non quidem quasi assumendi ad actus perfectiores, utpote quibus ex officio competit docere, & prædicare; sed quia obligatio voti Religionis, utpote perpetui, præfertur omni alij obligationi: nec propterea timendum est, ne desint qui curam gerant; rara namque est virtus, ait Hier. nec à pluribus appetitur. ART.7.

Vtrum liceat de vna Religione transire in aliam. ℞. *Affirmativè*, ita quod & ex zelo perfectioris Religionis id liceat, & propter declinationẽ Religionis à debita perfectione, & propter infirmitatem, seu debilitatem; sed cum dispensatione in tertio casu, non autem in primo, & secundo. *Ratio utriusque partis est*, quia quanvis transire de vna Religione ad aliam, nisi propter magnam vtilitatem, vel necessitatem, non sit laudabile, tum quia ex hoc plerumque scandalizantur qui relinquuntur, tum etiã quia faciliùs proficit quis in ea, in qua ART.8.

consuevit, quàm in aliis, ut habetur in collatione Patrum; quia tamen est & vtilitas, & necessitas, vbi fit transitus ex triplici præfato motivo; nec qui ad arctiorem transeunt, hoc faciunt præsumptuosè, ut justi videantur; sed devotè, ut justiores fiant: ideò fit, quod cum aliquo ex præfatis motivis possit quis etiam ad minorem Religionem transire, si melius ibi observetur regularitas, & remissiùs in majori; petendo tamen humiliter licentiam (quæ quidem negari non potest) in primo, & secundo casu, vel etiam consulendo superiotis judicium, si in his sit dubitatio; sed in tertio casu, scilicet debilitatis, etiam dispensationem tanquam necessariam procurando. Cum quo tamen stat, quod quia vtraque Religio, Monachorum, & Canonicorum Regularium, ordinatur ad opera vitæ contemplativæ, inter quæ præcipua sunt quæ aguntur in divinis mysteriis, ad quæ directè ordinatur Ordo Canonicorum Regularium, quibus quidem per se competit ut sint Religiosi Clerici, quod tamen non per se competit Monachis: ideo Monachis quidem laïcis licet transire ad Regulam Canonicorum, non è converso, sicut & Canonico Regulari licet cum licentia transire ad Monachorum Ordinem; sed Monacho simul, & Clerico non licet, cùm habeat id quod habent Canonici cum majori arctitudine.

ART. 9. *Vtrum aliquis debeat alios inducere ad Religionem intrandum.* ℞. *Affirmativè*, ita quod nedum non peccet, sed & magnum mereatur præmium; si tamen nec violenter, nec simoniacè, aut per mendacium il-

lum inducat. *Primum est*, quia ut dicitur Iacobi vlt. qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, ut facit qui inducit à sæculo ad Religionem, salvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum. Et Daniel. 12. qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates; sicque non peccant, sed potiùs inde merentur qui alios inducunt ad Religionem; nec propterea facilis datur ingressus illis qui inducuntur: quod quidem prohibet B. Benedictus, utpote cùm adhuc detur probationis annus, in quo difficilia Religionis experiuntur: cum quo tamen stat, quod qui est obligatus voto, vel juramento ad ingressum minoris Religionis, potest quidem induci ad majorem, si nihil obstet; non autem è converso, nisi ex evidenti causa, & cum dispensatione superioris. *Secundum est*, quia & ei qui per mendacium allicitur, imminet periculum, ne cùm se deceptum viderit, retrocedat; & est inordinatio prohibita in Decret. quod quis alium violenter trahat, 20. Qu. 3. necnon & quod trahat simoniacè per munera; ad quod tamen non pertinet, si quis pauperi necessaria det in sæculo, nutriens eum ad Religionem; vel sine pacto aliqua munuscula tribuantur, ad familiaritatem captandam.

Vtrum sit laudabile, quod aliquis religionem ingrediatur absque multorum consilio, & diuturna deliberatione præcedenti. ℞. *Affirmativè*, ita quod nec de ingressu Religionis secundùm se opus sit diu deliberare, aut plures consulere, nec per comparationem ad vires ingredientis. *Ratio* ART. 10.

utriusque partis est, quia cùm diuturna deliberatio, & multorum consilia requirantur in magnis dubiis, non autem in his,
3. Ethic. c. 3. quæ certa sunt, ut ait Arist. & certum sit, Religionis ingressum esse secundùm se melius bonum, adeò ut qui de hoc dubitat, deroget Christo qui hoc dedit consilium; nec sit locus dubitandi si consideretur ingressus in comparatione ad vires ejus qui ingressurus est, quia qui ingrediuntur, non sua virtute, sed Dei auxilio confidunt, in
Isaiæ 40. quo quidem qui sperant, mutabunt fortitudinem, & ut dicit Scriptura, volabunt, & non deficient; ideò fit quod de his non sit opus diuturna deliberatione, aut multorum consilio, esto quod quantum ad modum intrandi, & ad quam Religionem, possit esse consilium; adeò ut illud, *Probate Spiritus*,
1. Ioan. 4. quod locum habet in dubiis, ibi locum non habeat, cùm dubium non sit quin propositum Religionis sit à Spiritu Dei, qui ducit hominem in viam rectam: nec ex eo, quod quis à Religione retrocedat, inferatur propterea, non esse ex Deo, quandoquidem non omne quod est ex Deo, est incorruptibile, aliàs non essent incorruptibiles. Vnde velle turrim ædificare, significat quidem velle perfectionem Christianæ vitæ assequi; sed sicut nemo dubitat, an velit ædificare, & habere sumptus, & an possit ædificare, si sumptus habeat: ita nec cadere debet sub deliberatione & dubio, vtrum debeat quis abrenunciare omnibus, quæ possidet; vel si hoc faciendo, ad perfectionem pervenire possit: sed hoc potiùs cadit, vtrum hoc quod facit, sit abrenunciare omnibus quæ possidet, quia nisi abrenunciaverit, quod est sumptus habere, non

poteſt, ut ibidem ſubditur, Chriſti eſſe diſcipulus, quod eſt turrim ædificare. Cum quo tamen ſtat, quod ſi aliquod ſit impedimentum, ut infirmitas corporis, vel onera debitorum, &c. in his requiratur deliberatio, & conſiliúm; ſed cum his de quibus ſperatur, quod proſint, & non impediant, ut monet Sapiens. Licèt enim idem Eccl. 37.
moneat, quod ſit tractanda cauſa cum amico, non tamen cum amicis carnalibus, qui adverſantur profectui Spiritus, ſecundùm Matth.
illud: *Inimici hominis domeſtici ejus.* 7.

FINIS SECUNDÆ SECUNDÆ.



1 m 6
legat: 7 ½